


QVAESTIONES
DEFINITAE
Ex triplici Philosophia,
Rationali, Naturali, Morali,
In Parmensi Academia
Publicè triduum disputatæ,
AB OCTAVIO FARNESIO
SERENISSIMI RANVTII
Parmæ, Placentię Etc. Ducis. IV
FILIO
AD PAVLVM. V.
P. O. M.
Eq. Malossus
Cremonen.
Inuent.
Franc.
Villamena
incidebat
Parmæ ex Typographia Antæi Viothi
CIƆ IƆCXIII Superiorum permissu.






BEATISSIMO PATRI PAVLO V. BVRGHESIO P. O. M.



OCTAVIVS FARNESIVS S.





SAPIENTVM vox est, esse in viris Principibus expressum, imitatione non dissimillima, Dei simulacrum, & hanc illos speciem in eo referre maximè, quòd in sublimi dignitatis gradu positi prouideant, vbi consulto; præstò adsint, vbi opus facto fuerit. Hæc si de minoribus Ciuitatum Rectoribus, quasi minorum gentium Dijs, verè narrantur, de te, Beatissime Pater, qui primam, ac proximam Regum Regi vicariam operam præstas, & multo verius sapientes dixerint, & res docet. Tuis legibus ius, fasq. regitur, tua auctoritate diuina, humanaq. omnia temperantur, &, vt Leo Pontifex doctrina, & pietate Magnus tradidit, quà de Petro, istius ordinis Principe, quà de singulis, qui deinceps paris dignitatis locum tenent: Tibi, sane magno, atque admirabili diuinę potentiæ consortio, tributum est, vt si quid habeant commune tecum cæteri Principes, non nisi per te detur, quidquid alijs non negatur. Testatur hoc terrarum Orbis vniuersus, qui quasi supplex pręsentis numinis consilium, auxiliumque exorans, & olim vesti Summi Sacerdotis appingebatur (In veste enim poderis, quam habebat, inquit Sapiens, totus erat

orbis

orbis terrarum) & nunc, ſi Geographiæ tabulas inſpectemus, latè quamuis per tot maria, tot terras diſiectus, TIBI DISPONITVR, & per partes, formata, vt Strabo ait, Europa in Draconem, Africa, Aſia, America in Aquilæ constructionem, idem in tuis Gentilitijs inſignibus TIBI COMPONITVR, Burgheſij nomine iuxtà ſecurus, ac nobilis. Nouit hoc ipſum ſuo bono Farneſia Domus, quæ, cum te primùm in iſto honoris apice vidit, vidit in ſe beneficentiæ non vulgaris argumenta. Multum eſt, vbi res tulit, adfuiſſe te nobis, rectiſſimum interpretem æquitatis: ſed plus eo eſt, ac ſolùm non maius expectatione, quia de te omnia maxima boni quique ſibi pollicentur, voluntatem prætuliſſe maiorem facto, & ad noua beneficia per ſeſe facilem, ac promptam ſemper ituram. Hoc enimuerò eſt, Hominem homini imitatione Deum eſſe, & ijs propterea pietatis monimentis colendum; quæ nulla vnquam vetuſtate temporis deleantur. Hoc me etiam volentem trahit ad vota perſoluenda; nec absterreor maieſtate, quamuis imparia feram; quia nihil eſſe in terris arbitror, tantæ maieſtati par. Quæſtionum igitur a me definitarum, ac propugnatarum Volumen dico, & in eodem, ſi quid eſt in me virium, ſi quid ingenij ab hac ætate, in qua ſum, vix triluſtri tibi dicatum teſtor in omnem vitam. Vale, Beatiſſime Pater, diuquè viue ijs naturæ, & gratiæ dotibus inſtructus, quæ tibi amplum TEMPORARIAE BEATITATIS THEATRVM ORNANT, AETERNAE POLLICENTVR.





AVCTOR

AVCTOR LECTORI SVO SAL.

HABES, Humanissime Lector, volumen quæstionum, ac definitionum ex vniuersa Philosophia, quæ ad integram hominis perfectionem spectat, siuè certam sequatur methodum ratiocinandi, siuè abditissima naturæ arcana rimetur, siuè ex honestissimis vitæ officijs viuat. A me habes, qui vix quartum supra decimum ætatis annum excessi, vt sanè verear, ne nimis multum sapientiæ desideres in hoc opere, si tantum illi desit, quantum deesse mihi ad ætatem, addiscendæ sapientiæ idoneā, vides. Sed nosti iuuenes; Sumus amantes gloriolæ, & in ijs maximè, in quibus laudi ducimus, fuisse ausos, etiam si facta votis iniquè congruant. Adde, videri etiam potuisse hoc à me debitum sine vlla excusatione ætatis, qui Serenis. Principis iussu, cuius mihi vel nutus imperium est, à primis annis, non solum amœniorum literarum studijs, sed etiam seueriorum ità addictus sum, vt vix me vnquam non fuisse philosophum recorder. Ergo in his libris in lucem dandis malui præproperus esse, quam deses. tu hos, veluti præcoces fructus, prægusta: placeat, quod anteuerterim in vere autumnum; maturiores dabo, si vita suppetat & me Serenis. Princeps ad optimas quasq. disciplinas prouehere pergat, quibus ego instructus, & illi amplius debeam, quam Parenti, & eas lucubrationes in aliorum manus tradere possim, quæ ætatis excusatione non egeant. Argumento tibi sint, ac pignori nostra Lilia, quorum apto ad id significandum epichiremate, PARS Exerta patet, veniens partem exeret ætas. *Adamaui autem in his philosophiæ partibus tractandis non alienam à nostro Lyceo locutionem; sic vsus fert, vbi magis seruiat rationi oratio, quam ratio orationi. Vale. me ama, & lege.*



DICTA

DICTA AD PRIMAS
Disputationes.

INITVRVS cum Viris Sapientissimis de triplici Philosophia certamen primum, alterum deinceps, ac tertium, spectante te, SERENISS. PRINCEPS, Patre quidem, sed arbitro æquissimo veritatis, & nihil amante fallaciarum, ac fuci, obtinere à me ipse non possum, quin vehementer animo commouear, quia probè video, esse me oneri à te imposito imparem, siuè varietatis quæstionum, quas expono, in mentem veniat, siue eruditionis eorum, quos plures vsu, & longa rerum commentatione doctos stare contra me solum, volentemq. magis, quam valentem, circumspecto. Adsum tamen initurus animo præsenti, et ad incertos literariæ palæstræ exitus etiam parato, quia iubes: fecisseq. me satis reputabo, cum imperata fecero, et Principis, et Parentis, quæ non sine nota geminatæ impietatis detrectarem. Hac me in sententia illud etiam confirmat maximè, quod nouerim, Farnesiæ Gentis laudem hanc esse non vltimam, ducere honestissimis exercitam laboribus vitam, seq. ijs à primis annis addicere. Nec vero antiqua mihi exempla relegenda sunt, vbi suppetunt noua. Nam, vt de tuæ adolescentiæ studijs taceã, siuè domi in regendis populis Auo Sereniss. Octauio, siuè foris in re bellica Patri Sereniss. Alexandro operam dederis, vnus mihi Alexander instar est omnium, qui laboriosis militiæ artibus vitam fermè deuouit priùs, quam vitam nosset. Vix optimæ indolis. Princeps excesserat ex ephebis, cum coacta suis stipendijs veteranorum manu naualibus copijs contra Turchas illa nobili

bili Christianorum Principum conspiratione instructis, voluntarium sese militem adiunxit; tamq. praeclaris initijs militiam auspicatus in eum deinceps euasit, quem ipso Magno maiorem laudata etiam in hoste virtute, Belgium, Germania, Gallia comprobarunt. Ergò mouet me ad audendum etiam supra aetatem praemonstratum in Sereniss. Principe rei non dissimillimae exemplum, Discoq. puer ex eo virtutem, verosq. Labores, quibus, dum prima duratur aetas, re melius, quam nomine asseror in hanc gentem. Cum igitur iubente te annos complures philosophando triuerim, ostensurus quantum fecerim operae precium in eruditam arenam descendo. Sequor auitum omen spei plenus in Mineruae campo, olim, vel si annuas, in Martis acie secuturus. Dixi.

DICTA AD SECVNDAS Disputationes.

BREVI mora, quasi curandis à primo praelio vulneribus data, altera disputationi alteri indicta dies adest. Adsum & ipse eo ductus placendi studio, quod tibi, Sereniss. Princeps, debeo, & ardore ad pugnam etiam maiore, vt facilè animi differendo, quasi ingeniorum attritu, incalescunt. Sed illud praeterea est, quod animos addit in re ancipiti: Nimirum suscepisse me causam ex optimi Philosophi auctoritate bonam, cum vix vlla sit ex his thesibus, quae ab eius doctrina non prodeat, qui opere tanto, ac tali tres hasce philosophiae partes excoluit, tantumq. sibi ea propter conciliauit auctoritatis, ac nominis, vt, eum dixisse si constet, constare satis de rei veritate videatur. Aristoteles is est, cuius doctrina plusculis fateor seculis sine luce iacuit, sed ita se tandem prodidit, vt nihil iam ea illustrius habeatur. Subit hic animum recordatio ditissimae messis, quae prouenire dicitur apud Indos in Regno Malabariae. Fides sit penes auctores. Altè sub terras globosa tubera ad magnitudinem non poenitendam excrescere dicuntur, quae sub rudi putamine gemmas varij generis, non specie solũ, quales videmus acinos in pomis punicis, sed re preciosas condũt. Iacẽt haec obruta, dũ maturescant, diuq. iacent, vt nihil est in rerum natura perfectum, & natum simul; operosaq. solent esse maximè, quae futura sunt operis non vulgaris. Cum vero ad maturitatem peruenere (illo opinor facilis terrae halitu rarefacto, qui prodigiosae frugis materia fuit, idemq. opifex) rumpuntur, factaq. ex imis terrae visceribus eruptione non sine ingenti sonitu in lucẽ sese efferunt, preciosa simul exposita messe, & accolis fragore excitis ad legendũ. Vera haec ne sint, an secus, non facio tanti; de quo tamen ea à me narrantur, verissima historia dici potest. Latuit aliquãdiù doctrina Aristotelis, quandiù haud scio, an fuerint ingenia paria; Sed cum eadem viris magni nominis interpretibus in lucem euocata est,


est, quotusquisq. est, qui sapientiæ opes consectetur, easq. ex Peripateticis thesauris non transferat in rem suam? Has ego in rem meam tuli, quia per te licuit, Sereniss. Princeps; quod enimuerò dum mecum ipse tacitus reputo, esto iterum accesserint ad Kalendas exactores, parum abest, quin mihi persuadeam, non vltimi me nominis in eorum tabulis ascribendum. Dixi.

DICTA AD TERTIAS Disputationes.

NOTA *est iter per immensos marium tractus habentibus experientia; cum de nocte binæ faces emicuerint, & non solum innoxiæ, sed etiam amicæ malo insederint, secundo ituram cursu nauim, & portum feliciter ingressuram. Multa hic Poetæ de Polluce, & Castore secundæ nauigationis tutelaribus mentiuntur; Meliora Philosophi commentantur de dissitis per aerem terræ halitibus, qui, cum succenduntur bini, diuisam, dissipatamq. ventorum materiam demonstrant, ac propterea nauim futuram à iactatione tutiorem. Licebit, opinor, etiam mihi in hoc vltimo nauigationis tractu, qui superest, idem naturæ prodigium, non ad futuri cursus præiudicium per latè iacens triplicis Philosophiæ æquor, quod iam fermè emensi sumus, sed ad iucundam totius itineris recordationem in rem meam interpretari. Scilicet è portu solui, Sereniss. Princeps) Principe te consiliorũ meorũ, à cuius nutu pendeo totus, vt primùm præfatus sum; doctrinæ verò Principe Aristotele, cuius placita tueor, vt secundùm prodixi. His veluti geminis syderibus prælucentibus hactenus faustè, feliciterq. deductus, ijsdem mihi præsagio requietem eo certiùs, quo benigniùs vtrumq. adhuc collucet, nec, quod de Castore, et Polluce in fabulis traditum est, altero superstite alterum cadit. Quid ego vltimam rei dieculam verbis extero? Nihil vos moror, qui me contrà, & memet mihi, & huic doctissimorum virorum coronæ probaturi conuenistis. Dixi. Præstolor.*



DE



DE RATIONALI PHILOSOPHIA.

LIBER I.

QVANTA inſit homini dignitas à ratiocinandi facultate, qua à Deo bonorum omnium largitore donatus eſt, nemo, opinor, ità ſui ignarus eſt, qui non nouerit. Habet, hanc dum habet, inter omnia animantia principatum, & quodãmodo mortalem Deum ſe in terris gerit, expreſſam auctoris imaginem in ſe gerens. An non tibi illa diuinæ cuiuſdam immenſitatis imitatio videatur, dum animus alta quiete

a Lib.6.Hexã. cap.8.

defixus, longè terrarum, ac gentium peregrinatur? Ecce nunc hic ſumus (inquit diſertiſsimus Theologus, ac vir ſanctiſs. a *Ambroſius) liber tamen eſt animus, & diffuſis cogitationibus; atq. conſilijs, conſiderando, omnia ſpectat, cum amicis diuerſatur, qui longè diſsiti ſunt, ſequitur proficiſcentes, alloquitur ſeparatos, vita defunctos ad colloquium ſuſcitat, complectitur, tenet, officia vitæ defert, & vſum. Verum enimuerò, dum idem homo hac ipſa eundi celeritate veritatem ſequitur, ad cuius contemplationem factus eſt, quis non fateatur, ſæpè eum in errores miſerè prolabi, quia, rerum difficultatibus officientibus, mentis lumen malignè prælucet, quia certo ductore deſtituitur, quia ſenſus imponunt? Porrò hoc eſt nobiliſsimæ perſonæ actorem in ampliſsimo naturæ theatro deſerere ſuas partes, eumq. prodire, qui ſibilis, ac fiſtulis explodatur. Hoc eſt hominem à ſe ipſo deficere; qui ad ſapientiam natus tam turpiter, tam palmariter deſipiat. Ergo rationalis Philoſophia, quæ à munere deducendæ ad veritatem rationis nomen habet, conſulenda eſt. Præeuntem hanc qui ſequitur, ſuaq. differendi methodo prælucentem, & caſus facile præcauebit, & ſapientiam, quam ſequitur, Deo bene iuuante, conſequetur.*

RATIONALIS Philosophiæ Habitus & Partes.

CAP. I.

1 PHILOSOPHIAM non vna ratione prisci *a* Philosophi partiti sunt. Quidā angustè, ac presse accipientes vim nominis, amore sapientiæ sapientiam ipsam, idest solam Mathematicam, Physicam, Metaphysicam, intellexerunt. Alij rem latiùs extendentes, tres item faciūt Philosophiæ partes, vnam, quę rationem instruat de arte ratiocinandi, alteram, quæ de natura disserat, tertiam, quæ de moribus. Et hæc mihi diuisio nunc pro meis thesibus exponendis commoda est.

a S. Aug. ex doctrina Platonis l. 8. de Ciu. Dei. c. 4. Lact. l. 3. c. 13. Alcinous in l. de doctrina Platonis.

2 Primam partem Philosophiam rationalem appellant, non quia hæc sola ratione vtatur, etenim nullus est mentis habitus, a quo nō sint mentis operationes: sed quia pro ea vi, quam humana mens habet, suas operationes in se reflectendi, ratione vtitur, in ipsis operibus rationis dirigendis.

3 Alteram partem de natura appellant, & hæc illa est, quæ vnica, & sola dicitur Philosophia, tributa in *b* partes tres, Mathematicam, Physicam, Metaphysicam. Facta est à natura appellatio, non quia ea vniuersa de natura sit, sed quia potior huius pars, quamuis non nobilior, de natura est, & vniuersa à lumine naturali est, ex certis demonstrationibus veram, ac propriam scientiam adepto.

b Ex Arist. lib. 2. Phys. & Peripateticis cōmuniter.

4 Tertia de morum honestate est, *c* hominemq; docet humana officia, qui secum ipse agat, seq; ipse qua ratione componat, vt non peccet, quem se gerat cum alijs, siue inter Ciues ciuis agat, siue magistratum gerat, siue familiæ præsit: Hominem, vno verbo, humanitatem docet.

c Ex Aristot. lib. 1. Ethic. c. 3. & sæpè alibi.

5 Iam quòd ad primam spectat, non vno semper nomine hæc dicta est, nec pariter eędem eius partes semper assignatæ sunt. Etenim, quia vnum cōmune est apud Græcos orationis, & rationis *a* nomē, facultatem hanc, à ratione dictam, quasi eadem ab oratione diceretur, ad Grammaticā, Rhetoricā, Poeticam, Dialecticam, ampliarunt. Pressius alij, sola Dialectica constare hanc partem, voluerunt, sed Dialecticæ nomine facultatem, quæ ratione in vtranq; partem versatili vtitur, intellexerunt.

a λόγος

6 Ego, quia huic facultati, vt dixi, ratio, nō oratio nomen imposuit, & quia huic præ ceteris imposuit, quæ est de ratione, ad scientias acquirendas dirigenda, arbitror, rationalis Philosophiæ nomine solam Logicam esse dignam, quam Aristoteles potissimum in priori, ac posteriori Analysi complexus est.

7 Numquam hæc ab Aristotele Dialectica dicta est, nec enim methodū tradit probabiliter disserendi, quod præstat Dialectica, sed verè, perfectèq; demonstrandi, quòd munus est scientiarum instrumenti. Logicam verò cū dico, ne mihi in nomine vim facias, nec illas intelligas rationes, quas alicubi *b* Aristoteles Logicas, idest probabiles, appellat, sed eam intellige, quam nunc passim latini Logicam vocant.

b L. 1. Post te. 36. vel 153. l. 3. Phy. t. 40. lib. 8. te. 70.

8 Organum eadem dicitur, & hanc nunc vulgo pręfert inscriptionem, ex antiquis *c* interpretibus acceptam. Est verò nomē accommodatum rei, cuius videlicet munus est, organa, & instrumenta fabricare, ad scientiarum acquisitionem accommodata. Nec verò naturalia, quibuscū nascimur, instrumenta parum hæc expolit, quæ naturæ artem adiungit.

c Ammonios Præf. in Prædicamenta.

9 Errant verò, qui facultatis *d* nomen eidem huic nostræ aptari rentur, & facultatem eam esse aiunt, quę de quacunque re proposita, non minus callidè, quam copiosè, disputat. Erroris origo est, quia, quam nunc logicam dicimus, cum ea, quę olim Dialectica dicta est, malè confundunt.

d δύναμιν

10 Cōcludo igitur, rationalis Philosophię nomine, aut solam, aut primā dici logicam, idest mentis habitum, quo mentis operationes, ne aberrent in scientijs perquirendis, quasi manu ducuntur, & consequenter ad vnum, certumque finem, vbi scientia sita est, recta perueniunt.

11 Libri, qui nunc ad hanc Philosophiam spectare vulgo creduntur, sunt, ex Aristotelis operibus, liber prędicamentorum, duo de interpretatione, totidem de priori, itemque duo de posteriori resolutione. His adiecta sunt opuscula auctorum doctrinę non semper improbę, Porphyrij, & Gilberti Porretani, quorum primus de prędicabilibus summam ex Aristotele confecit, alter de sex principijs, vt nihil ex prędicamentorum doctrina desideraretur.

12 Ego, quod ad Porphyrium, & gilbertum attinet, censeo, nullam legitimam logicæ partem his libellis contineri, neutriusque operam fuisse, ad logicam capessendam, necessariam, vtilem tamen fuisse, vt ad eandem via patentior, ac planior aperiretur.

13 Idem non *e* nemo arbitratur de libro prædicamentorum, quem ego esse Aristotelis, ex tot græcorum interpretum auctoritate, non dubito, videlicet

e Balduinus in quæsitis Log.

licet

licet nullam in eo logicæ partem contineri,ſed ad logicam viam fieri. Placet magis,ſequi ſententiam Græcorum,Latinorumque,fermè communem,eſſe hanc logicæ partem,prout in ea operationum intellectus materia,ne quis in apprehendendo,iudicando,argumentando ex ea erret, continetur.

14 Neq; verò hanc materiam logicus metaphyſico præripit, nam diuerſa eſt eiuſdem rei huius,eiuſq; tractatio,dum logicus rudi,ac pingui,vt dicitur, minerua, non tam ad rerum cognitionem, quam ordinis, metaphyſicus ex profeſſo,pro rerum naturis inſpiciendis,tractat.

15 De libris perihermenias,priorum,ac poſteriorum reſolutionum, multò certior ſententia eſt,conſtare his logicæ partes,quæ, dum de operationibus intellectus differit, ſingulas proſequatur neceſſe eſt, & verò ſingulas perſequitur his libris,quantum ad ſciendi methodum ſit ſatis; nam de enũciatione agitur in libris perihermenias, in reliquis de diſcurſu, vel ratione formæ, vel ratione materiæ,vel prout ex apto medio procedit, quod in pluribus definitio eſt.

16 Libros item Topicorũ,& Elenchorum, *a* Adraſtus Aphrodiſæus logicæ inſeruire ait ijſq; locum aſſignat poſt librum prædicamẽtorũ.Sed placet magis *b* aliorũ ſententia,nihil hos ad eam diſciplinam facere,quam nunc logicæ nomine appellamus, ideſt perfectorum ſcientiæ inſtrumentorum artificem. Sed non propterea nego, aliquid conferre hos libros ad logicam vtilitatis.

a Apud ſimplicium Præf. in Prædicamẽta.
b Ammon. ſimpl. Phil. aliorũ.

17 Sed de definitione, inquies, an non iuſtum volumen edi ab Ariſtotele decuit,quæ tantum habet in ſcientijs capeſſendis vſum,ac neceſſitatem? Reſpondent *c* aliqui, ſcriptum opus iniuria temporum interijſſe. Alij ſatis dictum volunt de definitione in *d* Topicis. Ego à libris logicis, quos enumeraui, non egredior, & abundè de definitione dictum puto in libris poſteriorum,nec mancam, ac debilem eſſe logicam, etiamſi nulla ſuperſit ſeparata, de definitione,diſputatio.

c Colligunt ex laertio in vita Ariſt. vbi recenſet Ariſt. opera.
d Lib. 6.

18 Iam vero, quia commune eſt habitibus, qui ad materiam, circa quam ſunt,referuntur,vt ex eadem materia cognoſcantur; Logicæ natura rimanda eſt ex obiecto,de quo,& ad quod eſt. Mirum verò eſt,quantas hic noſtrates Phyloſophi tragœdias excitẽt. Ego ne cũ illis agam,qui amant de nomine quæſtiones, & quia ſeſe hæc prima offert in his concluſionibus de obiecto ſcientiarum quæſtio,hoc facio obiecti examen in vniuerſum.

19 Subiectum dicitur idem *e* aliquando,quod hic nos obiectum,ſed ambiguum vocabulum eſt, ne ſubiectum logicæ quis afferat, eſſe intellectum, in quo videlicet is,& reliqui mentales habitus,inſunt.Obiectum *f* eſt materia, quæ obijcitur, quæ ipſa ſecundum ſe rationem habet obiecti materialis, ſub ea verò ſpeciali ratione,qua tractatur à logica, prout hæc diſtinguitur à reliquis facultatibus,obiectum formale eſt.

e Ariſt. p. poſt t. 42. vel 178.
f Colligit hanc diſtinctionẽ ex Ariſt. Auerroes 1. poſt Cõm. 43. explicat clarius D. Th. 1. p. q. 1. art. 3. in corp.

20 Tam materiale, quã formale obiectum, & in logica,& in quauis alia facultate aſſignandum eſt adæquatum, quod nimirum,nec ſcientiæ latitudinem excedat, nec excedatur à ſcientia; In quo ſanè aliqui errarunt, obiecti partem pro integro obiecto logicæ tribuentes: Alij in aliud extremum

abiere, ea, quæ obiecti rationem propriam non habent, vt obiecti species, recensentes.

21 Ad adæquati verò obiecti partitionem, & partium conditiones fiunt illę diuisiones, quibus obiectum aliud totale dicitur, aliud partiale, principale aliud, aliud minus principale; Cumq; à principali sæpè fiant librorum, ac facultatum inscriptiones, hic etiam cauendum est, ne hoc pro totali accipiatur. Nec enim idem est semper principale, ac totale.

22 In hac item controuersia de logicæ obiecto multa incidunt, quæ logica minimè sunt. Etenim ad quæstionem dijudicandam, vbi alij contendunt, esse ens rationis, alij esse ipsas reales operationes intellectus, quę duo sunt pręcipua dissidentium sententiarum capita, non est ignorandum, quid sit ens rationis, quid, & quotuplex intellectus operatio. De ente tamen rationis quid sentiam, reijcio in sequentem *a* librum: Hæc de operationibus intellectus pręmitto, quæ hic sunt ad rem nostram magis.

a Cap. 45.

23 Intellectus operatio est actio facultatis intellectiuæ, quæ tam in nobis, quam in Angelis, dicit aliquid, à facultate distinctum. Numerantur vulgo tres, prima cum aliquid simpliciter apprehenditur; altera, cum iudicando aliquid affirmatur, vel negatur; tertia cum ex rebus præiudicatis nouum iudicium fit, per illationem.

24 Distinguit *b* Aristoteles primam, in qua nulla est compositio, à secunda, in qua, inquit, quædam iam est compositio conceptuum, tanquam vnũ existentium. De tertia verò, an sit distincta à secunda, idest, an sit nouum operationis genus, & non sola multiplicatio iudiciorum, quicquid non nemo sentiat, mihi certa est pars affirmatiua, vt dicam *c* infrà.

b Lib. 3. *de Anima te.* 21.

c Hoc eodem lib. c. 5.

25 His veluti fundamentis præiactis, ad Philosophos, qui toto nisu contendunt, ens rationis obiectum esse logicæ: Ad eos, qui malunt esse res omnes: Ad alios deniq; qui propugnant esse nomina, & rerum terminos, aio, nihil horum mihi probari, ac licere etiam mihi sentire cum alijs, & nomine, & numero nobilibus *d* auctoribus, logicæ materiã esse tres reales operationes intellectus, diuersa tamen ratione, & singulæ in logica considerantur, & vniuersæ á Physico in libris de anima.

d Phil. Alex. Simpl. Amõ. & alijs.

26 Etenim, quod ad Physicum spectat, agit is de operationibus intellectus, quatenus à vi intelligente sunt. cumque hominem consideret, vt sui obiecti partem, & in homine animã, & in anima intellectũ, res ipsa postulat, vt operationes intueatur, quatenus à tali principio sunt: sic enim ex effectibus causa, totum ex partibus innotescit.

27 Quod verò spectat ad Logicum, quærit is instrumenta sciendi, quibus Philosophiæ auxilio sit, & hic est proprius ipsius scopus, videre, quænam nostrarum operationum ordinatio nos ad scientiam ducat. Quare in eadem cũ Physico materia versabitur, sed non eadem ratione, nimirum considerans operationes intellectus, vt apta sunt ad sciendum instrumenta.

28 Hinc verò est, vt adæquatum, & totale logicæ obiectum sit sola tertia operatio, quatenus formata in aptum sciendi instrumentum, exemplo est alijs formandis, dirigendisque in alijs scientijs: Non prætermittit

Logicus

Logicus primæ,& secundæ considerationem; Sunt enim eædem principia tertiæ, eiusdemq; facultatis est, obiecti principia considerare; sed nego tractari,vt obiecti partes.

29 Huic rei amplam fidem facit *a* Aristoteles,vbi ait:Scire autem arbitramur vnumquodque simpliciter,cum causam existimamus cognoscere,propter quam res est. Etenim, si scire est,rem per causam cognoscere, vnicum erit sciendi instrumentum, tertia operatio, quæ sola, certis præceptis, ac regulis directa, docet à notitia causarum effecta intelligere. Nec verò secunda, vel tertia, operatio habent propriam instrumenti sciendi rationem.

30 Hæc verò est vniuersæ logicæ descriptio in suo obiecto tractando. Agitur primum de vniuersali materia operationum in libro Prædicamentorum, cuius obiectum sunt res, in prędicamentali serie dispositæ,ruditerque consideratæ. Agitur de prima, & secunda operatione in libris Perihermenias, tanquam de principijs tertiæ. Agitur de forma tertiæ operationis in libris Priorum. De materia eiusdem, deq; perfecta demonstratione in libris Posteriorũ. Vsque adeo nihil propè diuinum Aristotelis ingenium latuit, quod expoliendo scientiarum instrumento deseruiat. Sed restat adhuc videndum genus habitus huius philosophiæ partis.

31 Inter habitus,quos *b* Aristoteles in Ethicis numerat,Logica nõ habet locũ,si traditas ibi ab Arist.definitiones sequi volumus.Etenim *c* Prudentia nõ est,cum non faciat hominem,simpliciter bonum, sed secundũ quid. Sapientia non est, cum non versetur circa primas causas, dignissimamque materiam.Intellectus non est,cum non sita sit in solis iudicijs,per se notis. Sed neque Ars est,quia non est effectiua. Neq; scientia,quia non est gratia sui.

32 An sit Philosophię pars,pendet iudicium à Philosophiæ acceptione. Etenim,sicut aliquando artes mechanicę à *d* Platone sapiẽtiæ dictæ sunt,sic amor sapientiæ ad plures facultates potest extendi;& hac ratione Logica Philosophiæ pars, & dicta est ab *e* antiquis, & à me dicitur. Sed si Philosophiæ nomen sumatur pressius, pro vera, & propria scientia, cum Logica scientia non sit,nec item erit Philosophia.

33 Non est tamen propterea negandum,quin Logica sit habitus certus, & euidens. Nam,si ex hac parte deficeret,vereor,vt vllam certitudinem,& euidentiam sciẽtiæ, quibus Logica seruit,sint habiturę. Et quidem,si certitudo, & euidentia ad scientiam satis est,logica scientia dici potest. Sed,eas solum conditiones satis esse, non probo.

34 Sed cum logica nec scientia sit,nec ars propriè;ad scientiam tamen, artemue reduci aliqua ratione possit; quæritur, an ad scientiam propius accedat,quam ad artem,vel contra.Sentio,pro diuersa consideratione,vtrunque dici posse. Siquidem qua logica actiua est in alterius gratiam, ad artem accedit, qua verò non dirigit praxes, sed speculationes, scientiæ finitima videtur.

35 Deniq;, vt natura huius habitus constet, *f* aio,esse habitum intellectus, instrumentarium,eorum instrumentorum effectiuum,quæ scientijs vsui sint

a Lib. 1. post. t. 5. vel 7.

b Lib. 6. Ethic. initio.

c Ex rationibus horum habituum proprijs, ab Arist. assignatis, cit. lib. 6. Ethic.

d In Theage velde sapiẽtia.

e Locis citatis hoc cap. 1.

f Ex sententia Alex. in 1. top. Ammon. in

Porphyr. Simplic. in prædicam. & aliorũ plurium.

ad verum,& proprium ſcientiæ vſum,qui eſt,rem per cauſam cognoſcere,& in ſpeculatiuis rectè diſcurrere. Omnis naturalis habitus ex genere ſuo inſtrumentum eſt potentiæ,& animæ;ſed hic propria quadam ratione inſtrumentum,ſeù inſtrumentarius dicitur ab opere,quod præſtat. Hæc verò addo in gratiam *a* cuiuſdam, qui valdè ſe ſollicitum in eo præbet,an logica inſtrumentum dici poſſit.

a Baldu. Quæſito Log. 1.

36 An hic ipſe dicẽdus ſit habitus ſpeculatiuus,an practicus,arbitror,pendere à ſuperiori definitione,an ſit aliquis ex quinq; illis habitibus,ab *b* Ariſt. aſſignatis. Etenim, cum in eorum numero non ſit, ſicut nec alij plures imperfecti,fides humana, opinio, &c. ſentio,logicam,nec propriè ſpeculatiuã, nec propriè practicam eſſe dicendam, ad practicos verò habitus,vel ad ſpeculatiuos accedere propè, pro diuerſa conſideratione, vt modò de acceſſu ad ſcientiam,& artem,dictum eſt.

b Lib. 5. Eth.

37 Iam quod ſpectat ad partes, *c* Antiqua eſt logicæ partitio,quãuis diuerſis vocabulis,à Græcis,& à Latinis tradita,in Docentẽ,& Vtentem,vt hi appellant,vel in à rebus auulſam,& rebus applicatam,vt illi. Nec video,cur eã *d* aliquis reſpuat;Etenim vtrumq; munus logica exequitur,docens,qui ſciẽdi inſtrumenta conficiantur,ijſdemq; vtens,cum ſeruit adminiſtra ſcientijs.

c Ex Auerr. in 1. Phyſ. cõ. 36. Aleſi. 7. meta. t. 2. D. Tho. 4. meta. lect. 4.
d Bal. quæ ſit 1.

38 Hæc verò eſt,& nõ alia huius partitionis ratio,quam modo *e* attuli; nec enim *f* ij placent,qui,docẽtem eã eſſe volunt,quæ de inſtrumentis cõficiendis docet,vtẽtem verò,quæ in ſciẽtijs diſputat ex probabilibus. Etenim hoc ſecundum nulla ratione ad Logicam ſpectat,ſed vel ad Topicam, ſeu Dialecticam;vel ex perceptis ſemel logicæ preceptis,ad lumen naturale.

e Ex D. Th. 4. Meta. lect. 4.
f Scot. q. 1. de Vniuerſ. Fonſecal. 2. Meta. c. 3. q. 1. Sect. 6.

39 Nihilo meliùs partiũtur *g* alij,qui,vtentem logicam eam eſſe,volũt,quę ea ipſa probat,quæ docens docuit. Nam quid tãdem eſt docere,niſi dictorũ cauſas reddere?hoc verò ipſum probare eſt;igitur ea ipſa probat,quę docet; vel ſi ipſa non probat, nihil ipſa docet. Quare neceſſe demum erit, dicere, vel nullam eſſe vtentem,vel vnam docentem,quæ eadem vtatur.

g Aleſ. 7. Met. t. 2. Storel. de inuent. Logicæ

40 Diuiſio item logicæ,in artem veterem,& artem nouam,facta eſt,eamq; *h* nonnulli in ſuis commentarijs elegerunt. Ars vetus complectitur librum prædicamentorum,& duos libros perihermenias;noua duos priorum, totidem poſteriorum analyticorum. Diuiſionis ratio,quod in veteri veterum labor conſtitit, in noua Ariſtotelis in primis induſtria deſudauit,diciq; is poteſt huius partis *i* auctor, & inuentor.

h Burl. Ant. And. DD. Louan. & alij.

i Vt ipſemet habet l. 2. Elẽch. c. vltimo.

41 Aliter etiam *k* Auerroes eãdem facultatem diuiſit, ideſt in vniuerſalem, & particularem; ſed eadem eſt hæc diuiſio,atq; illa; in vtentem,ac docẽtem, quæ enim ſunt docentis partes,eædem vniuerſalis;quæ vtentis, eædem particularis,ſeu vniuerſalis,applicatę. Alij aliter interpretantur,nec repugno,vt vniuerſalis dicatur,quę de argumentatione eſt in vniuerſum,ratione formæ; particularis verò,quę eſt de eadem,in ea particulari materia, quę demõſtrationis perfectę propria eſt.

k 1. Phyſ. Cõ. 15. & alibi.

42 Dici deniq; poteſt logica,alia naturalis, alia artificialis; altera à natura, altera ab arte,vtraq; a ſuo principio nomen inuenit. A natura eſt, quam nemo ſanus ignorat, in apprehendendo,in iudicando, in rationibus reddendis

rectè,

rectè, vel secus factorum; Ab arte verò, quæ, certa quadam methodo composita, à magistris accipitur. Vna est, eademq;, sed hæc est illa perfectior, & ab errore securior, pro ea cultura, quam naturæ ars addit.

43 Longę veterum cõtentiones fuere de Dialecticæ necessitate. *a* Sceptici eam prorsus è medio tollere, conati sunt; quid enim? inquiũt, dum syllogismus ex syllogismo trahitur, & quidem necessariò trahendus est, vt syllogismi ratio, certa ratione, constet, in infinitum res ducitur. at infinitum, vel natura, vel artes auersantur. Non placet; etiam si nomine Dialecticæ Logicam intelligeremus: artis enim processum naturæ lumen terminat, ac definit, & vt alicubi Plato pronunciasse dicitur, philosophatè philosophandum est.

44 Democritus, Antisthenes, Epicurus, logicam, seù Dialecticam, quæ illis esse tunc pro logica potuit, quasi rem futilem contempserunt; sed suo malo: Etenim, quia Dialectica caruerũt, turpiter in errores, nec sanè paucos, lapsi sunt, de quibus eos *b* Aristoteles, & Dialecticæ, & logicæ apprimè tenax, coarguit.

45 Stoici *c* sapientiores, qui Dialecticam necessariam ad sapiẽtiam, esse voluerunt, cumq; perfectam hi sapientiam reposuerunt in altissima eorum omnium cognitione, quæ actiuam, & contemplatiuam vitam necessariò comitatur, huius partem fecere Dialecticam, qua, vel ad actiuam, vel ad contemplatiuam vitam, iter sterneretur.

46 Ego verò eadem in re ità philosophor. Dialectica, prout à nostra logica distinguitur, perutilis est; Nam quãuis propter sophistarum importunitatem, atq; impudentiam, malè apud aliquos aliquando audiuerit; non est propterea ars ipsa reprehẽdenda: Amicus (inquit *d* Plato) eius diuisionum, collectionumq; sum, vt & intelligendi, & loquendi sim compos.

47 Logica, prout á Dialectica distinguitur, est ad sciẽtias percipiendas longè vtilior. Quinimò, loquendo de ingenijs secundum illam mensuram, quæ communius in hominibus reperitur, eadem, non solum perutilis, sed omnino necessaria dicenda est, videlicet, vt medium, sine quo nemo finem, quem amando sequitur, assequatur.

48 Cæterùm quia, quæ traduntur in logica artificiali, à naturali profecta sunt, nec repugnat, posse esse aliquem, tam benè munitum naturæ facultatibus, vt ea disserendi præcepta, quę, à pluribus excogitata, in vnam disciplinã collata sunt, ipse sibi suo ingenio inueniat, non audeo asserere, nulla facta hypothesi, logicam esse absolutè, ac simpliciter necessariam.

a Apud Sex. Empir.

b Lib. 1. Met. t. 8. lib. 1. Phys. to. 10. & 22.

c Ex Philop. I. p. Priorum.

d In Phædro, vel de Pulchro

Præ-

PRAEDICABILIA
CAP. II.

a In Proemio ſuæ Introd.

49 VEra ſunt illa *a* Porphyrij: Ad eam, quæ apud Ariſtotelem eſt, prædicamentorum doctrinam percipiendã, itemq; ad definitionum aſſignationem, & omninò ad ea, quę de diuiſione, ac demõſtratione ſunt, vtile eſſe, ne dicam neceſſarium, noſſe, quid ſit genus, quid differentia, quid ſpecies, quid proprium, quid accidens. In ſumma quid ſit, quod de altero prædicatur, & quomodo. Sublimiores eadem de re quæſtiones in *b* metaphyſicam reſeruo.

b Infra l. 2. c. 43.

50 Vniuerſalis eorum, quæ prædicantur, partitio hæc eſt; Vel enim de vno ſolo prædicatio eſt, vel de pluribus; Illa inutilis ad ſcientias; hæc vtilis, quæ, vel dicit eſſentiam, naturamq́;, vel naturæ adiacentia, & accidentia; ſi primum, vel integram eſſentiam, & eſt ſpecies; vel partem, poteſtate totum; & eſt genus; vel partem, à qua compars conſtituatur, ac determinetur, & eſt differentia; ſi ſecundum, vel dicit accidens, ex natura fluens, naturamque adæquatè conſequens, & eſt proprium, vel quod ſit a principio extrinſeco, naturamq́;, vel excedat, vel excedatur, & dicitur accidens commune.

51 Diſtinctio autem inter hæc eſt in prædicationis modo: Etenim prædicandi modus ſequitur modum eſſendi, ergo cum habeãt eſſe diſtinctum, non vna erit prædicationis regula. In quid, dicitur, quod eſt eſſentia; in quale quid, quod eſt eſſentiæ complementum; in quale, quod eſſentiæ accidit. Nec verò admodum repugnabo, ſi ex his tribus triplex feceris prędicabile.

c Ex cõi Peripat. ſentẽtia, quæ eã, ab antiquis traditã, ſemp retinuit.

52 *c* Aptior tamen diſtributio eſt in illa quinq; capita; Etenim neq; ita breuis eſt, vt aliquam faciat obſcuritatem, neq; ita diſtincta in partes, vt ipſo numero diſtinctio perturbetur. Neq; verò denegauerim, poſſe hæc eadem prędicabilia diuidi in multò plura, & ſanè certa cum ratione, ſed nego, fieri æquè aptè.

53 Ge-

53 Genus est, quod de pluribus, & differentibus specie in eo quod quid est, prædicatur; quæ non propriè definitio, sed apta descriptio est. Primum verò hoc ponitur prædicabilium; nam quamuis sit pars speciei, habet tamen, vt notant *a* Ammonius, & Boetius, quandam rationem totius, per quã in species diuiditur, tanquam in sui partes, & prius est, quam species.

54 Intellige autem prædicari genus, non solum de pluribus, differentibus specie, sed consequenter etiam de pluribus, differentibus numero, ex *b* Aristotelica regula: Quando alterum de altero prædicatur, vt de subiecto, quæcunque de eo, quod prædicatur, dicuntur, omnia etiam de subiecto dicuntur; non tamen necesse fuit, hanc particulam definitioni addere.

55 Item, vbi genus dicitur, prædicari in quid, quia hoc, absolutè prolatum, vt benè *c* Caietanus animaduertit, & completè, & incompletè accipi potest, intellige accommodatè ad genus, quod non est completa rei quidditas, sed incompleta; quidditas tamen dicitur, quasi completa, ob eandem illam rationem, quia cum sit actu pars, est potestate, ac in confuso totum.

56 Species duplici descriptione, vtraq; ex *d* Aristotelis doctrina, explicata est à *e* Porphyrio; Prima est, qua dicitur, quę sub genere ponitur, & de qua genus in eo quod quid est, prædicatur. Altera, qua dicitur, esse, quæ de pluribus, & differentibus numero in eo, quod quid est, prædicatur. Prima omnibus speciebus communis est, hæc posterior soli speciei specialissimæ.

57 Etenim ea est specierum distinctio, quod aliquę, sub genere positę, species sint, eędem verò ad sua inferiora comparatæ, quia prædicantur de pluribus, differentibus specie in quid, non sint species, sed genera: Erunt igitur genera, & species, respectu diuersorum; Vndè non dicuntur absolutè species, sed subalternæ. Contrà aliæ species sunt, & prout substant generi, & prout de inferioribus prædicantur, quia prędicantur solum de pluribus, differentibus numero, & hę dicuntur specialissimæ, & infimæ, quę ita sunt species, vt non sint genera.

58 Vtraq; species, & media, seù subalterna, & infima, seù specialissima, duplicem habet respectum; ad superiora videlicet, & ad inferiora. Illa tamen duplicem habere *f* dicitur; hæc vnicum, quia illa aliter constituitur, denominaturvè per respectum ad superiora, ac per respectum ad inferiora; Hæc verò dicitur habere vnicum, quia siuè superiora respiciat, siuè inferiora, semper est species.

59 A genere ad species, per quotquot medię sunt, vsq; ad indiuidua, descẽsus fit, diuidendo, faciendoq; ex vno multitudinem. Quare, vt rectè *g* Plato monuit, in infima specie quiescendum est, ne ad infinita eatur, quę certo cõprehendi numero non possunt. Contra verò ab infima specie ad superiora genera ascensus fit, colligendo, faciendoq; ex multis vnum; Ad vnum verò summum deuenietur, quod ità sit genus, vt nullo modo species.

60 Errat *h* Porphyrius in exemplis, quę affert pro generum, specierumq; serie ob oculos collocanda: Etenim ponit rationale animal, tanquã speciem subalternam, quæ de Angelo, & homine, vt de differentibus specie, prædicetur; cum tamen infima sit species, de solis indiuiduis hominum prędicabilis.

Sed

a Vterq; cõmẽtarijs in Porph. & alij communiter.

b In ante prædicam. c. 3.

c Commentarijs in Porph.

d In Topicis et Metaphisicis.
e In sua introduct. c. 3.

f A Porph. c. de specie.

g Ex Porph. eodem cap. de specie, & habet ipse Plato in Philebo, vel de Summo Bono.

h Cap. de Specie.

Sed vel veritas in exemplis non ità exactè requiritur, vel venia danda est homini, in Aristotelis doctrina parum versato.

61 Differentię nomen ambiguum est, prout multa esse possunt, quibus vna res ab alia differt. Hinc illa *a* Porphyrij diuisio ad ambiguitatem omnem remouendam, in differentiam, communiter dictam, propriam, & proprijssimam; Hæc vltima verò est, quæ tertium dicitur prædicabile, vel, si malueris, secundum: Rectè enim post genus differentia poneretur, & ex vtroque tandem species cognosceretur.

a Cap. de differentia.

62 Hæ ipsę differentię, quę proprijssimę dicuntur, alię sunt generum diuisiuę, alię specierum constitutiuę; Vtrumq; enim differentia prętat, diuidit genus, sicut forma materiam; Oppositę verò diuersas, oppositasq; species cōstituunt, sicut diuersę formę, diuersa composita naturalia, *b* quantum hic licet, Physica metaphysicis comparare.

b Ex Aristot. lib. 5. Metaph. tex. 33.

63 Cumq; species alię medię sint, seù subalternę, aliæ (vt diximus) specialissimę, habent omnes suas differentias, quibus constituuntur, complenturq; Quare differentię, alię mediæ erunt, quæ in pluribus, specie distinctis, reperiantur, aliæ vltimo constitutiuę speciei specialissimę, quę non, nisi in numero differentibus, insint.

64 Communis descriptio, & medijs, & vltimis est illa, quam *c* Porphyrius primam affert. Differentia est, qua abundat species à genere; Ità ex Græco textu Boetius, & ad verbum; illa fortasse clarior ex interpretatione *d* Ammonij. Differentia est, qua genus à specie superatur, vel, qua species excedit genus.

c Cap. de differentia.

d In Porphyr.

65 Sed nec illę posthabendę sunt, cum dicitur: Differentia est, quę apta nata est, diuidere ea, quæ sub eodem genere sunt; competit hęc maximè diuisiuis. Item cum dicitur, qua differunt à se ea, quæ sub eodem genere sunt in eo, quod ad esse conducit, & quod quid erat esse, & quod rei pars est; Competit, & diuisiuis, & constitutiuis, sed solis medijs. Medijs item, & constitutiuis competit alia, cum dicitur ea, quę de pluribus, & differentibus specie in eo, quod quale quid est, prędicatur.

66 Dubitatur, cur in hac postrema, qua differentię notio traditur iuxtá susceptam tractationem, vt videlicet prędicationis modus cognoscatur, nihil dicatur de vltimis. Alij ignorant, an hę dentur; Alij consulto à Porphyrio prętermissas docent, quia dantur quidem, sed difficilè cognoscuntur. Neutrum placet, nec video, cur ista Porphyrij defensio suscipiatur. Quicquid ille, & quo consilio fecerit, proprius prędicationis modus huius tertij prædicabilis est, quo dicitur in quale quid de pluribus, differentibus, aut specie, aut numero, prout ipsę differentię fuerint, vel medię, vel vltimę.

67 De differentijs negatiuis, an dentur, quęsitum est. In partem affirmantem inclinat *e* Porphyrius, nec alieni ab hac doctrina videtur aliqui de schola Platonicorum. Ego cum Peripateticis, eas dari, nego. Non enim (inquit alicubi *f* Aristoteles) fieri potest, vt species eius sit, quod non est, veluti impedati, aut impennati. Ergo cùm termino negatiuo differentię traduntur, sub negatiuo intellige positiuum, quod & differre faciat, & constituat.

e Cap. de differentia.

f Lib. 1. de Part. cap. 3.

68 Pro-

68 *a* Propriũ aliquando impropriè dr̃, i. quod ſoli conuenit, ſed nec omni, nec ſemper; quod omni, & ſemper ſed nõ ſoli; quod omni, & ſoli, ſed nõ ſemper, idemq; dici de alijs coniugationibus poteſt. Proprijſſimum verò illud eſt, quod conuenit omni, ſoli, & ſemper, & hoc eſt quartum prædicabile; quæ enim minus propriè propria ſunt, melius ad quintum ſpectare dicũtur.

a Ex Porphyr. cap. de proprio.

69 Hic etiam nonnihil à ſua methodo Porphyrius defecit; debuiſſet enim, cum ſe Ariſtotelicę doctrinæ clariorem interpretẽ profiteatur, huius quarti prædicabilis proprium prędicationis modũ apta deſcriptione monſtrare; ſed idipſum innuit, vbi habet: Hæc autem, & propriè propria dicuntur, quoniam, & conuertuntur; ſi quid enim equus, hinnibile eſt, & ſi quid hinnibile eſt, equus eſt.

70 Ego verò diſtinctè magis *b* aio, Proprium, quod rei naturam neceſſariò comitatur, de ijs omnibus prædicari, vel ſpecie, vel numero differentibus, de quibus ipſa natura prædicatur, ſiuè generica, ſiuè ſpecifica ſit; prædicari autem in quale. Nec vero dubitari poteſt quin, ſicut dantur ſpecies, aliæ mediæ, aliæ ſpecialiſſimæ, item dentur propriæ ſingularum proprietates.

b Ex doctrina Ariſt. lib. 1. Topic, cap. 4.

71 Deniq; etiam accidentia de ſubiectis prædicãtur, quæ nec propria, nec neceſſaria ſunt; Prædicantur autem in quale, quia non ingrediuntur eſſentiam. Nulla eſt de his certa regula; nam per accidens inſunt, quęq; inſunt, poſſunt non ineſſe, quæ non inſunt, ineſſe; Eſt enim accidens *c* id, quod adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem.

c Ex Porphyr. cap. de Accid. & ex Ariſto. paſſim in tota Philoſ.

72 Abſentiam intellige, vel realem, vel certè per mentis conceptum, non ſolum, quo abſtrahere poſſumus à ſubiecto, ſed etiam, quo negare; Ineptè verò medicamenta conquiruntur à nonnullis, quibus, vel æthiops pellem mutet, vel coruus abijciat nigredinem. Aethiopem hi lauant, vt dicitur, atq; hunc vltimum Prædicabilium riuulum imprudenter inficiunt.

73 Si hæc ipſa prædicabilia ad inuicem comparentur, quòd *d* Porphyrius diſtinctè pręſtitit, quędam communia comperias, quędam propria. Prima comparatio eſt generis cum differentia, ſpecie, alijſque deinceps rerum prædicabilium capitibus. Sunt, quæ communia ſint, quæ propria. Commune primo eſt generi, ac differentiæ mediæ, prædicari de pluribus ſpeciebus. Secundo, vt, quæ de genere prædicantur, dicantur eadem de ſpeciebus; Ità, quæ differentijs medijs conueniunt, eadem, & ſpeciebus, per eas conſtitutis, ſeruata proportionaliter prædicationis forma. Tertio ſicut ablato genere tolluntur, quæ ſub genere ſunt, ità differentijs ſublatis.

d In ſua introduct. cap. vlt.

74 Propria vero generis ea ſunt; prædicari de pluribus, quam differentiæ prædicentur; continere poteſtate differentias, non contineri ab illis; ablatis generibus, auferri differentias, non tamen contrà; prædicari in quid, quod non conuenit differentijs; vnitatem dicere, cum dicant differentiæ multitudinem.

75 Secunda cõparatio eſt generis cum ſpecie ſpecialiſſima; Cõmune verò vtriq; eſt, tum prædicari de pluribus, tum poteſtate illa plura continere, de quibus prædicatio eſt. Proprium generis eſt, continere ſpecies, non contrà;

eſſe

esse speciebus prius, patere latius in continentia, non vnius, sed multarum specierum.

76 Tertia comparatio est generis cum proprio alicuius speciei. Commune vtriq; est, sequi naturam, cuius genus est pars, proprium affectio, deq; eadẽ natura prædicari. Differt autẽ genus à proprio, quia genus est specie prius, proprium sequitur speciem, item genus cum specie non conuertitur, proprium cõuertibile est. Sublato demum genere, quia tollitur species, tolletur pariter speciei proprietas, contrà si proprium auferas, genus in alia specie conseruabitur.

77 Quarta comparatio est generis cum accidente. Commune vnum est, prædicari de pluribus. Differentiæ verò plures numerantur, quia genus est accidente prius; illud æqualiter à suis inferioribus participatur, hoc, vel non item, vel certè non necessariò; illud prædicatur in quid de specie, hoc in quale, de indiuiduo magis, quam de specie.

78 Quinta comparatio est differentiæ mediæ cum specie. Cõmune vtriq;, est, æqualiter participari ab ijs, de quibus prædicantur, ijsq; semper adesse. Differunt, quia illa in quale quid, hęc in quid prędicatur, illa de pluribus, differentibus specie, hæc nunquam, nisi de differentibus numero. Non probo quod *a* Porphyrius addit, plures differentias vnam vltimam facere, plures verò species non vnam speciem; etenim puto, dari vltimas differentias, easque simplices.

a Citato cap. vlt. suæ introd.

79 Sexta comparatio est differentiæ cum proprio. Commune vtrique est, ęqualiter participari ab ijs, de quibus prædicãtur, conuenire semper, & omni. Differunt, si comparentur differentiæ mediæ cum proprio alicuius infimæ speciei; nam illæ dicuntur de pluribus speciebus, hoc de vna, illæ non conuertibiliter, hoc contra conuertibiliter.

80 His addo, quod Porphyrium latuit, si comparentur proprietates vnius naturæ cum differentia, eiusdem naturæ constitutiua, plura futura communia, conuenire semper, soli, omni, conuertibiliter prędicari, & æquè latè. Discrimen verò potissimum erit, quod Porphyrius neglexit, quod differentia prædicetur in quale quid, proprium simpliciter in quale.

81 Septima comparatio confert differentiam cum accidente. Commune est prædicari de pluribus, &, quia ex accidentibus quædam inseparabilia sunt, possunt illa conuenire semper, & omni, sicut differentiæ. Differunt autem, quia sæpè accidens latius patet differentia, etiamsi media sit, & ad plures species se se extendat. Differentiæ varietatem nõ recipiunt in speciebus, quas constituunt; Accidentia sępè variantur, dum, vel ex toto, vel ex parte aliqua, separantur. Denique oppositę differentię nunquam miscentur in eodem, non item accidentia.

82 Octaua cõparatio est speciei cum proprio, si speciei nomine definitionem intelligas. Commune illi est, dici cõuertibiliter cum definito, sicut proprietati cum natura, cuius est proprietas; item æqualiter participari, vel à definito, vel à singulis indiuiduis. Differunt autem, quia aliqua species sortitur naturam generis, proprium nunquam, speciesq; est proprio prior.

83 Nona

83 Nona comparatio eſt ſpeciei cum accidente. Commune vnum eſt, prędicari de pluribus, quæ ſanè communitas omnibus prędicabilibus communis eſt. Differunt in prædicationis modo; Nam ſpecies in quid, accidens in quale prædicatur, quæ differentia etiam inter ſpeciem & proprietatem notari potuit, alięq; ſimiles facilè ex ſuperioribus diſcuntur.

84 Decima comparatio, quæ item eſt in his comparationibus vltima, eſt proprij, & accidentis. Communis eſt prædicatio in quale; cumq; ſit aliquod accidens inſeparabile, nunquam ſine hoc erit ſubiectum, ſicut nec ſine ſua proprietate. Differunt autem, nec enim ab eodem principio ſunt, nec par eſt, vtriuſq; cum ſubiecto conuertibilitas, nec par vtriuſq; participatio.

PRAEDICAMENTA.

CAP. III.

85 CERTA eorum, quæ prædicantur ſeries non temerè compoſita eſt, ſed ex apta rerum diſtributione in ſua capita, & genera vniuoca ex certis prædicationis regulis, certaq; à formis denominatione, procedit. Hinc *a* Ariſtoteles ad has ipſas explicādas viam facit, vniuocorum, æquiuocorum, denominatiuorum breui explicatione, tum eorum, quę in alio ſunt, dicunturuè, vt dicendi regulæ certiores conſtent. Aequiuoca dicuntur, quorum nomen ſolum commune eſt, ſecundum nomen verò ratio ſubſtantiæ diuerſa. Vniuoca, quorum nomen commune eſt, & ſecundum nomen ſubſtantiæ ratio eadem.

a In prædicam. tract. 1. qui dicitur antepræ-dic.

86 Medium quid inter æquiuocà, & vniuoca ſunt analoga, quæ vnum quidem & ipſa nomen habent, ſecundum nomē verò ſubſtantiæ rationem, partim eandem habent, partim diuerſam. Non meminit de his *b* Ariſtoteles, quia frequens illi eſt analoga ſub æquiuocis intelligere; Re tamen vera aliqua eſt inter Analoga, & æquiuoca diſtinctio, quam ipſa Analogorum deſcriptio, communiter à Philoſophis recepta, comprehendit.

b In Antepr. cap. 1.

87 Quæ-

87 Quęſitum eſt, an in his æquiuocorum, vniuocorum, analogorum deſcriptionibus, ſola nominum notio, an ſola rerum tradatur. Neutrum placet, quicquid *a* Aegydius dicat. Res.n.explicantur, pro vt nominibus ſignificantur, ipſaq; nomina, pro vt ſunt rerum ſignificatiua. Non tamen improbo illam diſtinctionem, ad ambiguitates facilius euitandas, vt æquiuoca ęquiuocantia ſint nomina, rerum ſignificatiua; æquiuoca verò æquiuocata ſint res, nominibus ſignificatę; pariq; ratione diſtinctio eadem in vniuocis, & æquiuocis admitti poteſt.

a In cap. 1. Antepræd.

88 Cum in his nominis communitas eſſe dicitur, nomen accipe, quod verè ſit idem in materiali ſyllabarum compoſitione, in quantitate, in accentu, & ſimilibus. Cum ſubſtantiæ ratio dicitur diuerſa, vel eadem, aut media, ideſt partim eadem, partim diuerſa, intellige iuxtà nominis ſignificationem, quidquid ſit de conuenientia, vel differentia in reliquis.

89 Sed & vbi de ſubſtantiæ ratione mentio eſt, ſubſtantiam ne intelligas eã, quæ ab accidente contradiſtinguitur; Nam, & in accidentium nomine vniuocatio, æquiuocatio, analogia reperitur, quicquid contrà ſentiat *b* Caietanus, frequens.n. Philoſophis eſt, rei naturam, formam, & eſſentiam, appellare ſubſtantiam. ergo attendendum, an definitio rei, per nomen ſignificatę, eadem ſit, vel diuerſa, vel media.

b In cap. 1. Antepræd.

90 *c* Denominatiua dicuntur quæcunq; ab aliquo, differentia caſu, ſecundũ nomen habent appellationem. *d* Tria in vniuerſum ad rationem denominatiuorum requiruntur; Primum, vt res denominata, & forma denominans, conueniant in re, principaliter ſignificata, ſecundum, vt conuenientia item ſit in inchoatione nominis; tertium, vt differentia ſit in nominis deſinentia.

c Ex Ariſt. eod. ca. 1. antepręd.
d Ex Porphyr. Ammon. & alijs. cõmentar. in prædicam.

91 *e* Quæ ſunt, vel ſimplicia ſpectantur, vel complexa. Simplicia, faciunt hic ad rem noſtram; Et ex his quædam non ſunt in ſubiecto; de ſubiecto tamen prædicantur; Sunt alia, ſed non prædicantur; Alia prædicantur, & ſunt. Denique alia, nec ſunt, nec prædicantur. Subiecti nomen non vna ratione in hac partitione accipi, non nemo opinatur; Mihi videtur melius, hanc æquiuocationem non admittere, & ſemper intelligere compoſitum ſubſtantiale, ſubiectumque denominationis.

e Ex cap. 2. antepræd.

92 Prædicationis regula ea prima ponitur ab *f* Ariſtotele: In ijs, quæ eſſentialiter dicuntur de alio, quicquid dicitur de eo, quod de alio dicitur, dici ẽt de illo, de quo hoc dicitur. Habet hoc vſum plurimum in naturalibus prædicationibus formandis; Sed non tam huc reſpicit Ariſtoteles, cum nondum de argumentatione diſſerat, quam, vt ex ea doceat, qua tandem connexione ſingularia omnia ad aliquod ex decem ſummis generibus reuocentur.

f In Antepręd. cap. 3.

93 Eadem regula in vnius prædicamenti ordinatione vera eſt: Si verò ſint res diuerſorum prædicamentorum, vera item eſſe poteſt, vbi illa, quæ eſſentialiter conueniunt accidenti, de eodem ſubiecto prædicantur, de quo ipſum accidens; ſed ſub abſtractione, quæ formalis dicitur, non autem, quæ vniuerſalis, vt homo eſt doctus, doctrina eſt qualitas, ergò homo eſt qualis.

94 Secunda regula, quã idẽ *g* Ariſtoteles ad eũdẽ finẽ affert, ea eſt: Genera

g In Antepr. cap. 4.

non

non ſubalternatim poſita, diuerſas habere ſub ſe ſpecies, ac diuerſis differẽtijs diuidi, conſtituiq;. Vera autem hæc regula eſt, ſiuè ſumma genera cum ſummis generibus comparentur, ſiuè media cum medijs, ſiuè infima cum infimis, ſiuè ſumma cum medijs, media cum infimis, dũmodo non ſint eiuſdem prædicamenti.

95 Pro tertia regula etiã *a* idem habet: generum ſubalternorum poſſe eaſdem eſſe differentias; nimirum, quia ſuperiora de inferioribus pręedicantur. Ergò regulam intellige de differentia conſtitutiua generis, nõ de diuiſiua ſuperioris. Sed venio ad ipſa pręedicamenta, quę categorię a Gręcis dicta ſunt.

a In Antep. cap. 4.

96 Miratur *b* Seleucus categoriæ nomen, qua ratione, iudiciale cum ſit, ad rationalem Philoſophiam tranſlatum ſit. Sed fecit hoc, vt in alijs multis, vocabulorum inopia; ſunt enim pauciora, quam res, vndè ab accuſationum diſpoſitionibus noſtra hæc rerum diſpoſitio, ſimili non diſſimili, dicta eſt. Sũt hæ categoriæ decem, in quibus decem ſumma genera ſtatuuntur, ad quę res omnes, ideſt, quantum hic ad rem noſtram facit, vniuerſa prædicationum, argumentationumq; materia, reuocantur, Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Locus, Tempus, Actio, Paſſio, Situs, Habitus.

b Apud Dexippum l. 1. qq. in Prædicam. cap. 2.

97 De numero denario ſolicitus minimè ſum. Placuit Ariſtoteli, antiquã horum partitionem retinere; cum enimverò congruenter primùm facta fuerit; dignaq; ſit, quæ retineatur. Cęterum accidit hic, quod communiter in alijs diuiſionibus, vt ampliari, contrahiq; commodè poſſit, idq; ſi fiat, viteturque in contractione obſcuritas, in ampliatione inimica memorię prolixitas, nihil repugno.

98 Subſtantia, quę maximè propriè, ac principaliter dicitur, eſt illa, quę, neque de ſubiecto aliquo dicitur, neq; in ſubiecto eſt. Eſt hęc, quę dicitur prima ſubſtantia; Etenim ſecundæ, quamuis in ſubiecto non ſint, de ſubiecto tamen dicuntur, ideſt de prima, de qua item accidens, ſecundũ nomen, nõ aũt ſecundum rationem, vt inquit *c* Ariſtoteles, pręedicatur, ideſt denominatiuè.

c In Prædicã. ca. de ſubſtãtia

99 Ex primis ſubſtantijs nulla eſt magis ſubſtantia, quã alia, idemq; dicendum eſt, ſi comparentur ſpecies infimæ cum infimis; ſi verò primæ cum ſecundis comparentur, ſunt magis ſubſtantiæ primæ, quam ſecundæ; ſi inferiores ſpecies cum ſuperioribus, quæ inferiores ſunt, quia magis accedunt ad primas, magis item ſubſtantiæ ſunt. Et tamen veriſſimè, & vniuerſaliter de ſubſtantia dicitur, quod non ſuſcipiat magis, nec minus.

100 Subſtantiæ nihil eſt contrarium. Hoc verò non eſt ſubſtãtiæ proprijſſimũ, ſed illud magis; videlicet, quod ipſa vna, & eadem numero, ſuſceptiua ſit contrariorũ. Contraria verò intellige, nõ ſolum, quæ phyſicè inter ſe pugnant, ſed etiam, quæ moraliter; Vnde hic *d* Ariſtoteles etiam de prauo, & ſtudioſo meminit. Per ſubiectũ autẽ, intellige primũ, & quod in alio non ſit.

d In Prædicã. Cap. de ſubſtãtia.

101 Dubitatum eſt, cum ſubſtantia in primam, & ſecundam diuiditur, qualis hęc diuiſio ſit, & quod ſit diuiſum. Errat, ſi quis arbitratur, diuidi ſummũ genus; Etenim illud ſecunda ſubſtãtia eſt, neq; eius pars eſt prima, à qua, vt membrũ diuidens à diuidente, diſtinguitur. Errat pariter, ſi quis putat, diuidi ſubſtantiã, prout ab accidente cõtradiſtinguitur; Nã ad vtrã partiũ ſpe-

ctabunt differentię substantiales, modi, compositi naturalis partes?

102 Dico igitur, diuidi omne illud, quod directè ponitur in prædicamento substantiæ, & hoc illud esse, quod adęquatè distribuitur in primam, & secundam substantiam. Diuisionis verò ratio est, quod in vno consideratur substantia, in esse substantiæ vniuersalis, in altero eadem, in esse particularis, quę est vnius, eiusdemq; *a* rei distinctio à se ipsa, prout modo aliquo affecta est, eouè caret.

a Ex Alens. lib. 5. Meta. tex. 20.

103 Est ergo diuisio analoga, vbi primum analogatum est prima substantia, cui, vt dictum est, magis principaliter conuenit substantiæ ratio; secunda verò substantia, per attributionem ad primam, est analogatum minus principale; Nec verò huic rei obstat, quod secundæ substantiæ in aliqua consideratione sint priores primis; Etenim, si quod est ex hac parte considerationis huius fundamentum, erit ex alia alterius; nec illud postremum: quod nõ existentibus primis substantijs, nequeat vlla esse ex secundis.

104 Ordinatio huius primi prædicamenti, ex qua reliquæ disci possint, ea est. Ponitur pro summo genere simplicissima verę substantiæ ratio; infrà hãc, species aliqua, per differentiã constituta, qua superius genus diuiditur; differentiæ diuidentes oppositæ sunt, ad latus igitur stabunt, & sic descendet series vsq; ad singularia, differentijs vtrinq; diuidentibus positis, quibus inferiores gradus constituantur.

105 Quantitas ex quanto faciliùs cognoscitur; Ideò *b* Aristoteles à quanti diuisione eam nobis monstrat. Est verò quantum, aliud discretũ, cuius partes nullo communi termino copulantur, aliud continuum, cuius contrá partes communem habent terminum vnum. Iuxtà hanc diuisionem ea est specierum quantitatis assignatio: Discretæ sunt numerus, & oratio; continuæ linea, superficies, corpus, locus, tempus.

b In Prædicã. c. de Quanto.

106 Alia item adęquata quanti partitio est, in illud, cuius partes habent positionem ad inuicem, & aliud, cuius contrà partes talem positionem minimè habent: Ex hac verò secunda partitione non eadem cum illa prima est speciarum nota; Nam eę, in quarum partibus positio est, sunt linea, superficies, corpus, locus; Alię, in quibus non est, sunt numerus, oratio, tempus.

107 Nec enim ad eam positionem satis est partium continuitas, vel quod in ijsdem sit aliquis ordo prioris, ac posterioris, sicut est in partibus temporis; Requirunt enim communiter *c* Philosophi tria, idest, vt partes alicubi sint, vt sint continuę, vt permanentes.

c Boetius, Burlęus, Caietan⁹, & alij in c. de Quanto.

108 Quantitatis proprietates, quamuis non singulæ proprijssimæ, illę censentur, vt nihil ei contrarium sit, vt non suscipiat magis, nec minus, vt secundum eam aliquid dicatur alteri ęquale, vel inæquale. Hæc vltima magis est propria quantitatis, quam duę priores, quę s. cõmunes item substantię sunt.

109 Has verò conditiones, proprietatesvè intellige de quantitate, quæ dicitur molis; Sed quia idem quantitatis *d* nomen ad alia transfertur, quę, vel perfectione, vel virtute, quanta dicũtur, non est par harum accommodatio. Nam, si perfectio, vel virtus qualitas sit; prima, & altera proprietas non conuenit; tertia solum secundum nomen, ac metaphoram.

d Ex Simpl. Ammonio, Boetio, & alijs.

110 Lo-

110 Locus pro distincta quantitatis specie ponitur; itē oratio; Neq; hic aliqs physicè agat, vel metaphysicè; satis est logico ea, qualis qualis distinctio, ad prædicationes aptè distinguendas; quæ sanè res facit, vt reliquorum item prædicamentorum ratio habeatur, quasi distinctorum, cum non par sit omnium distinctio, nec, spectata re ipsa, distinctionis par necessitas.

111 Aliæ quantitatis proprietates recenseri potuissent, diuisibilitas in partes, infinitum in potentia, ratio mensuræ extrinsecæ, vbi prius ipsa fuerit mensurata; sed ad has digredi, vel physici, vel metaphysici est; ideò Aristoteles consultò prætermisit, & ego hic non immoror, infrà *a* de ijsdem dicturus.

112 Ad aliquid appellantur ab *b* Aristotele, quæ aliquod esse formale habent, prout ordinata ad alterum; est autem illa forma, per quam ordinantur, relatio, quæ, vt tertium prædicamētum, ab eodem ponitur, definiturq;, ab *c* Antiquis tradita descriptione per ipsa relatiua: Relatiua (inquit) sunt, quæcunq; hoc ipso, quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum. Meritò tamen de hac definitione dubitat Aristoteles, an sit relatiuorum prædicamentalium propria; Etenim conuenit etiam relatiuis alijs, quæ huic prædicamento addicta non sunt, sed vagantur per alia, quæ relatiua transcendentalia propterea dicuntur; Hęc verò ea sunt, quæ, cum non sint totaliter ad alterum, dicuntur tamen.

113 Noua igitur, magisq; propria pręd icamentalium relatiuorum descriptio afferenda fuit; ea autem est: Relatiua sunt, quorum hoc ipsum est esse, ad aliud quodammodo se habere. Non satis est, quod ad aliud dicantur, sed dici debent, quia sunt, & ad aliud tum demum esse censentur, cum in ipsa relationis forma nullum planè aliud est esse, nisi ad aliud.

114 Hinc autem est, vt vno relatiuo cognito, cognoscatur & alterū. Nam esse vnius est, quale esse alterum demonstrauerit. Addit *d* Aristoteles, definitiuam esse hanc notitiam; habet enim relatio ex suo termino speciem, ac naturam; cumq; tota ad aliud sit, nihil planè remanebit, quod ex alio non cognoscatur; vel, si relatiua disquiparantiæ sint, definitiuè intellige, idest determinatè.

115 Relationi ipsi secundum se, nihil est contrarium. Nam quomodo illi aliquid sit contrarium, inquit *e* Aristoteles, quod per se ipsum sumi non potest, sed ad alterum refertur. Contrarium tamen habere dicitur, ratione fundamenti, & termini; etenim sępè fundatur in qualitate, quæ contrarium habere potest. Pari ratione philosophandum est, cum dicitur relatio suscipere magis, & minus; solum diuersitas hac in re est, quod ad intensionem prædicamenti, vel termini, remitti relatio potest, & ad remissionem intendi.

116 Proprietas item correlatiuorum est, non ignoranda, pro aptis aliquando argumentationibus, illationibusq;, vt ad conuertentiam dicantur. Fit in hac sępè differentia casuum; nec cōuertentia verè procedit, nisi comparatio fiat cum suo formali, & adęquato correlatiuo; Quamobrem necesse est aliquandò, noua vocabula comminisci, vt res antiqua non lateat.

117 Correlatiui autem formalis, & adęquati cognoscendi *f* regula, ea esse potest; si ab vno correlatiuo circūscribantur, & cogitatione remoueantur

a Lib. 2. cap. 7. 36. & 47.
b In Prædic. c. ad aliquid.
c Inuenta, vt Boetius vult, a Platone.
d In Prædic. cap. de ad aliquid.
e In Prædic. cap. de Quāto.
f Tradita ab Aristot. eod. c. de ad aliquid

alia omnia, cum eoq; solo intelligatur, cum quo ad aliud est, & vera vtrinq; fiat conuertentia, hoc, quod remanet, est adæquata forma correlatiui; correlatiuum cum dico, ne intelligas relationis terminum. Nam per aliud inter correlatiua terminatio est, per aliud fit conuertentia, vt dicam *a* infrà.

a Lib. 2. c. 47.

118 Deniq; correlatiuorũ proprietas est, vt sint simul natura; in re quidẽ, cum sunt relatiua secundũ esse; in mente, cũ secũdum dici, vel cõcipi: Quod si ex vna parte relatio transcendentalis sit, ex altera non item, nihil repugnat, vnum in sua entitate existere, altero prius; vel remanere deficiente altero.

119 Quarto loco ponit Aristoteles prædicamentum qualitatis; Poni potuit *b* tertio, sed fortasse libuit, post secundum prædicamentum ponere relationem, quia in eo dictum fuerat, qualitatem esse id, ex quo duo dicuntur inter se ęqualia, vel inęqualia: Aequalitas verò, & inęqualitas relationes sunt; Inciderat etiam mentio de magno, & paruo, vnde visum est, nõ differre diutius id, quod fuerat indicatum. Sed susq; deq;, res tanti non est. Dr̃ qualitas ea, secundũ quam res dicũtur quales, apta est descriptio, & per quid notius.

b Vt ponit in Metaph. li. 5. cap. 14.

120 Qualitatis species ex vulgi captu examinantur; Prima est habitus, & dispositio; vtraq; est vera qualitas; habitus difficilè mobilis à subiecto, dispositio facilius, estq; ipsius habitus incohatio, ab habitu accidẽtaliter distincta, vt qualitas minus intensa ab intensiori, vt quid incohatum à perfecto.

121 Secunda species est naturalis potentia, vel impotentia. Non puto, hic laborandũ, an hę sint veræ qualitates, à natura distinctę, an vtraq; dicat quid positiuum, vel potentia positiuum, impotentia negatiuum: probabile mihi est, nihil esse distinctum à naturali constitutione rei; vt verò inter qualitatis species hic censeãtur, satis est, quod per modum qualitatum in subiecto esse intelligantur, deq; ijs in enunciationibus, illationibusq;, quasi de qualitatibus, sermo sit.

122 Tertia species est passibilis qualitas, & passio. Dicuntur passibiles qualitates, vel quia aptę sunt inferre passionem sensibus, vel quia ex aliqua passione innascuntur. Passiones sunt eędem, cum non diù permanent, passibiles verò qualitates dicuntur, cum sunt in subiecto diuturniores, & quasi per modum habitus. Hæ verò sunt, quæ in Physicis magis propriam habent rationem qualitatum, vel primarum, vel secundarum.

123 Vltima species ponitur forma, & figura. Idem hęc duo significant. Nã quamuis forma, etiã substantialis, respectu materię, habere possit aliquã rationẽ qualitatis, non tamen ità subtiliter hic Aristoteles rẽ cũ Logicis tractat. Dicitur igitur forma ipsa figurę conformatio, & hęc itẽ, an sit distincta à quãtitate, vel eius modis, nihil refert; satis est, si per modũ qualitatis prędicetur.

124 Quam quintam speciẽ facit *c* Andronicus, leuitatẽ, grauitatẽ, subtilitatem, crassitiem, benè *d* Achaicus reuocat ad quartam speciem: Sunt enim quantitatis modi in parua, aut magna materia, in rara, aut densa; possunt etiã dici passiones, quia innascuntur ex alteratione primarum qualitatum.

c Apud Simpl. in Prædicam. cap. de Quali.
d Apud eundẽ.

125 Ratio verò huius assignationis quadruplicis qualitatis, quam facit Aristoteles, & de qua non parum soliciti sunt *e* Interpretes, ad hanc vsq; diẽ, ea reddi satis congrua potest; Oĩs videlicet qualitas, qua res vtcũq; denominantur

e Simpl. Ammon. D. Tho. et alij recẽtiores.

nantur

nantur quales,aut ſpectatur in quaſi fundamento eſſendi,aut in ipſo eſſe proprio,& formali. Si primum,hæc eſt ſecunda ſpecies; ſi ſecundũ, aut ea qualitas ſpectatur,vt ens verę,certęq; entitatis,aut,vt modus entis; ſi hoc poſteriori modo,hæc eſt quarta ſpecies; ſi illo priori,aut ſpectatur in ordine ad ſubiectum,quod actuat,& hæc eſt prima ſpecies; aut in ordine ad aliud, vel in quod agat,vel ex quo naſcatur,& eſt tertia ſpecies.

126 Qualitatis autem proprietates eę notantur ab *a* Ariſtotele. Prima, vt habeat contrarium, poſitiuum intellige, quod propriè contrarium dicitur; Contrarietas verò principalior quædam eſt inter eas,quæ dicuntur qualitates primæ,quam inter alias; Nam hæ phyſicè inter ſe pugnant; ex alijs pleręq; formalem potius repugnantiam in eodem ſubiecto habent,quam actionem,qua ſe deſtruant,ac tollant.

a In prædicam. cap. de Quali.

127 Secundò conuenit qualitatibus,ſuſcipere magis,& minus; neque hæc proprietas,vt proprijſſima,accipienda eſt; conuenit enim principaliter qualitatibus primis,mox ſecundis, quæ ex primis oriuntur; Item habitibus, ac diſpoſitionibus. Neq; verò admittendum eſt, niſi ad quandam vulgarem locutionem, quaſdam qualitates ſuſcipere magis in concreto, non autem in abſtracto; formalis enim ratio intenſionis, ac remiſſionis in concreto ex ipſo abſtracto aſſignanda eſt.

128 Tertiò conuenit qualitati, vt ſicut ratione quantitatis dicuntur plura inter ſe æqualia,& inæqualia; ità ratione qualitatis dicantur plura inter ſe ſimilia,vel diſſimilia. Non ſpectat ipſa ſimilitudo ad qualitatem,ſicut nec ipſa æqualitas ad quantitatem,ſed fundamentum. Quod *b* additur, quædam ſecundum genus eſſe relatiua, quæ ſecundum ſpecies, qualitates ſunt; Ità ex *c* Simplicio intellige,vt eędem,& ſecundum genus qualitates ſint, & ſecundum ſpecies relatiuę.

b Eod. cap. de Quali.

c In eodẽ cap.

129 De reliquis prædicamentis eam hic amo breuiloquentiam, quam ipſe Ariſtoteles adamauit,cum de ijſdem ſermo mihi in *d* Phyſicis rediturus ſit. Agere eſt modus,à quo denominatur agens; Pati, à quo paſſum; vtriq; ex terminis competit,habere contrarium,vtriq; ſuſcipere magis, & minus. Situs eſt modus quidam, quo ſe partes habent in loco,in ordine ad totum, ex illis partibus integratum. Vbi eſt modus,quo ſe locatũ in loco habet. Quando modus item eſt,quo ſe aliquid temporarium habet in ordine ad tempus. Deniq; Habere eſt modus, quo ſe veſtitum habet in veſtibus.

d Lib. 2. c. 6. 8. 9. 17.

130 Hi modi,qui pro aptis prædicationibus hic explicãtur in ordine ad ſubiectũ,de quibus,abſtracti abſtractione formali,prędicantur accidentaliter, ſi à ſuis inferioribus abſtrahantur,abſtractione vniuerſali,conſtituunt ſinguli ſuam prędicamentalem ſeriem ſub vno ſummo genere, prædicanturq; de ijſdẽ in quid. Diſtinctionẽ verò alterius ab altero,ne hic exacte requiras; Nã via tãtũ fit ad eas,quas in ratiocinãdo frequẽter vſurpamus, enũciationes.

131 Prædicamenta hęc ſunt; ſequuntur alia, quæ poſtprędicamenta dicuntur, vtilia pariter ad artem diſcurrendi. Ex his ſunt oppoſita, quorum notitia, tum ad rerum prędicationes aptè diſtinguendas, tum ad vnum ex alio,per negationem, aut affirmationem inferendum, perutilis eſt; Itemque

alia nonnulla,quę propterea ab *a* Aristotele prætermissa non sunt,sed prędicamentis adiecta; sunt verò oppositorum genera quatuor; quædam enim relatiuè,alia contrariè,alia priuatiuè,alia contradictoriè opponuntur.

132 Eam communem omnibus oppositis descriptionē tradit *b* Boetius; Opposita sunt,quę in eodem, secūdum idem,in eodem tempore,circà vnā, eandemq; rem,simul esse non possunt. Placet, sed non id, quod idem addit, esse hanc definitionem vniuocam; nec enim quicquam dari potest duobus oppositis, qua opposita sunt, commune vniuoce. Non plura esse genera oppositorum, quam quatuor, sentio cum communi sensu;quæ verò fecisse dicitur *c* Archytas,oppositorum relatiuè, genera tria, spectāt ad hoc vnum, quod fecit Aristoteles.

133 Ratio huius quadrimēbris diuisionis ea est, quā *d* Caietanus adducit: Omnis enim oppositio,vel est inter entia, vel inter ens, & non ens; etenim non entia,quà se opponant,vt non entia sunt,non habent. Si dicatur hoc secundum,aut illud non ens est simpliciter tale, & hæc est oppositio contradictoria,aut non ens in alio,& est priuatiua. Si illud primum, aut est inter entia pugna,& contrarietas,aut respectus.

134 Opposita relatiuè sunt ea,quę hoc ipso, quod opposita sunt, aliorum sunt, vel quomodolibet aliter ad alterum: Distinguuntur hęc à contrarijs, quia dicuntur ad inuicem ad conuertentiam; a priuatiuis, & contradictorijs,tum ob eandem rationem, tum quia est inter duo extrema positiua, si relatio vera,ac realis vtrinq; sit.

135 Opposita contrariè sunt ea,quę,realia, ac positiua cum sint, aptaque esse in subiecto,nunquam tamen simul in eodem subiecto stāt,saltem in aliquo gradu. Duo horum genera recenset *e* Aristoteles, immediata, quandò subiectum necessariò habet vnum contrariorum;mediata verò,quandò medium quid datur inter duo extrema,& illud sine extremis in subiecto esse potest;mediū verò intellige per participationem,non autē per abnegationem.

136 Opposita priuatiuè dicuntur, quorū vnum dicit negationem alterius in subiecto apto. Quęrunt *f* aliqui; an sit inter hęc duo aliquis ordo, dubiū faciunt illa Aristotelis: Vniuersaliter autem dicere est, in quo nascitur habitus fieri,circà hoc idem dicitur, vtrunq; eorum fieri ordine. Sed Gręci interpretes de hoc ordine non meminerunt, nullusq; mihi esse videtur certus ordo; Nam,vt ex D. *g* Thom.habeo, pręcedit in aliquibus priuatio habitum, in alijs habitus priuationem.

137 Obiter Aristoteles,in explicanda oppositione priuatiua,illud pronunciat; A priuatione ad habitum nō dari regressum. Dubitat hac de re *h* Niccostratus,quō verum sit pronunciatū; Nam à priuatione ad formam motus est;quod si á forma rursus ad priuationem corruptio fit, docet quotidiana rerum vicissitudo,reditū iterum esse ad formā.Pendet huius difficultatis solutio ex multiplici habitus acceptione,de quā *i* Aristoteles;tot enim modis accipi priuatio potest;& hic accipitur pro priuatione habitus,qui inest,vt pars toti,vt manus, vel pes, inquit ille. Porrò ab his abscissis nullus est ad integritatem reditus naturaliter.

a In prædicā. tract. 3.

b Comment. in c. de oppositis.

c Apud Simpl. Com. in cap. de oppositis.

d In c. de oppositis.

e In Postpræd. cap. 1.

f Burleus, & Caiet. Com. in Postpræd.

g Lib. 8. Meta. lect. 4. & lib. 10. lect. 6.

h Apud Simpl. in cap. 1. Postpræd.

i In Postpræd. cap. vlt.

138 Quæ ſint oppoſita cõtradictoriè, affirmatiuis, & negatiuis enunciationibus, explicat Ariſtoteles; non quia in ſolis complexis contradictio reperiatur, ſed quia ipſa incomplexorum contradictio ad affirmationes, negationeſq; ordinatur, & facilius ex ijſdem explicatur. Eſt verò cõtradictio in incomplexis, quando duo ſunt termini, quorum vnus per negatiuam particulam tollit, quicquid alter eſt.

139 Multum item facit ad ratiocinandum ex arte, noſſe, quæ, ad inuicem comparata, dicantur priora, vel poſteriora. Vnum ergò prius altero dicitur multipliciter; tempore, natura, ordine, dignitate, cauſalitate. Quod eſt cauſalitate prius, eſt idem, & natura prius; ſed nõ, quicquid natura prius eſt, cauſa eſt: Dicuntur enim ſimpliciter priora natura, quando in comparatione non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia.

140 Sicut in prioritate comparatio eſt, ità in eo, quod quædam ſimul ſunt. Simul verò ſimpliciter, & proprijſſimè dicuntur, cum aliquorum generatio eſt in eodem tempore; Natura autem dicuntur illa eſſe ſimul, cum ab vno ad alterum conuertitur ſubſiſtendi conſequentia. De motu ſatis dicitur in Phyſicis. Item habendi modos diſertè habes ab *a* Ariſtotele traditos.

a In poſt prædicam. vlt.

ENVNCIATIO
CAP. IV.

141

DE enunciatione diſputat Ariſtoteles in duobus libris, quos *b* Perihermenias inſcripſit, ideſt De interpretatione; Etenim, quamuis de mentali oratione diſputatio ſit; eius tamen eſt interpres vocalis, & hinc nomen ductum eſt. Arbitratur *c* Iamblicus, eſſe hoc opus Archytæ Tarentini; Rem definire non audet; ſed dubitat *d* Andronicus Rhodius; leuibus vterq; coniecturis.

b περὶ τῆς ἑρμηνείας

c In Com. in hunc lib.

d Apud Ammonium.

142 Signa, ac notæ conceptuum animi, ſunt voces, ad huiuſmodi conceptus ſignificandos, nõ à natura inſtitutæ, vt falsò opinati ſunt *e* Pythagorei, ſed libero prudentum conſilio, ſi voces fuerint certa ratione articulatæ;

e Apud Simpl. in cap. 1. Ante præd.

Quæ enim in animalibus sunt indistinctę, atq; inarticulatę, signa sunt naturalia affectionum animæ, easdemq; homini natura dedit, vt liberæ significationis vis sit aliquando efficacior ex naturali. Sapientum verò esse dixi, vti vocibus ad res significandas; Nam hi, natura rei inspecta, sunt aptiores ad accommodata nomina distinguenda.

143 Traditur quorundam sententia, per voces, conceptuum, rerumq; significatiuas, immediatè notari res ipsas. Ego sentio, immediatè significari conceptus, &c, his medijs, res, diuersa tamen ratione; nam si voces simplices fuerint, ad earum prolationem significantur res, mediante conceptu obiectiuo audientis; contra, si fuerint complexæ, significantur res, mediante conceptu obiectiuo dicentis, posita in audiente notitia terminorum simplicium.

144 Simplex vox, cuius præcipuus vsus est in enunciatione, est nomen, & verbum. *a* Nomen est vox significatiua, secundum placitum, sine tempore, cuius nulla pars significatiua est separata. Sunt quædam finita nomina, quorum certa, definitaq; est significatio; hæc verò sunt, quæ potissimum hac descriptione comprehenduntur; Infinita quæ sunt, minus accommodatè in eadem continentur.

a Ex Arist. lib. 1. Perih. c. 2. et in Poet. c. 20.

145 Verbum, eodem *b* Aristotele auctore, dicitur item vox significatiua, ad placitum, cuius partes, separatim sumptę, nihil significāt; duo tamen habet, in quibus differt à nomine, primum, consignificare tempus, alterum, esse semper eorum, quæ de altero prædicantur, notam. hinc pariter, vt minus accommodatè contenta, remouenda sunt verba infinita.

b Eod. 1. periher. c. 3.

146 Enunciatio species quædam est orationis; Dicitur autem oratio vox significatiua, cuius partium aliqua significatiua est separata, vt dictio, sed nō vt affirmatio, vel negatio. Hic pariter intellige id, quod distinctè admonet *c* Aristoteles, significationem orationis non esse ex rei natura, sed ad placitū, scilicet, vt ab instrumento, ad id liberè instituto.

c Lib. 1. Perih. cap. 4.

147 Non quælibet oratio enunciatiua est, sed illa tantum, in qua verum, vel falsum est: quamobrem necesse semper est, vt in ea, vel verbum, vel verbi casus contineatur. Cum verò veritas in conformitate sita sit, operatio tum demum vera erit, quando id, quod in intellectu per secundam operationem componitur, aut diuiditur, respondet conformiter compositioni, aut diuisioni, quæ est in rebus ipsis.

148 Etiam quæ simplicia sunt, vera dicuntur, hoc ipso, quod sunt entia; In eo autem sensu, quo hæc passio tribuitur enunciationi, est eius propria; In prima enim operatione veritas non est, nisi quædam fundamentalis, sicut in eadem, neq; est falsitas; In secunda verò proprijssimè reperitur, dum iudicatur esse id, quod est; negatur esse id, quod non est, sicut in eadem est propriè falsitas, cum iudicium affirmatiuum, vel negatiuum, non respondet rei.

149 Est ergò veritas, quæ ex terminorum compositione, ac diuisione sequitur: & sanè ad secundam operationem talis compositio necessaria est; Nam in hoc distinguitur à prima, in qua simplicium apprehensio est. Cum autem in tali iudicio interueniant res, conceptus, voces, dubitant aliqui,

quid

quid componatur. *a* Sosigenes quidam arbitratus est,cõponi res ipsas. Hoc verò,si verum sit, mirum, si quid vnquam falsi reperiatur; Nam si vis inest intellectui componendi res; quæ composita iudicabit, illa ipsa composita in re erunt, sine vllo periculo falsitatis.

a Apud Dexippum lib. 1. in Prædicamenta cap. 3.

150 Dico igitur, in secunda operatione intellectus componi conceptus, ijsq; mediantibus,res ipsas,non in re,sed in intellectu, qui propterea verus, aut falsus dicitur,prout illa ipsa,quę,medijs cõceptibus,in se composita habet,fuerint pariter extrà intellectum composita. Compositionem hanc intellige,non solum in iudicio affirmatiuo, sed etiam in negatiuo: Dum enim, quę dicuntur,non esse in re composita,in vnam operationem vniuntur, hoc ipsum componi est.

151 Coniunctio est, vt dixi, ea, quæ exprimitur per verbum, quod propterea à logicis copula appellatur. Conceptus verò, quibus mediantibus, connectuntur ipsę res, sunt illi, quos exprimunt duo enunciationis termini, subiectum videlicet,& prędicatum. De ipso autem verbo dubitatur, an habeat, vel semper, vel aliquando,rationem prędicati. Affirmant non *b* pauci. Mihi probatur altera pars; & verò hoc est,quod satis clarè habet *c* Aristoteles,dum ait, esse notam eorum,quę prædicantur.

b Aegidius D. D. Louan. Eudemus apud Alex.

c Lib. 1. periher. c. 3.

152 Multiplex est enunciationum appellatio,à multiplici modo enunciandi,earumq; affectionum,signorumq; varietate, qua ipsa enunciatio prædita esse potest. Vniuersaliter quęcunq; detur propositio,aut affirmatiua erit, aut negatiua. Idem aliquando Aristotiles habet alijs terminis, dum affirmatiuã vocat prædicatiuam,negatiuam verò priuatiuam,illa asserit;prædicatum inesse subiecto;hæc negat.

153 Alia item propositio simplex dicitur, seù categorica, quando *d* vnum de vno prædicatur, alia composita, seù hypothetica, constans videlicet ex terminis, quibus plures propositiones conficerentur; vna tamen minimè simplex confici dicitur,quia vnum iudicium est. Quod si, dum prædicatum de subiecto dicitur, exprimitur etiam modus, quo inest, propositio dicetur modalis; contrà, si is modus non exprimitur, dicitur de inesse. Modi quatuor numerantur, necesse est, contingens est, possibile est,impossibile est.

d Vt habet Arist. lib. 2. Periher. cap. 2.

154 Directá est aliquando propositio,& naturalis,cum prædicatur, vel id, quod postulant prædicationis leges,*e* videlicet,aut superius de inferiori, aut æquale de æquali,vel id,quod leges rectę,naturalisq; illationis; Indirecta verò,& minimè naturalis dicitur,cum contra prædicati loco est, quod subijci deberet,& loco subiecti,quod prædicari.

e Ex Porph. in sua introd. c. 2.

155 Ex quantitate propositionis trimembris diuisio fit,in vniuersalem,particularem,indefinitam. Vniuersalis est,cuius subiecto adiacet communitatis signum (omne) aut (nullum) Particularis, cuius subiecto apponitur signum particulare (aliquod) (non omne,) Media inter has est, quæ dicitur indefinita,carens videlicet signo;sed,vniuersalis ne sit,an particularis,ex subiecto sæpè indicium est.

156 Ex terminorum significatione finita,vel infinita; finita item, vel infinita propositio dicitur; Infinitam verò significationem, idest nullam certam, de-

determinatamq; facit particula negatiua, subiecto, vel prædicato præposita; sed non item, si præponatur verbo, verbi locum tenenti, idest copulæ; tunc enim ex finitis terminis finita erit propositio, sed negatiua.

157 Ex materia dicitur propositio, vel necessaria, vel contingens; quamuis de inesse fuerit, & non modalis; necessaria est, dum dicitur inesse, quod subiecto conuenit necessariò; contingens autem, dum dicitur inesse, quod contingit inesse aliquandò, aliquandò item non inesse, siuè frequentius insit, siuè rarius.

158 Habent enunciationes suam qualitatem, & quantitatem. Qualitas in affirmatione, & negatione à logicis spectatur; quantitas in eo, quod eadem vniuersalis, vel particularis fuerit. Cum ratione qualitatis duplex sit propositio, vna affirmatiua, altera negatiua; cumq; ratione quantitatis sit item duplex, alia vniuersalis, alia particularis; si in singulis quantitas, & qualitas consideretur, conferanturq;, multiplicem hinc habebimus oppositionem.

159 Si vniuersalis affirmatiua cum vniuersali negatiua in ijsdem terminis comparetur, in sola qualitate pugna est, & dicitur contrarietas; Huius non omninò absimilis est, si particularis affirmatiua cum particulari negatiua conferatur, dicitur verò sub contrarietate contrarietas.

160 Vniuersalis affirmatiua cum particulari negatiua collata, pugnat in qualitate, & quantitate; Item vniuersalis negatiua cum particulari affirmatiua pariter pugnat; Dicitur verò inter has contradictio; nam quod vna ex his ponit, altera penitus tollit, iudicijs omninò dissentientibus.

161 Particularis affirmatiua, posita sub vniuersali affirmatiua, subalterna dicitur; varietas est in sola quantitate, quæ non semper pugna est. Item subalternatio erit, si sub vniuersali negatiua particularis negatiua collocetur. His autem omnibus rationibus oppositæ, seù dispositæ enunciationes, non semper in veritate, & falsitate opponuntur; Hæc enim non solum ex quantitate, & qualitate enunciationum pendet, sed maximè etiam ex materia, si ea, vel necessaria fuerit, vel contingens.

162 Contrariæ illud habent, vt possint esse simul falsæ, nunquam autem simul veræ: Subcontrariæ possunt esse simul veræ, nunquam autem simul falsæ; Contradictoriæ nunquam erunt simul veræ, nec verò vnquam simul falsæ, sed communiter altera vera erit, altera falsa: Communiter, inquam; nam de futuris contingentibus [a] aliquid mox dicam. Deniq; subalternæ sunt, vt plurimum, simul veræ, & ex vna ad aliam rectus discursus est; pro materiæ tamen diuersitate, aliquandò altera vera est, altera falsa, aliquandò vtraque falsa.

[a] *Hoc eodem cap.*

163 Quæ de propositionibus absolutis dicta modò sunt, aptantur suo modo modalibus. Vniuersali affirmatiuæ respondet ea, cui modus est (necesse) vniuersali negatiuæ altera, cui modus sit (impossibile) particulari affirmatiuæ, illa, cui modus est (possibile) deniq; particulari negatiuæ, cui sit modus (contingens.) Confer, & facilè inter has easdem oppositiones adinuenies, quin etiam in vno, eodemq; modo. Sed non opus est, res minutas, & rarò in vsu positas, minutè prosequi. Habenda est hæc gratia nostratibus Philosophis, qui, dum

dum disputant, malunt, diligentius examinare res, quam cauillari in verbis.

164 De futuro enunciatur quandoq; in materia non necessaria, sed contingente; Si ergo de subiecto singulari contradictio in affirmatione vnius, & negatione alterius fuerit, dubiæ quæstionis a Aristoteli visum est, an contradictionis altera pars vera dicenda sit, altera falsa. Annuis, vbi veniat in mentem contradictionis natura; Etenim necesse est, vnumquodq; esse, aut non esse, & verò hæc est Aristotelis sententia, quam & ego tueor.

a Lib. 1. Perih. Cap. 6.

165 Neq; tamen omnia propterea euenire necessariò, dicendum est, nihil à casu, nihil à fortuna appellari, nihil à libera hominis facultate proficisci. Duplex. n. est necessitatis genus, quod b Aristoteles distinctè tradidit: Aliud ex suppositione, quo modo necesse est, inquit, quod est, quādò est, esse, & quod non est, quandò non est, non esse: Aliud simpliciter, quod ab alterius positione non pendet. Vbi ergò dictarum enunciationum altera vera dicitur, altera falsa, neutra dicitur simpliciter necessaria, sed solum, posita libera agentis determinatione, vel causa necessaria, quam poni, necesse non est.

b eodem Cap. 6. Li. 1. Perih.

166 Quid, quod etiam, vbi de causa libera enunciantur contradictoriè futura contingentia, non solum alicuius partis veritas est, alicuius falsitas, sed determinatè huius veritas, alterius falsitas? Hoc item verum est, etiamsi determinationem in causa nondum intelligas; Etenim ad alterutram partium se se ea liberè determinabit, & nunc illa pars determinatè vera est, ad quam se se ea determinabit. An non alterutra partium aliquando determinatè dicetur de præsenti? Ex præsenti verò mensura futuri desumitur.

167 Datur æquiualens propositioni propositio, fitq; ex vna in alteram cōuersio. Visum est, aliquid hac etiam de re adijcere, ex minuta, fateor, diligentia, sed non ex inutili; plurimum. n. facit ad discursus rectitudinem, vel, vbi de præmissis iudicium est, vel, vbi de consecutione nosse, quæ enunciatio enunciationi æquiualeat, quandò à conuersa ad conuertentem, vel è contra ire, ac redire rectus discursus possit.

168 Contradictoriæ igitur fiunt æquipollentes, addita vni ex illis particula negatiua antè signum, vel antè modum; Contrariæ, & subcontrariæ, posita negatione post signum, aut post modum; Subalternæ verò, duplici negatione addita, altera antè signum, vel modum, altera post.

169 Propositionū conuersio est, quando termini transmutantur, translato in subiectum prædicato, subiecto in prædicatum; Fit autem, auctore c Aristotele, dupliciter; vt nostrates volunt, tripliciter; primò simpliciter, seù in terminis, quandò, tam in propositione conuertente, quam in conuersa, serua tur eadem qualitas, & quantitas; secundò in parte, cum remanet in propositione conuertente eadem qualitas, quæ fuerat in conuersa, facta tamen mu tatione quantitatis; tertiò per contrapositionem, cum termini propositionis conuersæ finiti, fiunt in conuertente infiniti.

c Lib. 1. Prior. Cap. 2. & 3.

170 Porrò vniuersalis affirmatiua dupliciter conuertitur, idest in parte, & per contrapositionē; vniuersalis negatiua itē dupliciter, simpliciter, & in parte; particularis affirmatiua, vnica ratione simpliciter; item particularis negatiua vnica ratione per contrapositionem. Vera hæc sunt in propositionibus,

traditis per verbum præsens; sed ne dicipiaris in casibus verbi, quæ de futuro, vel præterito enunciantur, refer ad verbum præsens.

SYLLOGISMVS
CAP. V.

171 QVAE sit syllogismi natura, aptè describit *a* Aristoteles, quāuis subobscurè, vt altius in Democriteo puteo lateat sapientia: Est, inquit, oratio, in qua, quibusdam positis, aliud quiddā ab his, quæ posita sunt, ex necessitate accidit, eo quod hæc sunt. Quæ ponuntur, duæ sunt enunciationes; id verò, quod necesse est sequi, est illatio, quæ, datis pręmissis, necessariò danda est, vbi recta fuerit constructio, collocatioq; terminorum.

a Lib. 1. Prior. Cap. 1.

172 Tres omninò termini, nec plures, nec pauciores, ad syllogismi fabricam, necessarij sunt; sed singuli, bis positi; vnus, qui medius terminus dicitur, nullum habet in illatione locū, sed solum in præmissis; alij duo, ex quibus alter maior extremitas, alter minor appellatur, suam sibi vindicant in præmissis sedem, vnus in vna, alter in altera, & vterq; simul in consequentia.

173 Ex medio termino triplex agnoscitur syllogismorum figuratio; Etenim, cum in solis præmissis collocatur; vel in earum altera pro subiecto est, & in altera pro prædicato, & hæc dicitur prima figura; vel in vtraq; pro prædicato est, & hęc dicitur secunda; vel in vtraq; pro subiecto est, & dicitur tertia. Maius extremum, si naturaliter ex præmissis conclusio deducatur, in ea prædicatum erit, & minus extremum subiectum.

174 Neq; verò satis hæc sunt, pro consecutionis proba deductione, sed certi sunt in singulis figuris modi, in quibus, præter trium terminorum aptā collo-

collocationem, ad præmiſſarum quantitatem, qualitatemq; attendendum eſt, & ex ijſdem certa eſſe debet ipſius conſequentis qualitas, & quantitas. Hoc habent verſus decantati ſatis, ſed nunquam ſatis pro artificio laudati: Barbara, Celarent &c.

175 Nec verò neceſſe eſt, regulas vllas tradere pro bonis conſequentijs agnoſcendis. Dictiones inſpice, regulam certam habes. Sunt autem ex argumentationibus, etiam perfectis, aliæ alijs patentiores, ad aſſenſum extorquendum; Vbi quis hęreat, de conſequentiæ euidentia parum tutus, dabunt ijdem verſus modum reuocandi minus euidentem argumẽtationem ad certiorem.

176 De his ſyllogiſmorum figuris tertiam detrahere conatus eſt, non ignobilis *a* Grammaticus; ait, minus illam bellè procedere, parum artificiosè cõcludere, quin etiam innaturaliter. Illud eſt argumento, quod ea vulgares homines non vtantur. Mihi hæc detractio non probatur, cui certum eſt, tertiam figuram, & neceſſariò concludere, ſicut reliquas, & ſanè naturaliter, cum in ea maior extremitas de minori prædicetur. Sed quid ſi non vtuntur vulgares homines? vtantur latini, neq; hoc grammaticus ægrè ferat.

a Laurentius Valla.

177 *b* Galenus neſcio quis, (neq; .n. is eſt, qui inter medicos, aut princeps, aut principi proximus eſt) tantum abeſt, vt figurarum numerum contrahere voluerit, vt ampliauerit; Tribus figuris quartam addidit, quia ſibi viſus eſt, quandam quartam medij termini diſpoſitionem adinueniſſe. Etenim, cum is in altera præmiſſarum pro ſubiecto eſt, in altera pro prædicato, aut determinatè ſubijcitur maiori extremitati, & hanc vult, eſſe primam figurã, aut de eadem extremitate prædicatur, & hanc vult, eſſe quartam, cuius ſe ipſe facit inuentorem.

b Apud Auer. Lib. 1. Prior. Cap. 8.

178 Sed neq; ipſe eſt auctor, neq; noua hac in re commẽtatione opus fuit; nouit. n. hanc figuram *c* Ariſtoteles, ſi enunciationum conuerſiones, & ex conuerſa ad conuertentem illationes non ignorauit, ipſaq; hæc facilè ad modos indirectos primæ figuræ reuocatur, vel ſi non reuocaretur, vt innaturaliter concludens, meritò poſthabita eſt ab Ariſtotele. Caue hic, ne de præmiſſis, quænam maior ſit, quæ minor, dijudices ex ordine temporis, in quo pronunciantur; nec.n. neceſſe eſt, ſemper maiorem primo loco collocari.

c Lib. 2. Prior. Cap. 1.

179 De ea, quam paulo ante attulimus, ſyllogiſmi deſcriptione, quærunt logici, ſyllogiſmo ne conueniat illatiuo, an probatiuo? ideſt ſyllogiſmo, ratione formæ, abſtrahentis à particulari materia, an certę alicui materiæ applicatæ. Placet, definiri illatiuum ſolum, ſi in hac vocabulorum ſententia ſtemus; ſed quia rectus nullus diſcurſus dabitur, qui illatiuus non ſit, & rei illatæ probatiuus, non video, eſſe hanc diſtinctionem neceſſariam.

180 Comprehenditur eadem ſyllogiſmus hypotheticus; nec. n. hypotheſis ſyllogiſticam formam perturbat. Quod verò negant alij, comprehendi eadem deſcriptione ſyllogiſmos, quorum aliqua præmiſſa ſingularis fuerit, qua id tandem ſibi ratione perſuadeant non video; Etenim rationes afferunt nullius planè ponderis, ac momenti. Aio igitur, & hunc pariter cõprehendi, cũ ex aliqua præmiſſarũ ſingulari diſcurſus, & quidẽ plures, aptè procedãt

181 Syl-

181 Syllogiſmus ſpecies eſt tertiæ operationis intellectus, quæ videlicet in diſcurſu ſita eſt; Sed non quilibet, quomodocumq; formatus, diſcurſus ſyllogiſmus dici poteſt; dantur.n. plures diſcurſus ſpecies, quas diligentius Rhetores, vel Topici, conſiderant, enthymema, exemplum, inductio, quarum argumentationum non contẽnenda vis eſt; nã ad ſyllogiſmũ facilè reuocantur.

182 Eſt autem diſcurſus, ſeù tertia operatio in genere, non cognitio vnius rei per aliam, ſeù in alia, vt *a* aliqui virtuales Dei, & Angelorum diſcurſus interpretantur; neq; cognitio vnius rei poſt aliam, vt *b* alij arbitrantur, ſed ad quem tria neceſſariò interueniunt, ideſt *c* iudiciorum pluralitas, prioritas tẽporis, cauſalitas, qua vltima ex præcedentibus ſit, non in illis, neq; poſt illa, ſed ex illis.

a Ex Scotiſtis.
b Ex Nominalibus.
c Ita D.Tho.p. parte q. 58. a. 4. cum Caietano & alijs ex eadem Familia.

183 Sed cum in tertia operatione plures ſecundæ concurrant, non propterea dicendum eſt, diſtingui ſolum ſecundam operationem à tertia, vt vnum à multis; Sed quia in ſecunda iudicium eſt de connexione prædicati cum ſubiecto, in tertia verò, præter hoc, de connexione conſequentiæ cum præmiſſis per particulam illatiuam, ergò, hinc agnoſcitur neceſſitas, diſtinguendi ab ijſdem præmiſſis conſequentiam, vt ab illis ad hunc intelligentia procurrat, facto ſimul de connexione iudicio.

184 In hoc eodem curſu præmiſſæ, à quibus intelligentia, quaſi à termino à quo, procedit, non ſolum hanc habent termini rationem, ſed etiam cauſæ, vel materialis, quia ex illis educitur conſequentia, vel inſtrumentalis, quia iudicium, quod de illis eſt, intellectum determinat ad concluſionem eliciendam; Et hęc eſt ratio, cur in hoc proceſſu terminus à quo nõ deſeratur: Eſt.n. inquit *d* Ariſtoteles, cognoſcere alia quidem prius cognoſcentem, quorumdam autem ſimul accipere notitiam.

d Primo Poſt. text.ve.l 3.

185 Sed, etiamſi in eodem intellectu ſimul ſit præmiſſarum, & conſequentiæ cognitio, ne dixeris idcirco, illarum, & huius, vnam, eandemq; eſſe; Etenim, niſi rerum notitiæ iuſtum quemdam numerum excedant, qui finitæ intelligendi virtuti proportione reſpondet, nihil repugnat, antiquis nouas aduenire, & has cum illis comparare, quod in diſcurſu neceſſariò fit.

186 Cum verò ad diſcurſum duo illa neceſſariò interueniant, ideſt præmiſſæ, & conſequentia; altercantur *e* Logici, vtrum ne ſolæ prẹmiſſæ ſint de eius eſſentia, quamuis non ſine conſequentia, an ſola conſequentia, quamuis non ſine prẹmiſſis. Odi de nomine altercationes; nulla hęc erit, ſi cõueniamus in terminis. Si diſcurſum dixeris inſtrumenta concluſionis, eius ratio in præmiſſis eſt; Si iudicium rectum illationis, vel illationem ipſam, eius ratio in conſequentia eſt.

e Niphus. Achillinus.

187 Eſt *f* Ariſtotelis pronunciatum: Omnem doctrinam, diſciplinamq; *g* diſcurſiuam, ex prẹexiſtente fieri cognitione. De diſcurſiua loquitur, quæ per perfectum diſcurſum habetur, quẹq;, ſi certẹ quẹdam conditiones non deſint, ipſa ſcientia eſt. Ponit autem hoc principium, ſcientiam dari, quod & ego aſſero contrà Anaxagoram, Xenophanem, Homerum, Heraclitum, Cratylum; qui, ſi in hoc vno ſe non habere ſcientiam, aſſeruiſſent, veram ſcientiam habuiſſent.

f Lib. 1. Poſt. initio.
g διανοητική

188 Fa-

188 Fateor, in multis vera rerum notitia nos destitui, siuè id rerum inconstantia efficiat, siuè sensuum hebetudo, siuè desidia; sed nego, distitui in omnibus; eamq;, quàm pono, nostram pono, non alienam, sicut posuisse, visi sunt Alexander, Auerroes, Auicenna, qui eam, quã nos scientiam habemus, cuidam assistenti, non informanti, intelligentię tribuerunt.

189 Nec verò eadem in nobis per reminiscentiam est; Nititur.n. hęc opinio commentitię, vt leuissimè dicam, nostrorum animorum productioni à mundi exordio, fabulosęq; trãsmigrationi de corporibus vita functorum ad corpora in vitam nascentium. Fit ergo in nobis de nouo, nostro studio, ac diligentia, non sine primę causę adiutorio; nobis inest, quia alteri parti inest, animę rationali, qua homines sumus.

190 Fit autem, vt ex Aristotele retuli, ex pręexistente cognitione. Pręcognitio dicitur prior aliqua cognitio, quę posteriorem antecedit, cum qua aliquam habeat connexionem; Hinc *a* duplex assignatur, dirigens, qua posterior dirigitur, eidemq; quodãmodò via indicatur; agens verò, quę posteriorem, non solum dirigit, sed causat.

a ex Auer. 1, Post. cõmento 1. & in epith, log. Cap. 1.

191 Quod si quis Aristotelicum idem pronunciatum voluerit extendere ad cognitiones, etiam non discursiuas, non repugno; scilicet definitio, prout prima operatio est, distinctaq; naturæ apprehẽsio, ex pręexistente fit cognitione, dirigente, non agente, quatenus partium cognitio pręire potest integram apprehensionem totius. secunda item operatio, qua vnum de alio pręd icatur, ipsa simplici cognitione terminorum vtitur, pro dirigente præcognitione.

192 Tertia verò ea est, quæ ex præcognitione agente nascitur, dum conclusio ex præmissis infertur, non qualitercunq; intelligentiam dirigentibus, sed, vel materiam præbentibus, vel in genere causæ instrumentalis coagentibus. De actibus practicis, an fiant ex præcognitione, contrariæ sunt Themistij, Auerroisq; sententiæ; negat hic, asserit ille: Placet assertio. Quis.n. neget, esse in artibus discursum, & notitias notitijs dirigi?

193 Sed, quod magis spectat ad demonstrationem, de qua mox dicam, duę præcognitiones numerãtur ab *b* Aristotele, idest; Quod sit, & Quid est, quod dicitur. Rectè, sunt.n. hæ, quæ magis vniuersaliter quæstionem antecedunt, (quid res est, & propter quid est.) Si verò amplius eadẽ de re loquamur, pręcognosci aliquandò potest, quid est, quod dicitur, seù quid nominis, & quęri, quod sit, seù an sit; vtrumq; aliquandò præcognosci, & quęri, quid sit; pręcognosci item, quid sit, & quæri, propter quid sit, seù quale.

b Lib. 1, Post, tex. 2. vel 3.

194 Quamuis præcognitorum præcognitiones sint, non tamen par ab Aristotele assignatur harum, & illorum numerus; Cum.n. pręcognitiones duas esse, dixerit, *c* præcognita tria esse, affirmat; loquitur tamen determinatè de particulari aliqua demonstratione, in qua cognoscitur ex pręmissis conclusio; Aliquid.n. de præmissis, aliquid de subiecto, aliquid de passione pręcognoscendum est, & hæc sunt tria præcognita.

c Lib. 1, Post, tex. 25. vel 76.

195 Nec verò pro quarto præcognito debuit assignari medius terminus; Etenim id, quod demonstratio docet, est, passionem inesse subiecto Horum

quo

quo terminorum notitia præcipienda eſt in aliquo tertio,qui eſt medius terminus; hoc verò eſt, tria prænoſſe,ideſt ſubiectum, prædicatum,premiſſas; nec tamen medium terminum ignorare.

a Lib. 1. Poſt. te.24. vel 73.

196 De ſubiecto duo videtur dicere præcognoſcenda *a* Ariſtoteles, quid ſit,& an ſit. Sunt, qui arbitrentur,non de vnius demonſtrationis ſubiecto id affirmari,ſed totalis alicuius ſcientiæ genere, ſeù obiecto: Nec malè, iudice me, ratiocinantur; ſed,eſto de particulari aliqua demonſtratione ſermo ſit, per,quid ſit, intellige,quid nominis;nam,quid rei,ſæpius ipſa demonſtratione inueſtigatur,quam prænotum præſumatur.

b eodem tex. 24. vel 73.

197 Quod autem ſpectat ad eiuſdem ſubiecti, ſeù (vt *b* Ariſtoteles appellat) principij prænotitiam, ne intelligas actualem exiſtentiam, quam, qui ſcientiam in vniuerſalibus, & neceſſarijs quærunt, non tanti faciunt, ſed potentialem;Illud.n.eſſe dicitur,quod,ſiuè exiſtat,ſiuè ſecus,certum habet nomen,& ſub nomine confuſam ſaltem notitiam.

198 De paſſione vult idem Ariſtoteles,eſſe præcognoſcendum quid nominis,non autem,an ſit. Vtrumq; eſt verum; Nam, quamuis prænota in præmiſſis paſſio,non ſolum ſui nominis notitiam videatur feciſſe,ſed etiam rei,an ſit;quia tamen proprium eius eſſe, eſt in ſubiecto eſſe,cuius eſt paſſio, & hoc non ante demonſtrationem præſcitur,ſed ipſa demonſtratione concluditur; ſatis eſt, prænouiſſe quid nominis,reſeruato in concluſionem,an ſit.

c citato te.73. & eodem Lib. 1. Poſt. tex. 5. vel 11. & tex. 26. vel. 76. d Lib. 1. Poſt. tex. 5. vel. 10.

199 De principijs auctor eſt idem *c* Ariſtoteles, præcognoſcendum eſſe, quod ſint, & quid nominis. Quod ſint, dicit, an vera ſint: Hoc.n.eſt eſſe in complexis,quæ in re complexa ſint, verè complexa enunciari. Hoc autem eſt,quod idem ait *d* Ariſtoteles, diametrum eſſe ſymmetrum, non eſſe. Et ſanè quis, vel ignoret, vel anceps hereat, an principia vera ſint, & certum præbeat concluſioni aſſenſum?

e Lib. 1. Poſt. tex. 2. vel 3. f Philop. & Niphus.

200 Quod autem ſpectat ad eorumdem principiorum nomen, hoc nullum certum eſt, ſed nominis vicem habet certa ſignificatio terminorum, ex quibus principia conſtant. Sed hanc, inquies; prænotitiam alicubi *e* Ariſtoteles pretermiſit. Fateor;non tamen quia præmiſſæ nomen non habeant,vt *f* quidam volunt;vel quia ſatis ex ſe talis prænotitia intelligeretur neceſſaria, vt aſſerunt alij; ſed quia propoſitum ibi Ariſtoteli erat,præcognitiones explicare exemplis, dicturo poſtmodum,quæ,de quibuſq; eſſent.

D E-

DEMONSTRATIO

CAP. VI.

201 DIFFERT à ſyllogiſmo demonſtratio, materia; Eſt enim illa ipſa argumentationis forma, artificioſè compoſita, in materia, non qualibet, ſed ad ſcientiam apta. Ipſius igitur materiæ conditiones, demonſtrationis, quà demonſtratio dicitur, naturam declarant; Et ideò totus in his eſt Ariſtoteles, dũ, ex quibus præmiſſis conſecutio procedat, accuratè perſequitur.

202 In eum finem demonſtratio tendit, vt faciat ſcire, &, vt ſæpè cauſę ex effectis agnoſcuntur, ipſius ſcientiæ notio demonſtrationis naturam, vel monſtrat, vel demonſtrat. Hinc *a* Ariſtoteles, quid ſit ſcire, ijs docet. Scire autem arbitramur vnumquodque ſimpliciter, ſed non ſophiſtico, modo, qui eſt ſecundùm accidẽs, cum cauſam exiſtimamus cognoſcere, propter quam res eſt, quod illius cauſa eſt, & non contingere, aliter ſe habere.

a Lib.1. poſt.t. 5.vel.7.

203 Hac ſcientiæ definitione tria notantur, ad verum, propriumque ſcientiæ actum, neceſſaria, vt ſit de ente reali, quod nimirùm veras habeat cauſas, propter quas ſit; vt hoc ipſum ens per has cauſas cognoſcatur; & vt eas eſſe cauſas, non fugiat demonſtrantem. Sunt hæc tria capita, ad quæ plura facilè reuocantur, idemq. dicitur alijs verbis, dũ ſcientia dicitur certa, & euidens.

a Lib. 1. post. t. 5. vel 8.

204 Demonstrationis verò ipsius ea traditur ab *a* Aristotele descriptio: Demonstrationem dico syllogismum epistemonicon, secundum, quem in habendo, ipsum, scimus. Dictum breuiter, ideò, & illa addita. Necesse est, demonstratiuam scientiam ex veris esse, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, causisq; conclusionis. In illo primo demonstrationis natura cognoscitur ex fine, in his additis ex materia.

205 Demonstrationis præmissas debere esse ex veris, postulat non solum conclusionis materia, sed ipsa ratio formę; nec enim vis illi inest vlla, nisi quibusdam positis, & concessis. Veritatem autem intellige complexam, quã esse dico in cõformitate secundæ operationis cum re, de qua iudiciũ fertur. Quid si ex falsis aliquandò verum deducatur? Accidit id ratione materiæ.

b Lib. 1. Topic. cap. 1.

206 Cum veritate præmissarum visus est alibi *b* Arist. ad demonstrationem solùm requirere, vt eędem primæ sint: Demonstratio inquit est, quandò ex veris, & primis syllogismus erit, aut ex talibus, quæ per aliqua prima, & vera eius, quæ circà ipsam cognitionis principiũ sumpserũt. Neq; hæc descriptio improbanda, est. Nam, dum primæ dicuntur pręmissę, nihil fermè in reliquis conditionibus est, quod in hac vna non contineatur; dant tamen illæ, distinctius explicatæ, ampliorem differendi materiam.

207 Idem est, demonstrationem esse ex primis, & esse ex immediatis, seù ex indemonstrabilibus; Cum verò in quolibet syllogismo pręmissę sint priores conclusione, sicut quęlibet causa suo effectu, easdem hic primas intellige, nõ vtcunq; comparatiuè ad conclusionem, sed absoluta quadam ratione; ità vt aliæ priores non dentur, per quas hæ demonstrentur, aut demonstrari, pro sua obscuritate, postulent.

c Auer. Themis. Alber. alij

208 Propositio dici potest immediata dupliciter, vt in hac demonstrationis nota explicanda, tradunt *c* interpretes; vel immediatione causæ, quę causam non habet, per quam probetur; vel immediatione subiecti, in qua id pręd icetur, quod immediatè, & non mediante alio conuenit subiecto; cum demonstratio ex immediatis constare dicitur, intellige immediatione causæ.

d Philop. Niphus, alij.

209 Sunt *d* qui per principia immediata intelligant notissimas quasdã, easdemq; cõmunissimas dignitates. Non placet horũ sententia; nã eo perfectior demonstratio est, quo processerit ex magis proprijs; dignitates verò illæ cõmunissimæ, esto primę sint, ac immediatę immediatione causæ; cuiusuis demõstrationis proprię nõ sunt; Et ideò nõ facilè in demõstratione admittẽdę. Si minùs communes fuerint, eas non reijcimus, quas & *e* Arist. admittit.

e Lib. 1. Post. t. 29. vel 57.

f Apud Auer. 1. Post. Comm. 108.

210 Propositio; etiã si negatiua fuerit, immediata esse potest, quicquid contrà opinatus fuerit, melior sępè medicus, quã philosophus, *f* Auicenna; falsò item sibi quidam persuadent, nonnisi in primo primæ figurę modo posse demonstrari, & ex hoc item capite negatiuam aliquam ex pręmissis excludunt. Etenim cum negari non possit, quin primus primę figurę modus sit apprimè ad id idoneus; concedendum pariter est, ad idem esse alios aptos.

g Ex li. 1. Post. t. 31. vel 104.

211 Ea verò Aristoteli est propositio immediata, quamuis negatiua, cum ratio, vel causa à priori reddi non potest, cur pr̨edicatum non insit subiecto, vt cum summum genus de summo genere negatur. Hoc *g* illa indicant:

cant: Sicut esse, A, in B, contingit indiuisibiliter, sic & non esse possibile est: dico autem indiuisibiliter esse, vel non esse, eo quod non est aliquod eorum medium.

212 Non omnis propositio immediata est eadem per se nota, quoad nos; quamuis per se nota sit, quoad naturam suam; quo ad nos, nota dicitur per se, cum cuiq; intellectui bene disposito, praua nimirum dispositione carenti, ex terminorum notitia statim innotescit; quo ad naturam suam verò, cum non habet priorem causam, per quam cognosci possit. Quæ quo ad naturam suam per se nota est, potest aliquando eadem, & per se nota esse, & quoad nos.

213 In vniuersum principia immediata tribuuntur ab *a* Aristotele in Dignitates, Positiones, Suppositiones, Definitiones. Dignitates, quæ alijs nominibus axiomata, effata, pronunciata, communes animi notiones, maximæ dicuntur, sunt propositiones ità claræ, vt sine vlla magistri opera aptæ sint, facilè percipi à quocũq; nõ habente prauam dispositionem, suntq; eædem pluribus conclusionibus communes, quamuis & tales dicantur *b* aliquandò, quæ sunt vnius demonstrationis principia propria.

a Lib. 1. Post. t. 5. vel 14.

b Lib. 1. post. tex. 24. vel 73. & 3. Meta. t. 4.

214 Positio clara item est, ac indemonstrabilis enunciatio, non ità tamen subito perspicua, quin indigeat magistri opera, & explicatione, antequam quis vlterius in demonstrando progrediatur; Qua quidem in re cum Positio, pariter ac Dignitas pluribus conclusionibus communis esse possit, à Dignitate distinguitur, quia minus nota est, *c* Themistio, Philopono, Auerroe interpretibus.

c In cit. t. 5. vel 14.

215 In positione, suppositio, & definitio continentur, non tanquam duo inferiora sub genere, vel specie subalterna, sed tanquam duæ partes, æqualiter diuidentes totum; est enim suppositio, cum explicata positio, vt iam nota, & admissa supponitur, siuè ea affirmatiua sit, siuè negatiua: Definitio verò altera contradictionis pars, scilicet affirmatiua, qua definitum de definito, prædicatione immediata, enunciatur.

216 Dicitur autem demonstratio constare ex immediatis. Sunt, *d* qui putent, esse debere immediata actu; satis est alijs, si sint immediata virtute. Mihi certum est, perfectiorem illam esse demonstrationem, quæ sit ex immediatis actu; sed nec illam esse in scientijs paruifaciendam, quę sit ex immediatis virtute; si præsertim facile, ac promptum sit intellectui, ex actu immediato principio probare hoc, quod eius virtute immediatum dicitur. Et hæc dicta sint de illa conditione demonstrationis, quod sit ex immediatis, & primis.

d Auerr. Philop.

217 Quæ priora natura sunt, sunt eadem notiora natura; ergo cum ex primis perfecta demonstratio sit, erit ex notis. Sed cum non sint eadem, & nota nobis, & natura, vt *e* alicubi asserit Aristoteles, qui fiet, vt demonstratio constet ex prioribus, ac notioribus natura, cum eadem, si quid in sua cõclusione probatura sit, constare debeat ex notioribus nobis? Aio, nec aliquid contrà Aristotelis dictum pronuncio, eandem demonstrationem esse posse ex notioribus natura, & nobis. Plura hac de re *f* infrà.

e Lib. 1. Phys. t. 2.

f Lib. 2. cap. 2.

218 Sed hæc ipsa si vera sint, notiores nobis esse præmissas, quam sit ex

 præ-

præmissis deriuata conclusio sequi videtur, nostram cognitionem, dum ex vno in aliud cognoscendo progredimur, sensim imminui, & quasi à sole vniformiter difformiter diffusam lucem, vbi certum spatium excurrerit, in tenebris delitescere. An verò simili quadam ratione ad eas tandem præmissas deueniemus, de quibus vltimum iudicium sit; nullum verò de consequentia defectu luminis?

219 Fateor, nostræ cognitionis perspicuitatem in longa argumentorum serie sensim deficere; sed nego, defecturam, vbi quis ad primum notitiæ caput cogitando recurrat. Hærebit aliquis, quia longum præmissarum ordinem finita intelligendi vi non poterit vnico intuitu consequi; sed, vbi assensum præmissis dederit, nec de forma suspicio sit, assentietur confestim conclusioni, cui diminutum quidem lumen aderit, pro longa deriuatione à primis huius luminis fontibus; tantum tamen aderit, quod sit ad assensum satis.

220 Adde, quod in eodem illo argumentorum procursu notitia, quę eundo, ad instar luminis, deficit, potest, ad instar fluuiorũ, excrescere, aduenientibus aliundè confirmationibus eorum, quę à primis principijs deducta sunt. Quam enim multa sunt, quæ ex vno nutantia videntur, & ex pluribus eam, quæ ad sciendum sit satis, firmitatem habent?

221 Dum de pręmissarum notitia, quæ maior est in pręmissis, vt dixi, disputat *a* Aristoteles, celebre axioma vsurpat: Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis; eius non absimile, quod habet in *b* metaphysicis: Vnumquodque id ipsum maximè aliorum est, secundùm quod alijs vniuocatio inest, vt puta ignis calidissimus; etenim cęteris hic ęst caliditatis causa. Verissima verò huius dicti sententia ęst, & in re proposita, & quoties, tàm causa, quàm causatum, sunt apta recipere in se formaliter vnam formam, ab eaq; denominari, & quoties talis forma suscipit magis, & minus.

a Lib. 1. post. t. 5. vel 15.
b Lib. 2. t. 4.

222 Ex eadem doctrina; scilicet pro acquirenda notitia conclusionis, esse debere nota principia, magisq; nota conclusione; in duo extrema non pauci ex antiquis abierunt, de quibus meminit *c* Aristoteles. Alij de nulla re scientiam dari, volunt; alij de rebus omnibus. Aiunt illi, si præmissæ notę, ergò ex alijs pręmissis, illæ rursus ex alijs, & sic deinceps in infinitum; Infinitum verò nemo consequitur, ergò nec scientiam. Aiunt hi, cognosci per pręmissas consequentiam, mox facto circulo per consequentiam pręmissas, & hac ratione vno circulo omnia contineri.

c Lib. 1. Post. à t. 6. vel 18.

223 Vtrumq; falsum est; nec verò necesse est, pro pręmissis cognoscendis, in infinitum regredi demonstrando, aut facto circulo pueriliter nugari; Vbi enim ad principia per se nota deuentum fuerit, de quibus habitus est, qui communi nomine, quia proprio caret, dicitur Intellectus, ibi retrograda demonstrationum series finitur, & inde demonstrationum facto principio, de solis illis scientia acquiritur, de quibus demonstratio facta fuerit.

DICTVM DE OMNI, Per se, Secundum quod ipsum.

CAP. VII.

224

CONTINERI in demonstratione Dictum de omni, disertè ab *a* Aristotele traditum est, vbi de demonstrationis necessitate aggreditur, disputare. Dubitatur, an hoc in præmissis, vel in conclusione locum habeat: In hac respondent *b* aliqui; Malo in illis, quæ meliorum, ac *c* plurium sententia est. Et verò ipse sibi bonus auctor est Aristoteles, qui de præmissarum notis disputationem prosequitur, harumq; necessitatem ex necessitate consequentis denotat.

a Lib. 1. Post. a. t. 7. vel 28.
b Philop. Niphus.
c Auer. Themist. D. Thom. Aegidij.

225 Aliter verò Aristoteles in posterioribus explicat quid sit dictum de omni, ac explicauerit in *d* prioribus; Vndè nata diuisio est, in dictum de omni prioristicum, & dictum de omni posterioristicum. Illud est, cum de subiecto vniuersali dicitur id, quod omni inest, & si non omni tempore; Hoc verò est, cum de subiecto vniuersali dicitur, quod omni inest, & semper. Ratio huius diuersitatis est, quia in prioribus formæ necessitas spectatur, in posterioribus materiæ.

d Lib. 1. Prior cap. 1.

226 Hinc verò habes necessitatem temporis, quo prædicatũ dicitur inesse illi vniuersali subiecto, non ex accidentali nexu oriri, sed ex necessario, quatenus prædicatum est de essentia subiecti. Quid verò illa, quæ de Deo enunciantur, an de omni, cum solus sit; &, an omni tempore, cum tempore Dei æternitas non mensuretur? Rectè asserit *e* Caietanus non spectari hic, quid actu sit, sed quid virtute.

e In cap. 4. lib. 1. Post.

227 Vt ergo demonstratio sit de dicto de omni, debet eius subiectum, scilicet minor extremitas, vniuersaliter accipi, deq; eo medius terminus prædicari, saltem per regulas rectę conuersionis. Neq; tamen huic rei impedi-

mento eſt,ſi ſubiectum ſingulare fuerit, dummodo prędicatum de omni ſit; quia non illi ſolum ſingulari conuenit,qua ſingulare eſt, ſed vt parti vniuerſalis.

228 Hæc verò cum ità ſe habeant, non propterea in ſingulis demonſtrationibus hoc dictum de omni ſolicitè nimis requirendum eſt: Etenim multa fiunt,& neceſſariò poſitis cauſis,quę non ſemper fiunt,quia cauſę non ſemper ponũtur; vim verò argumentationis ſi ſpectes, & materiam in illo ſtatu, vix quicquam deeſſe dici poteſt ad demonſtrationis neceſſitatem.

229 Modus dicendi per ſe eſt,cùm in enunciatione de aliquo prædicatur id,quod per ſe,& non per accidens ineſt; eſt autẽ duplex, auctore *a* Ariſtotele: Primo(inquit)per ſe ſunt,quæcũq; ſunt in eo,quod quid eſt; videlicet, cum prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti. Addit *b* aliquis,tale prędicatum debere re ipſa ineſſe,miraturque, id alios non animaduertiſſe; Placet animaduerſio,vt propoſitiones identicæ, & indirectæ excludantur, ſed hoc ipſum puto,alios interpretes,non tam ignoraſſe, quam ſuppoſuiſſe.

a Lib. 1. Poſt. t.9.vel 30.

b Zabar.lib.1. de Prop. neceſſarijs cap. 6.

230 Secundus modus dicendi per ſe, ex eodem *c* Ariſtotele, is eſt: Et quibuſcunq; eorum (inquit) quæ inſunt ipſis, ipſa in ratione inſunt, quid eſt demonſtranti; ideſt,cum illa prædicantur,quæ ita inſunt ſubiecto, vt ſubiectum ſit de ratione ipſorum. Vtriuſque verò modi ratio, & alterius ab altero diſtinctio,hæc eſt.

c Lib. 1. Poſt. t.9.cit. vel 31.

231 Quicquid de alio enunciatur; vel ex arte, benèq; conſtructa enunciatione dicitur; vel contrà inarcifitioſa, & ad ſcientias percipiendas inutili; negligo has poſteriores, quas meritò ipſe Ariſtoteles, in his modis tradendis,neglexit. Illæ verò priores,vel prędicatum continent,neceſſario nexu alligatum ſubiecto,vel diſſolubili: has item reijce; nam ex neceſſarijs demonſtratio eſt; illas retine,& ſi quidem prędicatum ſit de natura ſubiecti,primus eſt modus;ſi contrà,ſecundus.

232 Sed qua ratione,inquies,ſubiectum ſit de eſſentia prædicati, & prædicatum nõ de eſſentia ſubiecti? Item,quod eſt de eſſentia,prædicatur in propoſitione artificioſa, non ſubijcitur; qui ergo conſtat aſſignata ratio ſecundi modi? Aio,cum in cuiuſuis accidentis definitione ponatur ſubiectum; quæ ſunt accidentia propria, ſpeciali ratione habere, vt de eorum natura ſubiectum ſit,& non contrà;& hinc pariter habes, cur hoc, quod de eſſentia dicitur,non habeat rationem prædicati,ſed ſubiecti.

233 Propoſitiones negatiuæ,ſi in rigore agamus,neq; ad primum,neq; ad ſecundum modum dicendi per ſe ſpectant; nam,qua tandem ratione prædicatum dicatur de eſſentia ſubiecti, vel contrà, ſi nexus nullus eſt? Accommodata tamen ratione etiam propoſitio negatiua dici poteſt per ſe; nam ſecundum illam rationem,ſecundum quam affirmatiua eſt per ſe, ſecundum eandem negatiua oppoſita dici poteſt per ſe.

234 Sic, cum ens de ſuis inferioribus prædicatur,quia non eſt vniuoca,ſed analoga prædicatio,vt *d* infrà dicam,non eſt propriè primus modus dicendi per ſe; vndè *e* Ariſtoteles ęquiuoca (æquiuocorum nomine etiam analoga intellige)à definitione reijcit: reuocatur tamen ad hunc ipſum, quia re vera,

d Lib.2. c.43.

e Lib.6. Top. loco 73.

vera dicitur in quid,& eſſentialiter.

235 Cum differentia de genere prædicatur, non eſt enunciatio in primo, nec in ſecũdo modo dicendi per ſe;nec enim prędicatum eſt de eſſentia ſubiecti, ſed ſubiectum ità neceſſariam connexionem habet cum tali prędicato,vt non poſſit cum oppoſito reperiri. Sed quid, ſi de genere prędicentur oppoſitæ differentiæ diſiunctiuè? Affirmat Caietanus; ſed potior mihi eſt altera pars: neutra enim differentiarum neceſſariam cum genere connexionem habet,vtraque cum ſua ſpecie,quam conſtituit.

236 Spectant autem verè, & propriè ad ſecundum modum dicendi per ſe illæ enunciationes,in quibus prima paſſio de ſuo adæquato ſubiecto prędicatur; peculiaris enim nexus,quem natura habet cum ſuis proprijs proprietatibus,eſt is,ratione cuius dicatur ſubiectum ſpecialiter poni in definitione talis accidentis. Non ſic euenit, cum paſſio inferioris prædicatur de natura ſuperiori,qua in re deſideratur prætereà Dictum de omni poſterioriſticum, quod ſupponitur à dicto per ſe.

237 Tertius modus per ſe,de quo,data occaſione à duobus prioribus,meminit *a* Ariſtoteles,his verbis continetur: Quæ quidem non de ſubiecto alio ſunt,per ſe dico, quæ verò de ſubiecto,accidentia. Hinc facilè accipis, non eſſe hunc prędicandi modum, ſed eſſendi. Et verò communis hęc ſententia eſt. Fatetur hoc *b* aliquis; exclamat tamen, quicquid dicant alij, videri ſibi prędicandi modum,in quo exiſtentia per verbum,eſt,prędicetur de ſubſtantia,vt: homo ęſt.

238 Sed cum hoc ego paucis ago. In hoc tertio prędicandi modo, eſt ne prędicatum de eſſentia ſubiecti; eſt ne contrà ſubiectum de ratione prędicati; an neutrum? ſi primum,eſt primus modus;ſi alterum,eſt alter;ſi tertium, dicendi modus non erit per ſe. Aio igitur,explicari, quomodo ſubiectum in ratione incomplexi ſpectatum,ſit ens per ſe, & hoc eſt, eſſe modum eſſendi, non prędicandi.

239 Ad hunc ergò tertium modum ſpectabit ſubſtantia,quę per ſe ſtat;De prima ſubſtantia res apud omnes certa,explorataq; eſt; De ſecundis negāt aliqui,quia hę de ſubiecto dicuntur; *c* Alij verò affirmant;& horum mihi ſententia potior eſt; non enim habet vſpiam Ariſtoteles,ea,quæ de ſubiecto dicuntur,nõ eſſe per ſe;ſed illa excludit ab hoc tertio modo,quę, vt ipſe loquitur,de alio quodam dicuntur, ideſt ſubiecto non eiuſdem, ſed diuerſi prędicamenti;ſecundę autem ſubſtantię de primis dicuntur.

240 Quartum modum per ſe ijs tradit *d* Ariſtoteles: Quod propter ipſum ineſt vnicuiq; per ſe dico; ideſt, cauſa per ſe eſt illa,propter quā effectus eſt. Neq; hic,vt prędicandi modus,recenſetur;ſed,vt cauſandi: nimirum alię dicuntur cauſę per ſe,alię per accidens. Sed quid hoc,inquies,ad pręmiſſas demonſtrationis? tantum facit, quantum pręcedens; nimirum, vt cognita in primo, & ſecundo modo prędicatione per ſe, cognoſcantur prætereà ipſa ſubiecta,ſi quando per ſe dicuntur,vel eſſe, vel cauſare.

241 Conſtat perfecta demonſtratio ex prędicato vniuerſali; Hoc verò, Ariſtotele *e* auctore, eſt,quod,cum de omni ſit,& per ſe eſt,& ſecũdum quod

a Lib. 1. Poſt. t. 9. vel 33.

b Zabar. li. 1. de Propoſ. neceſ. cap. 3.

c Paul. Ven. Baldu. Apoll. Alb. Caie. Sot.

d Lib. 1. poſt t. 9. vel 34.

e Lib. 1. Poſt. t. 11. vel 36. & 37.

ipſum,& in quolibet primo monſtratur. ſupponitur,dici de omni,& quidem poſterioriſticè;item,dici per ſe in altero è duobus modis; prętereà verò dici de ſubiecto,quatenus tale ſubiectum eſt;hoc enim eſt,eſſe in alio, ſecundum quod ipſum eſt.

242 Vt ergò dicatur prædicatum vniuerſale,non ſatis eſt, quod ſit aptum, eſſe in multis,vt fit in vniuerſalibus incomplexis; neq; quod enũcietur propoſitione,affecta ſigno vniuerſalitatis, in quo ſẽſu dicitur propoſitio vniuerſalis prioriſticè; ſed vt attendatur ad naturam ſubiecti;an videlicet illi competat,qua tale eſt ſecundum propriam naturam,neceſſariò, & adęquatè.

243 Hoc ipſum eſt,eſſe prędicatum primum: Cum enim primũ dici poſſit ex multiplici conſideratione, hic primum dicitur, quod ſubiecto conuenit, vt habenti talem naturam,&,ſi conueniat alijs, nonniſi, vt eandem naturam participanti; Hoc eſt illud *a* Ariſtotelis,habere tres angulos ęquales duobus rectis non dici primo de ęquicrure,ſed de triangulo.

a Eodem 1. Poſt.t.cit.11. vel.37.

244 Sunt ergò hic hæc tria vnum & idem: prędicatum Vniuerſale, Secundum quod ipſum, & Primum; Diſtinguitur autem à per ſe; non, quia non omne, quod eſt hac ratione vniuerſale,non ſit per ſe; ſed quia,non omne,quacunque ratione per ſe,eſt hac ratione vniuerſale; & prædicatum, ſecundum quod ipſum,ſemper dicitur conuertibiliter cum ſubiecto; non autem omne prædicatum per ſe.

245 Igitur,ſi hęc tria, De omni, Per ſe, & Vniuerſale, adinuicem comparentur; omne vniuerſale erit per ſe, non contrà; omne per ſe erit de omni, non contrà;quam enim habet id, quod de omni dicitur prioriſticè, ſubiecti communitatem,non eſt neceſſe, vt habeat ex neceſſaria connexione; ſed ſatis eſt,ſi habeat ex perpetua coniunctione;qua ratione multa non neceſſariò connexa ſunt,quæ tamen ſemper connexa ſunt.


246 Vt cognoſcatur hoc prędicatum vniuerſale, bona eſt regula, quam tradit *b* Ariſtoteles: Eſt enim illud,quo primo poſito, ponitur ſubiectum,& quo primo ablato, etiam ſubiectum aufertur. Putat hanc regulam ſolum probabilem *c* Alpharabius: Ego improbabilem puto eius ſententiam,regulam verò neceſſariam.

b Lib. 1. Poſt. tc.14. vel 43.

c Apud Auer. Comm.43.

247 Demonſtratio, ſi perfectiſſima ſit, conſtabit ex prædicato vniuerſali, primo, quod de ſubiecto dicitur, ſecundum quod tale ſubiectum eſt. Facit autem hoc ad demonſtrationis perfectionem, quia ſic eadem magis procedet ex neceſſarijs. Hoc illud eſt *d* Ariſtotelis: Oportere,medium tertio, & primum medio ineſſe propter ipſum.

d Lib. 1. Poſt. t.14. vel 43.



DE-

DEMONSTRATIONIS species, regreſſus, medium.

CAP. VIII.

248 DEMONSTRATIONIS nomine intelligitur ab Ariſtotele ea, quæ non ſolum probat, prædicatum ineſſe ſubiecto, ſed etiam continet, propter quid inſit: Etenim hæc perfectiſſima eſt, & aptiſſima, ad rerum proprietates non ignorandas: Reliquæ, quæ item demonſtrationes appellantur, non ſunt huius ſpecies propriè, ſed ſub genere analogo ſunt veluti inferiora analogata.

249 Dignoſcuntur hæ imperfectiores ſpecies ex defectu duarum conditionum, quæ in demonſtratione perfectiori nunquam deſiderantur. Quędam eſt à cauſa remota, vt ſi dixeris, non reſpirare parietem, exemplum eſt *a* Ariſtotelis, quia non eſt animal; Alia eſſe poteſt à cauſa ſolum, cur res cognoſcatur; non autem, cur ſit; quæ videlicet ab effectu ad veram cauſam procedit. Vtraq; ex his dicitur demonſtratio, quia; quamuis frequentius hæc poſterior.

a Lib. 1. Poſt. tex. 30. vel. 99.

250 Conatus eſt Themiſtius tertium quoddam demonſtrationis genus inducere, cum ex vno effectu demonſtratur alius, qui ſimul ſit cum eadem cauſa coniunctus. Labor fuit non planè irritus, ſed rarus eſt huius demonſtrationis vſus; Et eadem cum vtimur, non vnica erit demonſtratio, ſed in vna duæ continebuntur.

251 Demonſtrationem, propter quid, *b* aliqui diuidere voluerunt in duas ſpecies; ideſt in eam, quæ doceat, propter quid prædicatum inſit ſubiecto, & alteram, quæ, & propter quid inſit, itemq; quod inſit, tradat. Poſteriorem

b Auerroiſtæ communiter.

rem hanc pluris faciunt, quam primam; quam demonstrationem simpliciter, optimam, potissimam dictitant. Contrá non nemo est, qui nullam demonstrationem specie differre ab alia, siuè ea propter quid doceat, siuè solum quod, contendit. Neutrum placet.

252 Etenim demonstrationem quia à demonstratione propter quid specie differre, indicat certa, quæ assumitur, materia in vna, non autem in altera. Neq; .n. specifica differētia ex syllogistica forma attendenda est, quæ vna, & eadem potest in demonstrationibus, specie differentibus, reperiri; sed ex materia, à qua demonstratio quælibet à simpliciter dicto syllogismo dignoscitur.

253 In ipsa autem demonstratione propter quid specificę partitionis ratio nulla est: quæcumq; .n. ea sit, eadem docebit simul, & quod prædicatum sit, & propter quid subiecto insit, in casu, quo demonstrans, illud esse, anteà non prænouerit. Neq; verò ad specificam demonstrationum differentiā, attendendum est ad id, quod habent ex varia dispositione demonstrantium, sed ad id, quod ex natura sua.

254 Regressus demonstratiuus est, cum cognita per effectum causa, rursus intelligentia recurrit ad cognoscendum effectum per causam. Inutilem circulum nonnulli ex antiquis hic timuere, timent & *a* nostrates: & verò inutilis esset, si circulus esset. Ego verò, circulo circulatoribus relicto, regressum approbo, vt vtilem ad scientiam exquirendam.

a Bald. quæsito de regressu, Hugo Senensis in artem medicam. Franc. Neritonensis.

255 Differt autem regressus à circulo, quia cum in circulo eatur ab vno ad idem, in regressu ab vno itur, ad quod, mutata quodammodò rerum facie, reditur; Etenim variantur termini in sui cognitione, nec sunt amplius, nisi materialiter ijdem in secunda demonstratione, ac fuerint in prima.

156 Aliqua igitur operatio necesse est, interponatur inter primam demonstrationem, & alteram. prima est communiter demonstratio quia: etenim sunt communiter effectus notiores, quàm causæ. secunda est demonstratio propter quid; & haud scio, an extrà circulum eas, si hunc ordinem mutaueris. Media verò inter vtranq; operatio est, & examen quoddā ex extrinsecus adscitis argumentis, quo termini in prima demonstratione assumpti, distinctius cognoscuntur, vt sic distinctius cogniti, assumantur in secunda.

257 Non facio tanti; sit ne hæc media operatio tempore distincta à posteriori; an per inductionem procedat; an per quamlibet aliam comparationē; satis est, si per eam causa cognoscatur, vt causa, effectus, vt effectus; quam notitiam demonstratio, quia, non semper præstat, sed solum vnum cum altero connexum.

258 Medium in demōstratione, propter quid, est definitio, quæ est simplex apprehensio quidditatis, & hæc est, quæ frequentiùs nomine causæ intelligitur, dum demonstratio dicitur constare ex causis rei. Censuit *b* Alpharabius, solam definitionem minoris extremi esse aptum demonstrationis medium. Censuit Themistius idem de definitione maioris extremi.

b Apud Auerroem.

259 Mihi certum est, bonam esse demōstrationem, propter quid, cuius medium sit definitio subiecti; itemq; bonam, cuius medium sit definitio passionis.

nis. Nec verò ſatis eſt, ad perfectam demonſtrationem, aſſumere pro medio cauſam, cur paſſio inſit ſubiecto, niſi eadem ſit etiam cauſa, cur paſſio ſit.

260 Opinati *a* aliqui ſunt, omnem demõſtrationem à definitione pendere, non autem contrà; eam eſſe veluti animam diſcurſiuam, hanc veluti mentem, quæ vnico intuitu rem comprehendat. Non improbo hoc ſimile, ſed malè in eo fundatur, quod definitio demonſtratione non egeat; Etenim oĩs definitio, cũ per ſe nota nõ ſit, aliquo diſcurſu inueſtigetur, neceſſe eſt.

a Euſtrat. 2. Poſt.

261 Hinc eſt, vt definitio, quæ demonſtrationis medium verè eſt, & dicitur, eadem demonſtrationis finis verè ſit, diciq; poſſit; ſcilicet demonſtrando, diſcurrendoq;, definitiones rerum inueſtigantur, vt pro definitionibus cognitæ, rurſus in demõſtratione propter quid aſſumãtur, vt medij termini.

262 Definitio duplex eſt, altera nominis, altera rei: quæ nominis eſt, eius in ſignificando vim exponit, nõ ſine ordine ad rẽ: quę verò eſt rei, eius in eſſendo naturam præſcribit, non ſine nominũ vſu: Sic.n. definiendo, tũ nomina, tũ res, agitur inter homines, qui vocibus, ad notas animi ſignificandas, vtuntur.

263 Definitio rei, vt ſit propriè dicta definitio, quatenus à deſcriptione diſtinguitur, rei naturam comprehendit, aſſignato genere proximo, & vltima differentia. Deſcriptio verò per extrinſeca procedit, notando proprietates, & plurium cõmunium accidentium cõplexionem, quæ deſcripti propria ſit.

SCIENTIA

CAP. IX.

264 COMPARATIS ad ſciendum inſtrumentis, quorum præcipuum demonſtratio eſt, eoque perfectius, quo fuerit ipſa perfectior, fit homo ad ſciendum promptus, & expeditus: Etenim vbi demonſtratione vtatur, illud verè, & propriè ſciet, quod fuerit demonſtratum; eſt ergo ſcientia demonſtrationis effectus, atque ideò hic minimè præ-

prętermittendus.

265 Scientia duplex est, alia actualis dicitur, alia habitualis: sicut prima in demonstratione habetur, ità hæc posterior, ex repetito eiusdem demonstrationis vsu, nascitur. Quare erit actualis scientia ipsa actualis cognitio demonstratiuæ conclusionis, certę alicui materiæ applicata, prout ex præmissis, in certa pariter materia positis, sequitur.

266 Dicitur hæc demonstrationis effectus; quod dictum dupliciter accipi potest. primò, vt nomine demonstrationis intelligantur præmissę in ea materia, quam demonstrationis leges postulant; & sic verè dicitur scientia demonstrationis effectus. Etenim, vt *a* supradictum est, pręmissæ, vel in genere instrumenti, vel in generę causæ materialis, conclusionum causæ dici possunt.

a Cap. 5.

267 Secundò, vt nomine demonstrationis intelligatur ea realis operatio, quam logica dirigit ex ijsdem demonstrationis regulis in gratiam aliarum scientiarum, quæ particulari alicui materię applicata non est, nisi gratia exempli. Et hæc item scientiæ causa est, dum demonstrantem in particularibus scientijs dirigit, ac determinat ad eam particularem demonstrationem, in cuius notitia scientia sita est.

268 Quod spectat ad scientiam habitualem, quia de habitibus in vniuersum dabitur *b* alibi nostris, assertionibus occasio, satis hic erit pauca de ea persequi. Est hæc qualitas, pari ratione ex actuum frequentatione acquisita in intellectu, qua ratione alij habitus ex suorum actuum iteratione producuntur in ijs animi facultatibus, in quibus ipsi actus immanent.

b Lib. 3. Cap. 6.

269 Dispositio est, cum qualitas nondum perfecta fuerit, nec eam in subiecto habuerit firmitatem, quam *c* Aristoteles in habitualibus qualitatibus exigit: Habitus ergo dicitur, cum benè hæc qualitas firmata fuerit, vt non facilè à subiecto remoueatur, idest, cum ad iustam aliquam intensionem peruenerit.

c In Prædicā. Cap. de Quali.

270 Sunt *d* qui dixerunt, habitualem scientiam non esse qualitatē, à speciebus intelligibilibus distinctam; esse videlicet ipsas species rectè ordinatas, & in intellectrice facultate altis radicibus firmatas. Mihi verò non videtur esse satis hæc specierum ordinatio; earumdem verò confirmatio, & radicatio difficilis explicatu est, nec mihi hic magis placet, quam *e* vbi ex eadem radicatione explicatur qualitatum intensio.

d Sonci, Lib. 6. Meta.

e Infra Lib. 2. Cap. 16.

271 Enim verò species ordinatę habentur in primo actu, si actus erroneus non fuerit; habitus verò non vnico actu producitur, sed ex multorum frequentatione. Quod si aliquandò ea actus perfectio sit, quæ magnam faciat ad operandum facilitatem, hoc in operatione scientiæ non proueniet ex ordinatione specierum, sed ex ea vi, quam habent actus valdè intensi, etiam in alijs generibus actionum.

272 Sunt ergò species ordinatę ad habitualiter sciendum necessariæ, sicut ad ipsum primum sciendi actum; Formalis verò ratio habitus in distincta ab his qualitate sita est, quæ dici potest qualitas intellectualis, producta ab acti-

bus

bus ſcientificis, & ad ſimiles actus facilè, certò, & frequenter, exercendos inclinans.

273 Habitualis ſcientia triplex dicitur, ſi de ſcientia propriè dicta loquamur, Phyſica, Mathematica, Metaphyſica. Vnaquæq; ex his vna dicitur totalis ſcientia, continens in ſe plures, ac plures demonſtrationes, ad vnum tamen formale obiectum ſpectantes, in quo quęlibet ex his partibus à ſuis compartibus diſtinguitur, & quibuſlibet alijs habitibus.

274 De his ergò tribus ſciẽtijs habitualibus aſſerunt *a* aliqui, dicere vnamquamque vnam ſimplicem qualitatem, ad omnes illas demonſtrationes inclinantem, quibus vna integra ſcientia eſt. Mihi probatur magis contraria ſententia, tot videlicet in vnaquaque ſcientia eſſe habitus partiales, quot ſunt demonſtrationes ſpecie differentes, & his vnam integrari ſcientiam, quæ non in vna ſimplici qualitate, ſed in plurium aggregatione ſita ſit.

a Ex ſectatoribus D.Thomę.

275 Vna ergò ſcientia dicitur, quæ de vno obiecto formali ſit, vnitate non neceſſariò vniuoca, ſed ſatis eſt, ſi analogica. Cum verò ſub vnitate analogica magna eſſe poſſit ſcitorum differentia, & habitus naturam actuum ſequantur; hinc eſt, vt in eandem ſcientiam plures habitus partiales conueniant, & quidem inter ſe ſpecie differentes, vel etiam genere vniuoco.

276 Placet, quod *b* vulgo dicitur, non ſolum tres illas ſcientiæ partes diſtingui ex adæquato obiecto vniuſcuiuſq;, ſed etiam ex triplici abſtractione. Etenim abſtrahit Phyſica à materia ſignata quidem, ſed non à ſenſibili; Mathematica à ſignata, & ſenſibili, ſed non ab intelligibili. Metaphyſica ab omni materia.

b Ex 6. Meta. tex. 2.

277 Hæc verò communis doctrina placet cum duplici cautione. Prima, vt non arctentur hæ ſcientiæ partes, vnaquæq; eſt ad ſuam abſtractionem, ita ut nihil excedat. Sunt enim plures mathematicæ partes impuræ, quę ſola intelligibili quantitate contentę non ſunt, ſed amant aliquid de ſenſibili.

278 Secunda eſt, vt nemo mihi perſuadeat, his abſtractionibus diſtingui has ſcientias inter ſe ex natura ſua; cui videlicet iampridem perſuaſum eſt, ijſdem nonniſi accidentali quadam diſtinctione factam eſſe harum partium tributionem. Etenim ex obiectis ſcientiæ diſtinguuntur; ſed quia in obiecto generica ratio ad id ſatis eſt, hinc pariter tam multiplex ſcitorum partitio fieri poteſt, quam multiplex fiat generum diuiſio.

279 Erit igitur, quantum ego cenſeo, ſcientia habitualis vna numero, quę ab actibus, ſolo numero differentibus, eſt; Huic in eodẽ intellectu aliæ addentur, ſpecie differentes, prout ipſi actus ſpecie differant; ſequitur enim naturam actuum, ſed non propterea dixeris ex actibus ſolo numero differentibus, habituum numerum pariter creſcere.


280 Quid tandem, ſi quis contendat, eam diuiſionem, qua tres ſcientiæ partes dicuntur poſſe ad vnitatem reuocari, vnamq; ex tribus ſcientiam fieri poſſe de vno obiecto formali, exq; ſuis principijs aptè procedentem?

non

non audeo repugnare. Etenim, cum probem partitionem hanc, vt valdè congruam; non video tamen, cur, si vna dicatur speculatiua Philosophia ex omnibus illis tribus, non possit quis ex bona item congruentia tueri. Ex horum numero in esse profiteor.

LIBRI PRIMI

FINIS.



DE NATVRALI PHILOSOPHIA.

LIB. II.

PHILOSOPHIA *naturalis, quæ altera ponitur in ea, quam initio feci, partitione, in rationalem, naturalem, & moralem, prima est, seù potiùs Philosophia ipsa, quam iusta diuisione* a *Aristot. in Mathematicam, Physicam, & Metaphysicam tribuit. Vera est hæc, & sola scientia, quæ ex causarum* b *ignoratione, quasi Nilus ex ignoto fonte, suam primam originem trahens, per rerum omnium* c *causas latè discurrit,*

a Lib. 6. meta. tex. 2.

b Ex Arist. li. 1. metaph. c. 1.


c Ex eod. lib. 2. meta. tex. 3.

discurrit, vt in omnium nos veritatem deuehat. Habet enimuerò latè quà excurrat, qui huius dignitatem persequi dicendo voluerit, quæ laudata à multis, vix vnquam laudata est satis. Confer enim quæ de disciplinis Mathematicis, et ad notitiam præclara, et ad vsum ingeniosa traduntur; Item ea, quæ de hac aspectabili natura Physici; quæq. de naturis alijs, à sensu remotis, et ab omni materiæ concretione seiunctis, Metaphysici, non ex puluere, quantumuis erudito, sed ex intimo sapientiæ penu, exponunt, hæc ipsa sunt huius Philosophiæ propria decora, vt, ad vnius ornatum, suum contulisse mundum, tres Gratiæ videantur. Vnum fortasse erit, quod tibi de tantis laudibus non parum detrahere videatur, videlicet sententiarum varietas, et perpetuæ dissidentium inter se philosophorum altercationes, quibus veritas eruitur ne, an obruitur magis? Faciliùs (inquit a *ille,) inter philosophos, quàm inter horologia conueniet. quin potius dixerit, consona esse perrarò horologia, philosophos dissonare semper, vsq. adeò certum est, nullam dictam fuisse sententiam, cui non fuerit contradictum. Verùm, aut mea me sententia decipit, aut hic ipse sententiarum ex humano ingenio, veluti ex vberi solo, prouentus, philosophiam commendat maximè. Est nimirum in ea, vnde sibi quisq; philosophando placeat, est quo semper vlterius philosophando progrediatur; cumq. tanta sit ingeniorum vis, impar ea est philosophiæ, quæ ampliora semper spatia aperiens, ad nouas veritates, quasi per immensum Oceanum, ad noua regna te vocat. Nec vero, semper cum inter se philosophi altercantur, dissidentes partes à veritate dissentiunt; veritatis eiusdem non eadem est facies, quia non eadem positio. Porrò quis* b *aberret à principijs? complura tamen ea sunt, multumq. interest, hæc ne, an illa posueris; Sed esto dissidium sit. mihi insipientium turba non probat, quin illud probatissimum videri debeat, quod melioribus probatur. Hæc verò sunt, quæ censui exponenda.*

a Seneca in ludo de morte Claudij.

b Ex Arist. lib. 2. metaph. t. 1.

MA-



MATHEMATICAE
Habitus, & Partes.
CAP. I.

281 QVOD habeat Mathematica à reliquis contemplatricis Philoſophiæ partibus diſcrimen, *a* Plato ſic docet; Verſari in his, quæ ſub intellectum cadunt, Metaphyſicam; in his, quæ ſub ſenſum, Phyſicam; in his, quæ ſub cogitationem, Mathematicam. Non placet; nec enim alia eſt Philoſophiæ ſedes, niſi intelligentia; eaq; communis omnibus Philoſophiæ partibus cum ſit, neceſſe eſt tandem, vt, quicquid ſit illud, quod ſcimus, intelligentia complectamur.

a Lib. 6. & 7. de Repub.

282 Solemne *b* Platoni eſt, velamen aliquod ambiguæ orationis obducere veritati. Placebit, ſi, per ea, quæ ſub intellectum cadunt, formas re, & ratione à materia ſeparatas; ſi per ea, quę ſub ſenſum, eaſdem in ſenſata materia ſtantes; ſi per ea, quę ſub cogitationem, eaſdem non re, ſed ſola ratione ſeiunctas, libeat intelligere. Hoc agnoſcit inter has partes diſcrimen *c* Ariſtoteles, hoc idem Peripatetici.

b Hāc ob cauſā appellatur Poeta a Ficino in Plat. Timæum.

c Lib. 2. Phyſ. at. 16. vbi Peripat.

283 Ergo mathematica quantitatem, quà continuam, quà diſcretam, quà longam, quà latam, quà altam, operam plurimam ſuis imaginibus pręſtante phantaſia, contemplatur. Hoc dum agit veris, ac proprijs demonſtrationibus verę, ac proprię ſcientiæ dignitatem ſibi comparat, non parem cum Phyſica, & Metaphyſica, ſed nobilem.

284 Neq; verò *d* Platonici, qui mathematicas diſciplinas medias inter phyſicas, & metaphyſicas conſtituerunt, aliter, ac nos, & vniuerſa Peripate-

d Alcinous de Doct. Plat.

D ticorum

ticorum ſchola ſentiunt; Nam nos naturę ordinem ſequimur, quę à minus perfectis exorditur, illi prudentię methodum in ijſdē diſciplinis capeſſendis.

285 Pro apta diſtributione materię, quam mathematicus tractat, diuiditur ipſa ſcientia in partes; Sic enim ſcientiæ, reſq; ipſę, ęquis partibus diſſecantur. *a* Pythagoræorum partitio, niſi eſſet paulo contractior, & anguſtior iuſta, itemq; niſi mathematica phyſicis permiſceret, ſanè placeret. Fuiſſe ea traditur in quatuor capita; In Arithmeticam, quę diſcretam quantitatem ſecundùm ſe tractat; In Muſicam, quæ eandem, ſecundùm proportionē ad alteram; In Geometriam, quę quantitatem continuam ſtantem, ac fixam; & In Aſtronomiam, quę hanc ipſam in hac rerum vniuerſitate perpetuis motibus circumactam.

a Ex Proclo in Euclid. lib. 1.

286 Melior illa *b* Gemini antiqui Geometrę, ſi quę in illa habentur metaphyſica, vel phyſica, admonitore *c* Ariſtotele, neque vt phyſica, neque vt metaphyſica accipiantur. Ea primò eſt in duas partes, in mathematicam, quę de rebus ſit à ſenſibus remotis, & eam, quę de rebus ad ſenſum propius accedentibus. Remotior à ſenſu eſt numerus, & quantitas, etiam continens, cum longę, latęque dimenſiones à corpore preciduntur. Hinc verò altera partitio eſt eius, quę in hac materia verſatur, in Arithmeticam, & Geometriam. Propiora ſenſui ſunt, quæ ſua ſe nobis luce, motu, mole, ſono, figura, & artificioſis, ad miraculum vſq;, conuolutionibus produnt. Hinc verò alterius partis, cuius hæc eſt propria materia, diſſectio eſt in Aſtrologiam, Perſpectiuam, Geodęſiam, Canonicam, Supputatricem, Mechanicam.

b Vt refert Proclus in lib. 1. Euclidis.
c Lib. 2. Phyſ. t. 20.

287 Arithmetica in numeris eſt, & numerorum proprietatibus conſiderandis, eo certior, auctore *d* Ariſtotele, quam Geometria, quo ſimplicior eſt: Nec enim in ſuis numeris eam partium poſitionem requirit, quam in ſuis magnitudinibus Geometria. Quamquam & numeri etiam lineares, triangulares, quadrati in planis; Itemque cubici, sphęrici, pyramidales, & eiuſdem generis alij, in ſolidis, vſui ſunt Geometrię ſimul, & Arithmeticæ, pro ea, quam habent hę partes, affinitate inter ſe.

d Lib. 1. Met. cap. 2.

288 Numerus, vel eſt par, quem in duas ęquas medietates facilè diuidas, vel eſt impar, quem, quo minus ęqualiter diuidas, obſtat vnitas indiuidua. Idem in Arithmetica, vel in ſe ipſo ſpectatur, vel prout ad alium refertur; Et quamuis hac ſecunda ratione vſum plurimum habeat in muſicis; in arithmeticis duæ proportiones, prę alijs nobiles, ex hac eadem comparatione naſcuntur, ſicut & in Geometricis ex comparatione magitudinum. Harum proportionum altera dicitur Arithmetica, altera Geometrica.

289 *e* Proportio Arithmetica eſt, cum tres, vel plures numeri, ſeù magnitudines, pari prorſus quantitate ſe excedunt, ità vt comparatio ſit exceſſus cum exceſſu, quæ poſtulat neceſſariò tres terminos. Hęc in numeris, tum continua, tum diſcreta eſſe poteſt. Continua eſt, cum ſerie non interrupta plures numeri habent exceſſum parem; Diſcreta contrà, cum ſeries interrumpitur.

e Ex Ariſ. li. 5. Ethic. c. 3. & 4. et ex elemētis Euclid. li. 5.

290 Proportio Geometrica *f* dicitur, qn̄ inter terminos, minimū quatuor, eſt ſimilitudo rationū; quicquid ſit de paritate, vel imparitate exceſſus. Ratio

f Ex Ariſtot. & Eucl. ibid.

cuius hic ſimilitudo cum altera ratione expoſcitur, eſt mutua quædam habitudo, & comparatio duorum numerorum, ſeù magnitudinum. Hæc eſt, quę proportio dicitur à Mathematicis, alię verò dųę proportionalitates; ſed, vt ſyluæ folijs pronos mutātur in annos, itá vocabulorum facta mutatio eſt, & quæ olim proportio, nunc ratio dicitur, quæ olim proportionalitas, nunc proportio. Quin etiam Philoſophi morales, cum vna quantitas alteri æqualiter comparatur, vt datum accepto, hanc, quæ propriè ratio eſt, appellant, nec malè (quæ vis eſt vſus, & conſuetudinis in re arbitraria) proportionem Arithmeticam.

291 In proportione etiam Geometrica, vt rectè *a* Ariſtoteles animaduertit, quatuor illorum terminorum, qui neceſſariò requiruntur; & coniunctio, & diſiunctio eſſe poteſt: Coniunctio, cum tres tantum accipiuntur, quorum vnus vicem gerat duorum; Diſiunctio verò, cum accipiuntur quatuor diſtincti.

a Lib. 5. Ethic. cap. 3.

292 Munus Geometriæ eſt, magnitudines à ſenſibus externis in internum auocatas contemplari, cuius figurę ſint, quō diuidantur, quō ſe contingant, excedant, deficiant, rotundis quadratę mutentur, & horum ſimilia complura. Quædam *b* Geometræ petunt, alia pronunciant; danda ea ſunt, audiendi ſunt, vt principia primùm ponantur, mox, quę ex principijs emanant, aptè deducantur. Mirum eſt, quam hi celeriter, quam perſpicuè, & quę ſunt conſtruenda conſtruant; & quę demonſtranda demonſtrent; Euclidem conſule, nobis huc plura ex illo transferre, non eſt opus.

b Ex methodo Euclid. lib. 1. elementorum.

293 Aſtrologia Arithmeticæ, & Geometrię alis, vt *c* Plato ait, in Cœlum ſe erigens, ab Aſtris nomen habet, & pręcipuum ſuę commentationis argumentum. Cœlorum altitudinem, ſitum, interualla, figuram, motum, ſeù potius Aſtrorum, attentiſſimè rimatur, ſiuè ipſa, ſiuè per ſuas adminiſtras, Meteoroscopicam, & Diopotricam.

c Dialogo 7. de Repub.

294 Syderum, inquam, potius, quam Cœlorum; quę enim ſuperioribus ſeculis de Cœleſtium orbium numero, & quà idem centrum cum terra, totaque hac rerum vniuerſitate habent, & quà eccentrici dicuntur, deq; epicyclis, rectè conſtituta videbantur, noua ſydera in dubium reuocarunt; tum quæ incertis temporum interuallis ſub omnium aſpectum veniunt, mox recedunt; tum quę circà *d* Iouem incluſa bicubitali tubo perſpicilia demonſtrarunt.

d Dicta ſydera Medicea.

295 Ergò de Aſtris Aſtrologia ſit, deq; aſtrorum principe Sole, cuius luce, non ſolum Luna, ſtatis incrementis, ac decremētis, lucet; ſed etiam *e* Venus. Quid, quod idem Sol crebris maculis aſpergitur? Certè opacum quid opponitur, vt ſit adhuc incertior Aſtrologia ſecundùm antiquam, ac iam receptam cęleſtium orbium diſpoſitionem. De Cœlorum verò diſtinctione, magnitudine, itē ſolidi ne ſint, an fluentes, videant Aſtrologi quid pronuncient.

e Ex nouis obſeruationibus huius noſtræ ætatis.

296 Sed an & illa incerta, quæ hactenus ijdem de duplici quorundam aſtrorum motu, tradiderunt, ſcilicet, & quo ſponte ſua eunt, & quo ſuperiorum ſtellarum curſu rapiuntur? Sic reor, ſi quę oculis fides eſt, dum nuper conſtructis perſpicilijs vtimur.

297 Astrologiæ Gnomonica, cuius inuentor dicitur *a* Anaximāder, subseruit in dimetiendo tempore, in horologijs, tum horizontalibus, tum verticalibus, tum inclinatis, tanto artificio componendis, vt cœlum in suas tabulas transferat, dum Soli, ampla cœli conuexa pererranti, intrá præscriptas hasce lineas iter præcipit.

298 Eidem, sed non eadem in opera, subseruiunt Cosmographia, Geographia, Chorographia, Topographia. Cosmographia, cuius *b* Hecates quidam descriptor fuisse dicitur, sita est in Mundo, qui è quatuor constat elementis, & Cœlo describendo; facta cœlestium circulorum in subiectis terrarum sitibus designatione. Hinc ratio climatum, dierum, noctiumque diuersitas, quatuor mundi cardines, poli eleuationes, & complura similia.

299 Geographiæ campus terra est; hanc partitur ad Cœli partitionem in Zonas quinq;. Et sanè credibile est, habere singulas suos accolas. Quę enim quæstio inter antiquos *c* Philosophos fuit, de terræ partibus, hominum hospitio bonis, nostrę ętatis nauigationibus definita est, quibus compertum habemus, eos, vel sub ęstu Zodiaci, vel sub Arctico frigore, vitam tolerare. Chorographia maiores orbis terrę partium tabulas conficit. Topographia loci alicuius minoris, vtraque, vel duarum precedentium, vel potissimum Astrologiæ beneficio.

300 Perspectiuæ opus est, eam omnem videndi varietatem, quæ ex oculorum figura, rerum situ, ac distantia, luminis incidentia contingit, intelligentiæ oculis, sanè perspicuis, intueri. Habet pro obiecto lineam, non omnino nudam, vt Geometra, sed visualem.

301 Ab oculi munere *d* nomen habet. Et quamuis de oculo multa Physicus, non pauca tamen etiam Perspectiuus, qui in hoc, veluti centro, suę peritię fundamentum locat; Nec eum fugit, quam prouida cura naturę auctor Deus orbicularem fabricatus sit, ad plures vna simul aspectabilium rerum imagines receptandas.

302 Visio, alia simplex rei, recta ad oculum sui speciem transmittentis; alia per reflexionem, transmittentis in speculum, aut quoduis simile corpus leue, vt indè resiliat in oculum; alia per refractionem extrà oculum factam, vndè res alibi appareat, quam vbi est. Ex hac triplici diuisione triplicem aliqui faciunt perspectiuam.

303 Triplex item est illa Procli, *e* in eam, quæ communi vocabulo dicitur Optica, seù perspectiua, quæq; causam reddit eorum, quæ per radium directum cernuntur, & eam, quæ proprio nomine Catoptica appellatur, agitque de ijs, quæ, tum per radios reflexos cernuntur in speculis, tum per refractos in aqua, vitro, nubibus, & eam denique, quæ Sciographica dicitur, vmbrarum designatrix.

304 Tunc autem de aliqua obiecti parte est omnino distincta, & determinata visio, cum ad eam oculorum axes vniuntur, quorum vnio est etiam causa, cur duobus oculis vnicum videamus obiectum; Si enim vno compresso oculo diuaricentur axes, obiectum duplex apparebit.

a Ex Pico Mirand.

b Ex Francisco Patrit.

c Quorum sententia fuit, duas extremas Zonas propter frigus, vnā mediam propter ardorem esse inhospitas, vt indicat Aristoteles lib. 2. Meteor. sum. 2. cap. 2. vbi Auer. & alij.

d ὀπτικὴ

e Lib. 1. Commēt. in Euclid.

f Ex Aristotele Sec. 31. proble. n. 21. et 17.

305 Dici-

305 Dicitur etiam obiectum videri ſub angulo, qui, quo maior eſt, vel minor facit, vt eo maius, vel minus obiectum videatur. Hinc verò eſt, vt ſphęra vicina oculo videatur maior; cum tamen minus ipſius videamus; Et ſi duo corpora ęquè velociter moueantur per lineas parallelas, oculo tranſuerſas, id, quod vicinius eſt, videbitur moueri velocius, eo quod ſpatium, quod ab ipſo conficitur, videatur ſub maiori angulo.

306 Perſpectiuæ praxis pictura eſt, cuius partes ſunt loci circumſcriptio, diſtributis aptè ſuperficiebus; compoſitio, maioris, vt reor, operę in hiſtoria, quam in coloſſo; & luminum, atq; vmbrarum receptio. Quis verò credat, album, ac nigrum colorem pictoribus colores non eſſe? Et tamen verum eſt.

307 Picturæ germana ſtatuaria eſt, vtra nobilior? Habet opinor vtraque proprias laudes, vt non facilè altera alteri anteponatur. Multæ vero ſunt ſtatuariæ partes, vel à ſtatuarum, vndequaque præciſarum prominentia, Anaglyfice dicitur, vel ab impreſſura Diaglyfice, & vtriuſque tandem propria nomina, pro ea, qua vtuntur in effingendo, vel affingendo materia.

308 Reſpondet Geometriæ Geodæſia, Arithmeticis proportionibus Muſica, ſeù Canonica; Illa in aceruis, conis, puteis, cylindris, vel vſu radiorum, vel alterius magis ſenſati inſtrumenti, dimetiendis; Hæc in ſonoris numeris, & ad aurium iudicium melioribus, quo fuerint compoſiti magis.

309 Vix alia eſt vlla mathematicæ pars, quæ ità *a* ad mores faciat, ſicut facere Muſicam, & veteres tradiderunt, & diſcimus experimento. Quid illæ fabulæ Amphionis, & Orphei concentibus compoſitas ciuitates, niſi Muſica efferatos hominum animos emolliri, & mitioribus imbui moribus? Amuſos planè ſim, niſi hic ego vos tantiſper morer in Muſicæ proprietatibus recenſendis, quæ quinque numerantur à *b* peritis.

a Ex Plat. Dial. 3. & 6. de Repub.

b a Ficino ex doctr. Platonica Coment. in Timæum à cap. 28.

310 Prima eſt Conſonantia, quæ in proportione ſeptemplici ſpectatur, ideſt Diapaſon in dupla, Diapente in ſeſquialtera, Diateſſaron in ſeſquitertia, Biſdiapaſon in quadrupla, Diapaſon diateſſaron in dupla ſuperbipartiente tertias, Tonus in ſeſquioctaua, Diapaſon diapente in tripla.

311 Secunda eſt Aſpectus rectus, cum ſeptem numeri, quibus illæ conſonantiæ redduntur. 1. 2. 3. 4. 8. 9. 27. Eo ordine, quo hic, poſiti ſunt, diſponuntur, ità vt ſequens præcedentem excedat; Sic enim illæ ſeptem proportiones, eodem ordine, numerantur; Inter duo, & vnum, Diapaſon; inter tria, & duo, Diapente; inter quatuor, & tria, Diateſſaron; inter octo, & duo, Bisdiapaſon; inter octo, & tria, Diapaſon diateſſaron; inter nouem, & octo, Tonus; inter vigintiſeptem, & nouem, Diapaſon diapente. Illam quintam Diapaſon diateſſaron, vt parum conſonam, aliqui non numerant; numerat tamen Ptolemæus, & cum magiſtro *c* Platonici.

c Ex Ficino cit. Comment. ī Timęū Plat.

312 Tertia proprietas eſt Reflexio, cum poſitis ex vna parte numeris paribus, imparibus ex alia, additione, vel detractione vnitatis, & impares fiunt pares, & pares impares.

313 Quarta eſt Duplex ordinatio, cum poſitis ex vno latere numeris paribus, dupla inter eos proportio; ex alio verò numeris imparibus, tripla pro-

portio reperitur. an non in dupla, octo ad quatuor, quatuor ad duo? an non in tripla, viginti septem ad nouem, nouem ad tria?

314 Quinta est Identitas in imparibus numeris; facto enim primùm quadrato ex vno, & tribus vnitatibus, si primus numerus impar addatur, idest quinq;, fit numerus quadratus, ideft nouem ex ter tribus; sic si ipsis nouem adijciatur impar, qui sequitur ad quinq;, ideft septem, fit item quadratus, sexdecim; sic si sexdecim apponantur nouem, ac deinceps; Contrà nõ Identitas, sed Diuersitas in paribus numeris reperitur; nec enim parium additione perpetuò quadratus numerus resultabit. Et hic mihi aliquis inficias eat, non exaudiri in hac rerum vniuersitate celebrem illam Pythagoręorum musicam, nec ex hominis anima parem reddi?

315 Si liceat in tempore aptis vti translationibus, & allegorijs, assero, mũdum ex musica compositum esse, ipsumq; hominẽ ex musica constare; Quæ enim est in stellarum motibus, in elementorum qualitatibus, in tẽperie mixtorum, in facultatibus animantium, in ipso homine aptissima partium omnium ordinatio, hæc musica, hæc illa consonantia est, quæ Dei artificis laudes concinit.

316 Laudanda censeo veterum ingenia, qui, vt ipsa hęc mundana musica articulatim perueniret ad aures, minutissimè eam distinguere studuerunt; sed ingeniosè magis, quam verè ab ijsdem definitum est; quia syderum interualla, in quibus illi suas consonantias numerabant, haud scio, an sint ad numerum consecuti. *a* Plinium consule, vbi expositis eorum commentationibus concludit, in hoc illos studio iucunda magis, quam necessaria subtilitate, fuisse versatos.

a Lib. 2. Nat. Hist. cap. 22.

317 In humana verò musica dissonantia non tanta est. Septenos illos numeros, quibus stare musicum concentum vidimus, in homine hac ratione noto. Est Vnitas in humana mente, cuius natura indiuidua est, & expressa quædam Diuinitatis imitatio. Est Binarius numerus in intellectu, altero agente, passiuo altero. Est Ternarius in triplici rationalis animę vi, memorandi, intelligẽdi, volendi. Est Quaternarius in quatuor elemẽtis primis, ex quibus humanum corpus, non secus, ac alia corpora mixta, sed mixtura longè pręstantiori compactum est. Est Octonarius, si his quatuor elemẽtis primis totidem addas posteriora, quatuor scilicet humores, quibus haustis vita exhauritur, atram, & flauam bilem, pituitam, sanguinẽ. Est Nouenarius in sensibus externis quinq;, Visu, Auditu, Olfactu, Gustatu, Tactu, internis, vt non pauci numerant, quatuor, Communi sensu, Imaginatiua, Phantasia, Cogitatiua. Deniq; pro septem supra viginti triplicem nouenarium habes; primum in corpore, si enumeratis elementis primis, & humoribus totidem, secundam addas humiditatem; alterum in anima, si eodem, quo modò dixi, ordine sensus recolas; tertium in ratione, in qua potentia triplex est, Memoria, Intellectus, Voluntas, vnius triplex operatio, Apprehensio, Iudicium, Discursus, & ad hanc triplex instrumentum, Species sensibilis, Phantasma, & omnium perfectissima Species intelligibilis. Ad hanc porrò musicam humanum genus excitabat, qui edixit: Nosce te ipsum.

318 Supputatrix Arithmetica ſubducit numeros ad humana commercia in dando,accipiendo, numerando, diuidendo, addendo, detrahendo,iuſtè peragenda; Diuiditur,ſicut Arithmetica ſimplex, in abſolutam, & relatam. Nihil eſt,quod hic repetam,nec res tanti eſt, vt eruditas aures diutius debeat detinere.

319 Mechanica molitur grandiora, & in quibus cum laude, vel ingenium ponat operam, vel manus: Nec enim mechanicæ nomine ſellulariam, ſutoriam,veſtiariã,aut his obſcuriores intelligo,quas *a* Albertus; ſed illam,qua ingenioſè compoſitis machinis,ad miraculum vſq;,cõtra naturam nitimur, & euincimus. Hinc aliqua ſui parte *b* Taumatopijtica dicitur.

a 1. Meta. tract. 1. c. 6.

b Admirabilium effectrix.

320 Eſt ergò hæc in bellicis inſtrumentis ad vim inferendam, arcendamq; factis,ad libranda pondera,ad aquarum impetus reijciendos, ad viuas quodammodo conuolutiones in rebus vita carentibus, ad concentus ſine voce ciendos, vel omnia, vel plurima præſtante circulo, horum fermè omnium miraculorum auctore.

321 Duo principia duo Principes auctores tradiderunt Ariſtoteles, & Archimedes,quibus huius facultatis miracula nituntur. Illud eſt *c* Archimedis: Ità ſe habet grauitas ad grauitatem, ſiuè pondus ad pondus, vt diſtantia ad diſtantiam permutatim. *d* Ariſtoteli vero circulus ſatis eſt, dumq; vniuerſa ad vectem,libram,circulum, referri ait, ad circulum tandem omnia refert, quia vectem ad libram, libram ad circulum. Et ſanè,cum talis ſit circuli natura,vt dum fit,ex contrarijs quodammodo cõſtituatur, factus verò contraria etiam retineat,motibusq;,quaſi contrarijs,ſimul moueatur,quid mirum, ſi tam admirabili conſtructione admiranda exiſtant in mechanicis?

c In libello de æqueponderãtibus.

d Sub initium quæſt. Mechanicarum.

322 In omni pondere centrum grauitatis maximè attendendum eſt, quod ſic ab *e* Alexandrino Pappo deſcribitur: Centrum grauitatis vniuſcuiusque corporis eſt punctum quoddam intrà poſitum, à quo, ſi graue appenſum mente cõcipiatur,dum fertur,quieſcit,& eam ſeruat, quam in principio habebat,poſitionem,neq; in ipſa latione circumuertitur. Fortaſsè clarius,certè breuius idem deſcribi poteſt, ſi dicatur: *f* Pũctum illud eſſe intrà ſolidam figuram poſitum,circa quod vndique partes ęqualium momentorum conſiſtunt.

e Lib. 8. collectionum Mathemat.

f Ex Federico Commandino lib. de centro grauitatis ſolidorum.

323 In hoc puncto, quod centrum grauitatis appellatur, vnumquodque graue ità propriè grauitare putandum eſt,vt tota propè vis, grauitasq; ponderis in hoc centro coaceruata, collataq; eſſe,ac in ipſum vndiq; fluere,videatur. Id ipſum eſt, ſecundum quod grauia tendere deorſum dicuntur, ità vt per rectam lineam, quæ ipſorum centrum grauitatis cum centro mundi coniungit,deorſum ferantur.

324 Quoniam autem hæc recta linea horizonti perpendicularis eſt; Ideò neceſſe eſt, vt, quæ duo pondera in extremis libræ brachijs appenſa, ſunt æqualia,atq; in æquilibrio exiſtunt, ſi per ſe deorſum tendant ſeparata, non poſſint ferri per lineas duas,quæ parallelæ inter ſe ſint.

325 Quod ſi eadem illa duo pondera cum tota libra compacta deorſum ferantur, ſecundum vnam lineam quidem ferentur rectam, quę centrum

libr̨ cum centro mundi coniungit; ipsa verò pondera sensim accedent, ac tandem in centro conuenient.

326 Admiranda deniq;,& humanam fidem excedentia, quę de vecte, aut dicuntur,aut dici possunt ab auctoribus,eaq; innumerabilia ferè sunt. Illud *a* sit instar omnium,quod creata agentia,quibus à natura prescripta est actiuitatis sphęra,intrà quam agant, beneficio vectis ità agendi fines extendunt, vt possint ad maiorem,& maiorem distantiam maius,& maius pondus in infinitum maiori,& maiori semper facilitate mouere.

a Ex Guido Vbaldo in Mechanicis de vecti.

327 Vectis viribus fretus Archimedes,non minus verè, quam audacter affirmauit,se,si,vbi pedem extrà hanc rerum vniuersitatem poneret, daretur, totam terræ molem,quantaquanta est, è propria sede moturum.

328 Hæ verò sunt,quas ex Gemino retuli,mathematicę partes. Quæritur de Militari, an & ipsa cum reliquis adiungenda sit. Arbitror, vnam esse ex ijs; Nàm,si hęc sit in enumerandis legionibus, supputatrix Arithmetica est, si in diuidendis, dimetiendisq; campi spatijs ad castra metanda, Geodæsia est.

PHYSICAE OBIECtum, Libri, Methodus.

CAP. II.

329

ALTERA naturalis Philosophiæ pars est Physica, sic ab *b* Aristotele appellata à materia, quam tractat; nimirum à natura,rebusq; naturalibus,de quibus tota est, & in quibus discutiendis veram se, & propriam scientiam probat.

b περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως

330 Neq; verò magnoperè laborādum est, dum, quę est capitum,sententiarūq; varietas,hęc ipsa,quę Physici tractāt,alij entis,seù substantię mobilis nomine,

nomine, alij corporis, seu substantiæ sensibilis, alij substantiæ, corporisue naturalis, aut mobilis comprehendunt. Eodem.n.hæc recidunt, si substantiale corpus, quod in se sui motus principium habeat, intelligas. Aptius tamen, & genericam obiecti rationem, in qua Physica cum alijs facultatibus conuenire potest, & specificam, ac propriam, in qua differt, illi *a* explicant, qui asserunt, corpus naturale, vt naturale est, cuius nimirum principia, species, affectionesq; Physicus contemplatur.

a Auicenna, Algazel, Albertus Magn. Aegidi⁹, Lyncon. & alij.

331 Physici libri hi sunt, hisq; inscriptionibus notati. Octo de Physico auditu, quatuor de Cœlo, & mundo, duo de generatione, & corruptione, quatuor de meteoris, decem de historia animalium, quatuor de partibus eorumdem, tres de anima, & prætereà in vnum volumen congesta, vel congerenda opuscula, quę parua naturalia dicuntur.

332 Octo illi, qui de physica auditione dicuntur, hanc præferunt inscriptionem, nō quia soli sint acroamatici, sed quia diligentē postulant doctoris operam in tractatione, quam continent de corpore naturali in vniuersum, abstrahendo à speciebus. Visum non *b* nemini, vel ex hac ipsa abstractione validum argumentum, hos libros non esse physicos, sed metaphysicos; sed hoc mihi non persuadet, expositam in ijs de natura, rebusq; ad naturam spectantibus disputationem perlegenti.

b Mirandulano lib. 15. Euersionis sing. cert.

333 Quatuor de Cœlo, quamuis à nobiliori mundi parte appellentur; de simplicibus tamen corporibus, quibus, tanquam elementis primis, mundus componitur, disserunt, nec sine consilio. Nam vbi in vniuersum dictum sit, & ad singula deueniendum sit, præcedunt priora posterioribus, simplicia mixtis.

334 Duo, qui dicuntur de generatione, disputationem incohant de mixtis, vt deinceps mixtorum species intueamur. Neq; verò hic inferiora mundi elementa in disputationem veniunt, quia mundi sint partes; sed quia conueniunt ad mixtum.

335 Libri Meteorologici quatuor censentur; sed qui de mixtis imperfectis, quæ à sublimi loco, in quo magna, & illustriori ex parte generantur, nomen trahunt, soli sunt tres primi; nam quartus incohatio est alterius tractationis de mixtis perfectis inanimatis, tum quà vita, sensuq; carentia existūt, tum quà ad animam ordinantur, vt materia.

336 Post hanc disputatio sequitur de animatis, & quà viuunt & quà sentiunt, & quà ratione vtuntur, quam vniuersam disciplinam libri de anima, de animalibus, & quæ dicuntur parua naturalia, continent. Verùm, an inter animalia rationis expertia, nobilissimum animal homo, quà vitam viuit compotem rationis, se ipse physicis disputationibus materiam præbeat, difficilis quæstio semper habita est, ipseq; *c* Aristoteles videtur præcisè negare, vbi rem hanc pressè examinat, & acutè.

c Li. 1. de Part. Cap. 1.

337 Anceps itē Philosophi auctoritas, & ipsa res præclari nominis scriptoribus, *d* Philopono, & Olympiodoro persuasit, mediam quandā esse de homine disciplinam, nec physicam, nec metaphysicam. Sed mirum, cur quartam hanc naturalis Philosophiæ partem Aristoteles nunquam adnumerauerit.

d Lib. 2. Phys. tex. 23.

338 Ego,

338 Ego, ipſo auctore Ariſtotele, phyſicum eſſe, agere de anima rationali affirmo; nec verò id ille negat, qui de intellectu tam multa, tamq; disertè phyſicis inſeruit. Sed nunc phyſicæ methodus proponenda eſt, mox eodem ordine Ariſtotelis libros percurram, vt res ipſa demonſtret, quorſum Phyſica ex ſuis principijs demonſtrando progrediatur, & qua illi in re Metaphyſica ſuccedat.

339 Quadecunq; re ſcientia ſit, ea *a* ſi habeat principia, cauſas, & elementa, diſſerendi methodus poſtulat, vt à principijs, cauſis, & elementis exordiamur. Poſtulat hoc ipſa ſcientiæ ratio: Tunc.n.nos rem penitus cognouiſſe, arbitramur, cum cauſas primas cognouerimus, & principia prima.

a Ex Ariſtotele initio lib. 1. phys.

340 Poſtulat idem naturæ ipſius inſtitutio, quæ dictat, vt ab his, quæ ſunt nobis notiora, atq; patētiora, quaſi manu, ducamur ad ignota, & penitus abdita, quamuis natura nota ſint. *b* Nec.n.ſunt eadem, & nobis nota, & ſimpliciter, ſeu ex natura ſua. Quæ verò nobis nota dicuntur, ea ſunt, quæ in obſcura quadam luce ſe primùm oſtendunt; mox, vbi mentis aciem intenderimus, eaq; tandem diuiſerimus, ipſa principia, & elementa diſtinctè innoteſcunt, atq; adeò res ipſa.

b ex Ariſtotele lib. 1. Phys. tex. 3.

341 Ergò ab vniuerſalibus ad minus vniuerſalia procedendum eſt: Nam quia totum eſt illud confuſum, quod primo cognitum nos ad diſtinctam notitiam partium introducit, & vniuerſale totum quoddam eſt, diſtinctas rerū ſpecies, quaſi ſui partes, continens; recta ratio poſtulat, vt ab ijs, non aliundè initium capiamus.

342 Quare, & in quauis ſcientia, & in hac, quam cum Ariſtotele aggredior, ſcientiæ parte, phyſica principia, cauſæ, & elementa inueſtiganda ſunt, vt res ipſa per ſua principia, cauſas, & elementa cognoſcatur, quod ipſa ſcientiæ ratio poſtulat: In eorumdem verò inueſtigatione progredi ab vniuerſalioribus, quæ confusè nobis facilè innoteſcunt, ad minus vniuerſalia debemus, quorum diſtincta notitia poſterior eſt.

343 Hæc illa eſt, quam modò pollicebar, methodus, tum in rebus tractandis, tum in modo tractationis, huc ex *c* Ariſtotele translata, non ſolum diſcurſu eodem, ſed propè dixerim verbis, hancque ipſe in phyſicis ſeruat, qui à principijs corporis naturalis exorditur, ac ſibi viā ſemper aperit per ea, quæ notiora ſunt, ad minus nota. Sed multa in non longa ratiocinatione clauduntur, de quibus dubiæ ſint apud alios ſententiæ, hæ apud me certæ.

c Lib. 1. Phyſ. initio.

344 Vbi res ex ſuis cauſis tractanda dicitur, intellige, futuram quidem de ea ſcientiam, eo *d* perfectiorem, quo plura cauſarum genera rem ipſam doceant; ſed non propterea neceſſarium videri, vt vnumquodq; in quaq; diſciplina per omnia cauſarum genera demonſtretur. Item, cum dicuntur inueſtiganda principia prima, primæ cauſæ, & elementa, intellige intrà latitudinem obiecti phyſici; nam cauſas ſimpliciter primas, non Phyſici, ſed Metaphyſici eſt, ſpeculari.

d Ex D. Tho. 1.p. q. 12. a. 7.

345 Vbi dicuntur, non eſſe eadem nota nobis, & nota natura, & à notis nobis eſſe exordiēdum; per nota nobis, ne intelligas *e* notiſſimas propoſitiones, quibus vtimur in conſecutionibus deducendis; nam de eo, quod in re eſt,

e Vt intelligit Mercenar. dilucid. de hac re ex ſententia Simplic. & Alex.

non

non quod in intelligentia componitur; ſermo eſt; Neq; *a* effectus, qui cauſam monſtrant, nam nihil hoc ad textum. Dicantur ergò ea tota, & confuſa, quæ diuiſa in partes, apertam, diſtinctamq; oſtendunt partium notitiam.

a Vt intelligit Zabar. in te. 2.

346 Talia hic dicuntur magis vniuerſalia, quæ tota ſunt, prout poteſtate continent minus vniuerſalia. Et quamuis de his alias dixerit *b* Ariſtoteles, eſſe notiora natura; ſine vlla tamen pugna verborum hic dicuntur nota nobis, etiamſi non ſint eadem, & nota nobis, & natura.

b Lib. 1. poſt. tex. 5. vel. 12.

347 Non vna ſcilicet ratione dicuntur nota nobis, & nota natura; Nobis aliquandò, quæ ſenſata magis, vt ſingularia; aliquandò quæ citius, ac facilius ex ſenſatis ſingularibus confusè oſtenduntur, vt magis vniuerſalia; Natura verò, aliquandò quæ à ſingularibus remotiora ſunt, vt magis vniuerſalia, aliquandò quæ ſunt magis compoſita, & naturæ perfectioris, vt minus vniuerſalia.

348 Verè igitur aliquandò dictum eſt, notiora nobis eſſe ſingularia, natura vniuerſalia; & verè item hic dicuntur, eſſe nobis notiora magis vniuerſalia, natura verò minus vniuerſalia. Sed quæ eſt iſta locutio, inquis, dum quædam dicuntur nota natura? Reſpondent *c* aliqui: Sic loquimur, quia ſi naturæ cognoſcendi vis ineſſet, ea natura cognoſceret. Hoc ſi verum ſit, nihil natura, ſeù, vt ipſi loquuntur, naturæ notum, quia cognoſcendi vis nulla ineſt; aut certè omnia naturæ nota, quia ſi ineſſet, quid ea non noſſet?

c Zabar. & Pendaſius in proe. lib. 1. phyſ.

349 Quantò melius D. *d* Thomas? Is huius locutionis rationem optimam afferens ait, dici nota natura, quia, vel quæ priora ſunt, vel quæ perfectioris entitatis, ea ſunt, quæ ex natura ſua ſunt apta primò cognoſci, quicquid ſit de noſtra in cognoſcendo infirmitate, qui non ipſam rei naturam ſubitò aſſequimur, ſed eò ſenſibus introducimur.

d Lib. 1. Phyſ. lect. 1.

350 Hinc verò data occaſione quæſitum eſt, vndè hæc noſtra in intelligendo tarditas oriatur; ex ipſisne rebus, penitus abditis, an ex noſtra hebetudine? Ex priſcis Philoſophis multi rerum inconſtantiam, perpetuaſq; viciſſitudines accuſant; ex *e* noſtris quidam, quamuis ſubtilium Philoſophorum nomen meriti, & conſecuti ſint; ſibi tamen ipſi non malè conſcij de humani ingenij tenuitate conqueruntur.

e Scotus lib. 1. Meta. q. 2.

351 Hic etiam, vt fermè ſemper alibi, placet D. Thomæ ſententia, qui intelligendi difficultatem, & in res, & in ingenia refert. Nam, quod tardi ad intelligendum ſimus, quis ita eſt tardus, vt non aſſequatur? Quod verò rerum naturæ non ſint palàm expoſitæ, quod affectiones dubiæ ſæpè ſint, quod vnum ſit alio obſcurius, perſpicuè patet.

352 Sed redeo ad eorum partitionem, quæ nobis certo quodam ordine innoteſcunt; Nam & de primo cognito, & de cognitionis progreſſu lis eſt, non facilè componenda: tanta eſt humani ingenij imbecillitas, vt quod nouit, ignoret. Poſthabitis aliorum placitis, ſic ego ſentio. Quod primò à nobis cognoſcitur cognitione intellectiua, eſt ſingulare, cognitione tamen confuſa, & hæc illa eſt inductio, ſine qua *f* Ariſtoteles ait, neminem poſſe vniuerſalia ſpeculari. Nec verò cognitio hæc ſingularis reflexa dici poteſt, vt non nemo aſſerit, ex ipſa cognitione vniuerſalium; Nam cum ipſa vniuerſalia ex ſin-

f Lib. 1. Poſt. t. 33. vel 134. a Lib. 1. Phyſ. tex. 5.

ex singularibus abstrahantur, anteit horum notitia, non sequitur ex illis.

353 A singularibus ergo primò cognitis progreditur intellectus ad vniuersalia, quæ ex illis ipsis singularibus abstrahuntur: Sunt autem hæc magis vniuersalia, quorum nimirum accidentia sensata magis sunt, quam minus vniuersalium; & hinc est, vt sint etiam notiora nobis, cognitione tamen confusa. Docent hoc pueri, qui, inquit *a* Aristoteles, primum quidem omnes viros patres appellant, & matres fœminas, posterius autem determinant horum vtrunq;.

a Lib. 1. Phys. tex. 5.

354 Ne verò quispiam arbitretur, me in hoc notitiæ progressu quicquam contrà Diui Thomæ sententiam affirmare, hæc ipsissima est Philosophi disertissimi sententia, si quando, *b* ait, primo cognitum esse magis vniuersale. Ità videlicet est, si magis vniuersalia cum minus vniuersalibus cōparentur, quicquid sit de singularibus, quorum notitia ad sensum magis spectat, quam ad intellectum.

b 1. p. q. 85. a. 3. et in 1. phys. tex. 3.


355 Et hæc dicta sint hac in re, loquendo de cognitione confusa. Quod si confusam cum distincta comparemus, in eadem comparatione magis vniuersalium cum minus vniuersalibus, aio, minus vniuersalia esse nobis notiora cognitione confusa, quam sint magis vniuersalia cognitione distincta. Quis.n.non facilius distinguat hominem ab equo, quicquid tandem, vel homo, vel equus sit, quam supremam substantiæ rationem à corpore, vel angelicæ substantiæ ab humana?

356 Tandem si in eadem collatione cognitorum distincta notitia, item cum distincta conferatur, crediderim, difficilius à nobis distinctè percipi magis vniuersalia, quam minus: Hæc illa est difficultas, quam *c* Aristoteles in metaphysica tractatione ait esse maiorem, quam in reliquis Philosophiæ partibus: Ferè, inquit, & difficillima hominibus cognitu sunt ea, quæ maximè vniuersalia sunt.

c Lib. 1. Summa 1. Cap. 2.

357 Hic verò, vbi non æquè difficilis dicitur notitia minus vniuersalium, intellige notitiam, quę communiter per definitiones, ac descriptiones habetur: Nam si de distinctissima cognitione agamus, hæc in minus vniuersalibus sequitur ex nota omnium superiorum graduum distinctione.

PRIN-



PRINCIPIA
Phyſica.
CAP. III.

358 NON male iuxtà propoſitam diſſerendi methodum, *a* principium in vniuerſum dicitur, primum, vndè res fit, aut eſt, aut cognoſcitur. Hoc multiplici diuiſione diſtribuitur; Nã aliud per ſe dicitur, à quo res neceſſariò incipit, aliud per accidens, à quo res non neceſſariò, ſed planè contingenter. Sic Polycletus ſtatuarius, & quà Polycletus per accidens, & quà ſtatuarius per ſe operatur.

a Ex Ariſt. l. 5. Meta. Cap. 1.

359 Aliud intrinſecum dicitur, aliud extrinſecum; Illud, quo res conſtat, vel in ſe, vel in cognitione; hoc, quod extra rem eſt, ſed rei dat eſſe in ſuo genere nihilo minus, quàm illa ipſa, quæ rem componunt: qua ſanè in re nihil eſſe, ſi Deum ſolum excipias, quod in ſe ipſo eſſe habeat, nec extrinſecis egeat adminiculis, demonſtratur.

360 Dupliciter verò ipſa res ſpectari poteſt, ideſt, vel facta, vel dum fit. Primo modo ea, ex quibus conſtat, principia rei; Secundo ea, quæ ad rei productionem neceſſaria ſunt, ipſiq; intrinſeca productioni, tranſmutationis dicuntur, vel accidentalis, ſi ad accidens mutatio ſit, vel ſubſtantialis, ſi ad ſubſtantiam; Communitatis autem, ſi mutationem in communi intelligas, ad quodcunq; tandem illa ſit.

361 In Phyſicis ergo inueſtigaturus *b* Ariſtoteles intrinſeca principia rei, itemq; extrinſecas cauſas, quæ rem per ſe cauſant, à mutatione, quæ nobis notior eſt, aggreditur, ac, vbi tria per illam deprehendit, materiam, formam, priuationem, ad cuiuſq; rei mutationem neceſſariò concurrentia, facilè illi fuit duas intrinſecas rei cauſas, materiam, & formam, cum totidem extrinſecis,

b Lib. 1. & 2. phyſ.

ſecis, efficiente, & finali, in reliquo diſcurſu conſtituere.

362 Sed antequam certum hunc principiorum numerum Ariſtoteles componeret, quanta illi fuit cum Antiquis repugnantibus pugna? Vnum principium immotum poſuere *a* Parmenides, & Meliſſus, ille finitum, is infinitum, vterq; ex phyſicorum ſchola meritò eijciendus, quibus nihilo certius eſt, naturam eſſe, quam motum. Enimverò danda ſunt Phyſicis principia Phyſicæ, ſicut Geometris Geometriæ, & ſic deinceps. Sed eſtò rationibus agendum ſit, quæſo vos; an ſint omnia vnum? Hoc verò minimè nouum, quod vno inconuenienti dato, multa catenatim ſequantur.

a Apud Ariſt. lib. 1. *Phyſ. à tex.* 6.

363 Rectè hic *b* Ariſtoteles duabus, pro circuli quadratura, commentationibus allatis, altera Hippocratis Chij, altera Antiphontis, illa à Geometrico diſcutienda, hac verò minimè, exemplo docet, quorſum Phyſicus cum Parmenide, & cum Meliſſo agat in hoc principiorum phyſicorum examine. Continere ſe tamen idem non poteſt, quin pluribus, & contrà Meliſſum, & contrà Parmenidem agat.

b Lib. 1. *Phyſ. tex.* 11.

364 *c* Priùs Meliſſi paralogiſmum redarguit, cuius hunc fuiſſe diſcurſum D. *d* Thomas refert: Quod factum eſt, habet principium, ſed ens non eſt factum, ergo nec principium habet; Iterum, quod principio caret, caret & fine, quod fine, infinitum eſt; ens igitur infinitum: Tertiò, quod eſt infinitum, immobile eſt; Nam quorſum extrà ſe moueatur? Eſt idem vnum; nam ſi aliquid extrà ipſum ſit, infinitum non ſit; habemus igitur vnum ens immobile, infinitum, primum, ſolumq; principium.

c Lib. 1. *Phyſ. à tex.* 23.
d Lib. 1. *Phyſ. lect.* 5.

365 Peccat hæc ratio, inquit *e* Ariſtoteles, in forma, nec enim rectiùs dixeris: Quod eſt factum, habet principium, ergo quod non eſt factum, non habet principium; quam ſi ità ratiocineris; Quod eſt homo, eſt animal, ergo quod non eſt homo, non eſt animal; quid verò ſi aliquid æternum ſit, & compoſitum?

e Loco cit.

366 Peccatur, inquit idem, in ambiguitate materiæ, cum dicitur: Quicquid eſt factum, habet principium; Siq; de principio magnitudinis aſſeras, falſum aſſeris, vel in ſubitanea generatione, vel in ſimultanea alteratione.

367 Peccatur deniq;, quia falſa falſis adnectuntur. Falſum eſt, ſi vnum aliqua dimenſione infinitum ſit in loco, non poſſe illud loco moueri; an non cœlum in ſuo loco mouetur? an non alius datur motus præter localem? Falſum item, quod ſit vnum: Homo.n. inquit *f* Ariſtoteles, ab equo alterum eſt ſpecie, & contraria inuicem.

f Lib. 1. *Phyſ. tex.* 24.

368 Poſt hæc reditur ad Parmenidem, cuius illa ratio *g* Themiſtio interprete: Quicquid eſt præter ens, eſt non ens, ſed non ens eſt nihil, ergo ens eſt vnum. Etiam hic vitium oculatiſſimus *h* Ariſtoteles deprehendit; Nam, vbi de ente loqueris determinato, falſum, quod quicquid præter illud eſt, non ſit; vbi de eodem abſtracto, & ſub generica ratione colligente omnia, quæ ſunt, falſum, quod ſit vnum, cum ſit in tam multa diuiſum, ac diſtributum.

g Lib. 1. *Phyſ. in tex.* 25.
h Eod. illo. 1. *phyſ. tex.* 25.

369 Saniores fuere alij philoſophi, qui principia mobilia aſſeruerunt in phyſicis. Ex his Orpheus, Muſæus, Thales, Hippaſus, Hippon, alijq;, quos aliquando priſcos Theologos, quia horum aliqui de Deo cecinerunt, *i* Ariſtoteles

i Li. 2. *Meteor. Summa* 1. *Cap.* 1.

teles appellat, vnum materiale principium agnouerunt. Non idem omnes, sed alij aquam, ex qua vna rarefacta, condensata, addita, detracta, extare voluerunt eam rerum omnium varietatem, quam esse in rebus, nouimus. Ità Thales; idemq; Hippon, qui quid tandem in rerum natura videre potuit, cum naturæ auctorem Deum philosophus atheus non viderit?

370 Alij ex alijs elementis rerum materiam acceperunt; Anaximenes ex aere, Hippasus Metapontinus, & Heraclitus Ephesius ex igne, ex terra sola nemo, nisi fortè poeta: Sed vnus omnium error est, quòd solū materiale principium norint, & quòd ad primum in hoc eodem genere ratiocinando non peruenerint.

371 Alia, præter has, physicorum classis fuit, dicentium, vnum esse principium, in quo omnia confusè, ac permixtim continerētur, ex hoc omnia entia segregari in ea, quæ nobis videtur noua rerum generatio, huc redire omnia, perpetuasq; lites in amicitia trahi. Ità Empedocles; concordat in principio eodem, quamquam, non in eo exitu, redituq; ad principium, Anaxagoras.

372 Timuere, si aliter pronunciarent, ne ex nihilo aliquid fieret, sed timere potius debuissent, ne in vno contineantur infinita, & in quolibet quidlibet; Item ne sæpè maiora in minori, & similia alia incommoda, quibus enimuerò validè *a* Aristoteles horum sententiam oppugnat, expugnatq;.

a Lib. 1. phys. vsq; ad te. 41.

373 Cum tantum fuerit Aristotelis studium in antiquorum sententijs reprobandis, quibus principiorum, vel numerus, vel natura perperàm tradebatur, non dubito, quin Physici negotium sit, sua hæc ipsa principia probare, aptaq; methodo inuestigare. Prǽstitit hoc *b* Aristoteles supposito motu, quem nemo, nisi planè sensibus destitutus, neget; Nec illa solum simul accepta, sed etiam singula demonstrauit.

b Lib. 1. Phys. át. 11.

374 Rectè autem hæc principia describuntur, quæ neq; ex alterutris sunt, neq; ex alijs, & ex quibus omnia. Visa est *c* Auerroi hæc descriptio difficilis explicatu, & malè tuta ab oppugnationibus; quamobrem fermè sibi persuadet, eam non ex Aristotelis doctrina fuisse traditam, sed ex antiquis allatam. Mihi Aristotelica videtur, & bona.

c Lib. 1. Phys. com. 43.

375 Sic verò eam interpretor Themistij, Simplicij, Alexandri, Diui Thomæ, interpretatione: Principia non fieri ex alijs in eodem genere principiandi, nec ex alterutris, tanquā ex partibus componentibus, & ex his omnia, aut tanquam ex principijs primis, vnoquoq; in suo genere, aut tanquam ex partibus componentibus, vnoquoq; pro vt rem componere aptum est.

376 Nec verò vllam timeo verborum ambiguitatem; Etenim cum sermo sit de principijs primis, in quibus antiqui fermè omnes aliquam contrarietatem fatebantur, ex ipsa descriptione contrariorum accipienda, & explicāda est descriptio principiorum; quòd scilicet non fiant ex alijs, eo modo, quo ea, quæ prima sunt; nec ex alterutris eo modo, quo ea, quæ sunt contraria; & ex his deniq; omnia eo modo, quo apta sunt, vel mutationis, vel rei principia facere, & componere.

377 Sed cum ipsa hęc principia inter se in ratione principiandi conueniant analo-

analogicè, quid mirum, si in communi descriptione principiandi modus ratione non vna tradatur, cuius ratio simpliciter vna non est? ergò, qui in hac hæreat, recurrat ad singulorum proprias notiones.

a Ex Aristotele & communi Peripat. cõsensu.

378 Ex tribus mutationis principijs, duo *a* tantum contraria sunt, illud, quod exercet munus termini à quo, & illud, quod munus termini ad quem; hisq;, non solum res non componitur, quæ fit, sed nec ipsa mutatio, in qua, quantus est vnius recessus, tantus est accessus alterius. Sunt tamen tria simul in qualibet mutatione, vnumquodq; in suo proprio munere.

b Ex eod. 1. Phys. a.t. 50.

379 Cõtrarietas, *b* seù oppositio, quæ inter hæc duo est, non necessariò est positiua; quamuis enim in pugna primarum qualitatum contrarium contrario pellatur; illa tamen duo opposita, quæ semper, & necessariò in qualibet mutatione reperiuntur, sunt opposita priuatiuè, & verò hinc numerus constat; Nam si duo sunt, quæ priuatiuè opponuntur, necesse est, dari subiectum, quod medium se quodammodò habeat inter illa.

380 Porrò, quia naturę progressus est via ad esse, hinc est, vt formę communiter tribuatur ratio termini ad quem, priuationi ratio termini à quo; si tamen etiam ea, quæ transeunt de esse ad non esse, transmutari intelligamus, permutanda est principij ratio, eritq; rei interitus à forma ad priuationem. Nunc verò hæc tria singillatim inspicienda sunt secundùm propriam vniuscuiusq; naturam, & principiandi rationem.

381 Materiam primam esse in corporibus naturalibus, ratio docet; sed etiã ad eandem ostendendam vsum plurimum, sicut & in alijs rebus, habet diuisio; Ergò in vniuersùm, materia alia est compositionis, alia transmutationis, alia compositionis simul, ac transmutationis. Compositionis sunt, literæ, ac syllabę in vocabulis; transmutationis ligna, ex quibus ignis; vtriusq; simul, inquit Auerroes, elementa in mixtis. Hoc verò postremum primo aspectu non placet; Nam, vel elementa remanent in mixto, & sic non trãsmutantur, vel non remanent, & sic non componunt. Sed, vbi dixeris, trãsmutata accidentaliter remanere substantialiter, habes hoc tertium membrum.

382 Transmutationis materia alia prima est, alia secunda. Prima est subiectum primum, ex quo aliquid fit, & quod non resoluitur in aliud subiectum prius. Contrà ea, quæ dicitur secunda, subiectum quidem est, ex quo aliquid fit, sed & ipsum resoluitur in aliud prius.

c Ex Alberto. lib. 2. ethic. tract. 2. c. 6.

383 Ipsa hæc materia, siuè prima ea sit, siuè secunda (vocabulorum magis, quam rei facta *c* partitione) alia dicitur materia ex qua, alia circà quam, alia in qua. Ex qua est, prout ex ea fit, & constat corpus naturale, tanquam ex subiecto. Transferri idem nomen potest ad formam, prout est materia compositionis, idest pars, ex qua simul cum alia parte compositum fit; Habent enim partes in ordine ad totum aliquam communem rationem materiæ.

384 Materia circà quam, est eadem materia, quatenùs circà eam agens operatur, & vt artificiata ex naturalibus nomina mutuantur; sic etiam in artibus, ea, in quibus artificis opera posita est, habent huius materię nomen, & aliquam rationem.

385 Materia deniq; in qua, est eadem, in qua forma recipitur; Nam hùc

tandem,

tandem, vel in naturalibus, vel in arte factis, agentis opera tendit, vt formam aliquam inducat.

386 His materiæ diuisionibus aliæ facilè adduntur, in physicam, & metaphysicam, videlicet pro diuersitate, quam habet compositum physicum, quod constat ex materia, & forma, à composito metaphysico, quod pro *a* materia, & forma constat ex genere, & differētia; Item in subiectiuã, sic dictã in ordine ad id, quod recipit, & obiectiuã in ordine ad potētiã, cui obijcitur.

a Simile est Aristotelis li. 7. meta. t. 43.

387 Ceterùm qua ratione ea materia, quæ in corporibus naturalibus est, & dicitur prima, probari possit, pluribus nituntur ostendere Physiologi; Aperta mihi ad id videtur via ex transmutatione, quam fieri nouimus inter contraria; ex compositione rerum transmutabilium, quam item ex transmutatione cognoscimus; ex materia prerequisita, vt ex nõnihilo aliquid fiat, vt finitum agens habeat, circà quod operetur, & alijs similibus notis experientijs.

388 Nec verò difficile est ex ijsdem deducere, quid sit materia prima, siuè illam physicè spectare voluerimus, siuè metaphysicè. In Physica, quia est subiectum transmutationis, per motum aptè definitur; In Metaphysica, vbi eam primus Philosophus, vt substantiam, & vnum ex principijs entium contemplatur, describitur per negationem entium perfectorum.

389 Ergò *b* metaphysicè dicitur, quę per se ipsam neq; quid, neq; quantũ; nec aliquid aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur; Est enim quid, de quo singula horum prædicantur. Legunt alij: non quid, non quale, non quantum, sed hęc omnia in potentia. Hanc tamen vltimam particulam non facilè in Aristotele reperias, & quidem non purè negatiuè, nec purè metaphysicè, ea addita, materia describeretur. Negatiuè definiri nascitur ex materiæ imperfectione, sicut Deo O.M. vt negatiuè aliquandò describatur, cõuenit ex eminentissima perfectione; in quo sanè oppositorum non est planè opposita ratio, sed ex diuersis capitibus eadem.

b Lib. 7. meta. t. 8.

390 Ex hac eadem imperfectione, à qua materia dicitur nõ quid, non quale, non quantum, dicta est non rarò à *c* Platone non ens, vel ens infrà ens, quod mea sententia non est, negare notissimum, etiam in Platonica Philosophia, principium; sed si hoc nimis constanter dicatur, erit potiùs non distinguere metaphysica à physicis.

c In Parmenide, siuè de vno rerũ principio.

391 Disertè magis *d* Aristoteles, vbi asseruit, materiam non esse quid, non quale, non quantum, ijs nos admonet: sed neq; horum negationes, quod est dicere, eam ipsam, quæ est non ens perfectum, non esse propterea non ens simpliciter, & puram entis negationem.

d Eodem li. 7. Meta.

392 Physicè descripta materia dicitur *e* subiectum primum, ex quo aliquid fit, cum insit, non secundùm accidens. Progrediuntur aliqui vlteriùs in textu, illa etiam ex Aristotele addentes: & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum; sed vt verum hoc de materia dicatur, non arbitror tamen, ad eius descriptionem pertinere.

e 1. Phys. t. 82

393 Vbi materia subiectũ dr̃, ne vtere illa distinctione, qua aliqñ *f* Alexãder, & *g* Simplicius, vtuntur; per subiectũ intelligi illud, quod in se recipit accidē-

f Lib. 1. qq. naturaliũ c. 17.
g In Antepręd. cap. 2.

tales formas;Illud verò,quod in ſe recipit ſubſtantiales non dici ſubiectũ,ſed materiam.Reclamat hæc ipſa Ariſtotelis deſcriptio materiæ; nam ſubiectũ hæc dicitur,& tamen certum eſt, in ordine ad formam ſubſtantialẽ deſcribi.

a Lib.1.Phyſ. Digr. int.61.

394 Sed nec alia animaduerſio *a* Themiſtij probatur, vbi ait,materiam dici,cum caret forma,ſubiectum,cum formam habet;atq; ideò cauendum, ne dicatur vnquã priuatio eſſe in ſubiecto,ſed in materia. Etenim nemo nõ nouit,ſubiectum dici,non ſolum,quod habet,ſed & quod aptum eſt habere;vndè cũ materia deſcribitur,ſiuè careat forma,ſiuè ſecùs,meritò ſubiectũ dr̃.

b Bald.lib.1. Phyſ.t.82.

395 Eſt ergò materia ſubiectum primum.Primũ,inquit *b* aliquis,quia materia eſt primum principium,vel natura, vel tempore; ſed non ſequor hanc interpretationem;Nam quia principia in principiãdo ſunt ſimul,in eſſe vniuſcuiuſq; proprio,pro varia conſideratione,& comparatione, quam inter ſe habent, nunquã tutò dixeris,vnum eſſe alio prius,vel natura, vel tempore.

396 Primum igitur interpretor cum melioribus interpretibus, quod non reſoluitur in aliud ſubiectũ prius,quam ob cauſam elementa, quæ ſunt omnium rerũ ſublunarium materia,prima quidẽ ſunt corpora, ſed non materia prima,neq; ſubiectũ primum, quia in ipſis eſt aliud ſubiectum prius, quod complures ex priſcis Philoſophis non viderũt,quorum placita *c* ſuprà retuli.

c Hoc eod. lib. c.3.

397 Ex hac verò materia itá aliquid fit,vt inſit. Cõmune eſt hoc cũ forma, quatenus vtraq; eſt pars componens, ac integrans corpus naturale. Cœli verò ſubſtantia, quæcunq; ea ſit,ſiuè eiuſdẽ rationis cum noſtrate, ſiuè alterius;& ſiuè cœlũ compoſitum ſit,ſiuè ſimplex, qua de re *d* infrà, dici poteſt in hac deſcriptione contineri; Nam etſi ex ea cœlum nõ fit, ideſt generatur, fit tamen,ideſt conſtat.

d Hoc eodem lib. cap.13.

398 Ipſa hęc materia prima non eſt perfecta ſubſtãtia, vt malè ex antiquis cõplures opinati ſunt,ſed incompleta,& imperfecta, & quidem eadem via, qua per trãſmutationẽ ea inuenta eſt, incõpleta, & imperfecta demõſtratur.

e Plotinus Ennead.2. li.4.c. 14. & alij ex Platonicis.

399 Ex hac verò imperfectione factũ eſt,vt *e* aliqui de materia, quaſi de nõ ente,loquãtur,& aſſerãt eãdẽ á priuatione ſolo noĩe diſtingui, nõ aũt forma, & definitione. *f* Ariſtoteles eadẽ in re nõ planè diſcordat,vbi ait,materiã eſſe vnũ quid numero cũ priuatione, nimirũ,quia priuatio nihil reale materię ſuperaddit.Sed melius hic,quã illi,vbi diſtinctionẽ definitionis agnoſcit;nec.n. planè idem eſſe poteſt entis,quamuis imperfectiſſimi, & nõ entis cõceptus.

f Lib.1.Phyſ. t.60.

400 Ratione autem priuationis,quæ materiæ ineſt, dicitur materia habere appetitum, ac deſiderium formæ. Nec ità diſtinctè, quantùm ego cenſeo, hanc appetitus rationem tradunt, *g* qui dicunt,nihil eſſe materiæ intrinſecũ, ſed eſſe extrinſecam quandam ordinationem, ac motionẽ Dei auctoris naturæ,qua materia ad formam, tanquam ad ſuum finem, & bonum ordinatur;ſicut alij,qui dicunt,appetitum eſſe ipſam materiæ potentiam, non prout eſt in actu,ſed prout priuata eſt.

g Alb.lib.1. Phyſ.trac. vltimo c. 17. & alij.

401 Et hinc facilè communis quædam appetitus conceptio emendatur, qua nimirum intelligimus in appetente actionem, operationemve, qua, vel ex cognitione præuia, vel ex naturæ inſtinctu, ſe mouet in deſideratum finem. Materia actiua non eſt, quare non ſic appetit, ſed appetitu, qui in

aptitu-

aptitudine ad ſuum bonum,& priuatione boni ſitus eſt.

402 Qui eſt in rebus alijs,quę appetere dicuntur,appetitus deſiderij,antequam ſuo bono potiantur,& appetitus complacentiæ, poſtquam ſuum bonum conſecutæ ſunt, eſt in materia per quandã nominum translationẽ magis,quam per vocabulorũ proprietatẽ,potẽtia priuata, & potentia actuata.

403 Si ergò interroges, qui diſtinguatur appetitus is modò deſcriptus à materia? Reſpondeo,dici poſſe accidentalem diſtinctionem,nec planè à noſtra intelligentia dependentẽ;cum enim appetitus duo dicat, ideſt potentiã, & priuationem,hæc duo ab alterutro horum ſingillatim accepto, nemine etiam cogitante, diſtinguuntur. Et verò is appetitus in materia non ſemper eſt,nec planè eſt vnus.

404 Potentia planè vna eſt,eaq; de natura, ac definitione materię;quin potiùs materia ipſa,quę quicquid eſt,potentia eſt.Et ſicut liquores, qui ſuſcepturi ſunt odores(exẽplũ eſt *a* Platonis)omni prorſus odore carent; & mollia,quæ aliqua figura formanda ſunt,nullam figuram habẽt:ità materia, quæ ſuſceptura eſt formas,ijſq; formanda,omni forma caret.

a In Timæo, vel de generat.

405 Non inficior tamen,quin poſſint plures potentiæ intellectione diſtingui,pro diuerſo ordine,quem vna,& eadem materia habet ad non vnam formę rationem. Nam vna potentia intelligi poteſt in ordine ad accidentales formas,altera ad ſubſtantiales,tertia ad omnes materiales, quas materia recipit,ac ſubſtentat in fieri.

406 Nec tamen ex eo,quod vna, eademq; ſit materiæ potentia ad formas ſubſtantiales, & accidentales, ſequitur propterea, vt vnum per ſe ea faciat cum accidentali forma, ſicut facit cum ſubſtantiali; Nam non eſt hic ordo, & potentia ſatis ad faciendum vnum per ſe;ſed requiritur prętereà,vt partes non diſcordent à natura totius,nec enim,inquit *b* Ariſtoteles,ex nõ ſubſtantijs ſubſtantia fieri poteſt.

b Lib. 1. Phyſ. t. 52.

407 In alia potentię diuiſione, qua dicitur, vniuerſalis ad omnes formas, particularis ad hanc, vel illam,maior quædam diſtinctio concedi poteſt,quã per conceptum; ea tamen non multiplicat potentiam intrinſecè, ſed ipſam à ſe diſtinguit per extrinſeci adiunctionem; Vna enim, eademque potentia, quæ eſt ad omnes formas,eſt item ad ſingulas, quę ſingularis dicitur, prout ſpeciales quaſdam diſpoſitiones habet ad vnam,non ad aliam.

408 Quod autem hęc potentia,quę in ordine ad actum potentia eſt,materiam faciat relatiuam; non obſtat, quominus eadem materia dicatur etiam abſoluta:Etenim tota eſt ad ſe,totà ad aliud, vt de relatiuis tranſcendentalibus aſſerui *c* ſupra,& ediſſeram clariùs,ſi res ferat, *d* infrà.

c Lib. 1. c. 3.
d Hoc eodẽ lib. cap. 47.

409 Eandem hanc potentiam,ſi penitus primi Philoſophi inſpexiſſent,non malè illam *e* Panſpermiam, i. commune rerum omniũ ſeminariũ; Item non malè *f* Hylẽ ſyro vocabulo, Aquam, mox gręco Materiam appellaſſent. Sed nec *g* Plato reijciendus eſt,qui hãc formarum Locum; Nec *h* Stoici,qui Syluam vocitant; ſi rem,ſimili non diſſimillimo, deſcribere voluerunt.

e πανσπερμίαν
f ὕλην
g In Timæo, vel de generatione mundi.
h Apud D. Aug. lib. de natura boni c. 18.

410 Sed cũ toties dictũ ſit,nõ ſolũ eſſe in materia potẽtiã, ſed eſſe ipsã potẽtiam,incido hic in quæſtionem,quã deſſidentium Philoſophorum nobiles

ſectæ nobiliſſimam effecerũt,an ſit materia pura potentia. Ea placet ſententia,quam video Græcis compluribus probari, eſſe materiam puram potentiam phyſicè;habere tamen ſuum actum, quem vocant, entitatiuum.

411 Diui Thomæ contrariam ſententiam ingenioſè defendunt ſectatores; Ego,an ſit maior de re, quam de nomine controuerſia, valdè dubito, quoniam Sanctiſs. *a* Doctor comparans alicubi imperfectum eſſe materiæ cum perfectiſſimo Diuino eſſe,dicit,hoc ab illo infinitis quidem diſtare partibus; Deũ actũ eſſe purũ,materiam potentiã purã; eſſe tamen in tãta diſtantia aliquam etiam vicinitatem,quia etiam materia ipſa ſecundum ſe eſt actu.

a 1.p. q. 14. art. 11.

412 Dato ſemel actu entitatiuo materiæ, quia ille imperfectus eſt, & naturaliter dependens ab exiſtentia formæ,non ſequitur, vt materia poſſit naturaliter omni forma ſubſtantiali ſpoliari;ſequitur tamen, vt facta ſemel ſeparatione per Diuinam virtutem, nihil repugnet, materiam in ſuo eſſe conſeruari à Deo.

413 Sed eodemne generali concurſu, quo eadem ab eodem in compoſito conſeruabatur; an alio ſpeciali,& efficaciori,quo id,quod à forma deeſt,ſufficiatur?Vtraq; pars probabilis eſt, ſed magis placet illa prior: videlicet Diuina virtute fieri,vt formæ corruptæ alia non ſuccedat; Ceterùm materiam ſic ſeparatam habere in ſe formaliter, vndè exiſtat, ſi eodem, quo prius conſeruabatur,concurſu primæ cauſę non deſtituatur.

414 Idẽ aſſero de cognitione;Etenim ſicut materia ipſa per ſe apta eſt eſſe, ità & diſtinctè cognoſci;Quamquã hoc multò certius eſt,nec.n.ad diſtinctè vnũ ab alio dignoſcendũ,neceſſe eſt,vnũ poſſe ab altero ſeparari,vel ad illud non referri.

415 Plus verò aliquid materiæ concedunt *b* noſtrates quidam, qui illam volunt eſſe corpus,genus ſummũ in prædicamento ſubſtãtiæ. Quæro enim, an de ſubiectis ſpeciebus materia prædicetur in quid? Si negẽt,quõ ergò eſt genus?Si aſſerant,ſe nimis ipſi materiales faciunt,ne dicam materiam ipſam.

b Zabar. li. 2. de materia c. 12.17.& 18. Bonamicius li. 7. de motu c.3.

416 Altera ſententia,quæ tribuitur *c* Auicennę,eſſe in materia coęuam formam quandã ſubſtantialem,à reliquis diſtinctã,conſtituentem materiam in eſſe corporis,à quo munere forma corporeitatis dicta eſt, non placet. Nec enim neceſſarium arbitror, pro gradu corporis in rebus materiatis diſtinguendo,has formas multiplicare;nimirum quęlibet ſubſtantialis forma hoc ipſo,quod ſubſtantialis eſt,ſiuè ea ſit materialis, ſiuè ad materiam ordinata, facit vnà cum materia corpus.

c Lib. 1. ſuffic. cap. 2.

417 Reijciunt alij eandẽ illã Auicennæ ſententiam, quia poſita ſemel hac forma corporeitatis in materia,non dabitur in eadem alijs formis locus.Sed hoc apud me tanti non eſt;nec enim vt *d* infrà dicam, ſubſterni partiales formas,etiam ſubſtantiales,totalibus,difficilè dictu, probatuve eſt.

d Hoc eodẽ li. c.18.32.et 33

418 Par quæſtio inſtituitur de quantitate:An,dato quod à Deo, rerũ omniũ conditore, materia primùm quanta cõdita ſit,eandẽ apud ſe illam quãtitatem perpetuò retinuerit,itàvt ea,quæ nunc eſt,coęua dici poſſit. Mirũ eſt quam concordes in partem affirmantem, vel *e* Græci, vel *f* Arabes iuiſſe videãtur,ſed eorũ bonã partẽ interpretor,tantũ aſſerere,eſſe quantitatem primum

e Simpl. lib. 1. Phyſ.t.69.lib. 1. de Cœlo t. 30. Ammon. in Prædicamẽta cap. de quãto Alex. lib. ſuo de anima. cap. 2. & 3.

f Auerroes de ſubſtantia orbis c. 1. & 4. cũ ſectatorib.

mum accidens materiæ, quod verissimum est.

419 Ab alijs, si obstinatè velint eandem esse coęuam, libens recedo; esto de quantitate, vel terminata, vel sine terminis loquantur. Fateor, nunquam vi agentium naturalium quantitatem à materia prorsus tolli; sed ea, quę superest à tot annorum transmutationibus, eadem ne sit, an altera, maior, an minor, quotus quisq; est, qui diiudicet? Ad hoc spectat id, quod *a* infrà dicam de quantitate, an de nouo generetur.

a Hoc eodem lib. 2. c. 36.

420 Falsum verò est, quod *b* aliqui in hac eadem quæstione tractanda ponunt, quantitatem esse materiæ affectionem propriam, & ab ipsa materiæ natura profluentem, qua ratione à reliquis naturis vniuscuiusq; proprietates fluunt. Aio, esse accidens commune, quin etiam diuina virtute omnino à materia separabile.

b Auerr. cit. c. de substantia orbis, & Porphirius, Ammon. Albert. alijq; nonnulli supponunt idē in c. de quāto.

421 Porrò cum in rebus Physicis diuisio, ac dissectio non fiat, nisi sint quãtæ, materia ipsa secundùm se, quæ in hoc statu nullam dicit physicam formam, si etiam quantitate prorsus careat, vnam numero se esse postulat; quãtitate verò prędita in partes quantas facilè distribuitur: Sed non solũ in quãtas, in alias pariter, quas appellant entitatiuas; nec enim fit solius quantitatis diuisio, sed rei quantæ. Quare est ipsa materię natura diuisibilis, & quas actu habet post diuisionem partes, habet antè diuisionem virtute.

422 Audio hic interrogantem, an id, quod de quantitate dici solet, habere illam partes extra partes dici pariter de materia possit, etiãsi quanta non sit. Respõdeo, si partes extrà partes poni, sit certa quædam positio in ordine ad locum, hoc ità esse quantitatis proprium, vt materiæ non conueniat; si verò per partes extrà positas virtualem illam intelligas partis à parte distinctionē, etiam materiam habere suas partes extrà partes volo.

423 Hinc verò illa explicantur. Si Deus materiam omnem, quæ in hac rerum vniuersitate, vel quæ sub luna est, ab omni, tum substantiali, tum accidentali forma separet, ēt à quantitate, & hanc, sic denudatam, conseruet, vbi nam illa erit? Sentio, futuram in puncto indiuisibili, quod illi Deus assignabit, in eoq; puncto futuras omnes huius materię partes entitatiuas.

424 Sed cum corpora sublunaria, talia nunc, qualia in rerum natura existũt, sint actu diuisa, in eadem quantitatis separatione materia vna ne numero, an multiplex superesit? Si idem assignetur punctum, vnam arbitror numero futuram; nam pars parti per se ipsam vniri apta est; nec verò diuisio ipsi materiæ, ratione sui, debetur; sed tantùm ratione formę, & hoc est, quod modò dixi, illam ex se vnam esse.

425 Hæc verò est materiæ natura, vel signa, quæ eius naturam propè attingunt. Principiandi rationem ipsa natura indicat; est enim transmutationis subiectum, quod à priuatione ad formam transiens, composito non solum principium est, sed etiam causa subiectiua; diciturq; propterea subiectũ contrariorum; duo enim termini contrarij sunt.

426 Transmutationis autem subiectum cum hæc sit, ipsa ingenerabilis, & incorruptibilis est, & tamen transmutari dicitur, quin etiam corrumpi: Hoc subiectiuè intellige, quatenus perit esse, quod materia habet sub forma; Illud

terminatiuè, quatenus nulla eſt vllius agentis naturalis actio, quæ ad materiam, vel producendam, vel deſtruendam tendat. Hinc toties *a* Plato materiam improcreabilem, & incorruptam vocat.

a Ex L. Apul. de dogmate Platonis. lib. 1.

427 Dicitur eadem radix, & prima origo corruptionis, quia cum omnes formas appetat, neq; omnes ſimul habere natura ſua poſſit, ipſo hoc appetitu aliarum quaſi interitum molitur, ac ſtruit inſidias ijs, quas habet.

428 Hæret hic *b* Auicenna, nec videt, quo ſenſu materia, quæ purè paſſiua eſt, hoc agat; vel quo tandem faſtidio, quas formas habet, reſpuat, quas non habet, amet: Metaphoræ hę ſunt. Ipſa potentia ad ſuſcipiendas alias formas, compoſitis malo eſt; nam ſi materia non eſſet apta amittere, quam habet formam, nec alias recipere, nulla eſſet agentis naturalis vis, nullus interitus. Hæc ſatis de materia.

b Lib. 1. ſuffic.

429 Formam varijs nominibus, enimuerò ad rei naturam indicandam aptis, Philoſophi vocitant. Forma eſt, quia materiam informat, certamq; illi ſpeciem dat, vndè & ſpecies, & *c* pulchritudo dicitur. Ratio eſt, quia potiſſima eſt naturæ pars, vndè aliquandò diuinum quid, bonum, & appetibile dicitur ab *d* Ariſtotele. Actus eſt, quia potentiam actuat, & quidem *e* perfectus. Finis eſt, quia hac habita, ceſſat actio.

c Lib. 1. Phyſ. t. 81.
d Eodem t. 81.
e ἐντελεχεία

430 Dari autem formas accidentales, ipſe ſenſus facilè monſtrat; De ſubſtantialibus res eſt non ęquè explorata ſenſibus, ſed aperta rectè intelligentibus. Dubitatum aliquandò de Platone eſt, an formam cauſarum internarum alteram agnouerit, ſed non eſt credibile, hunc intelligentia, propè dixerim diuina, præditum, in tãta rerum ignoratione fuiſſe. Duplicẽ is, vt *f* Simplicius diſertè explicat, alijq; ex ſchola Platonis, formam ponit; hanc videlicet ipſam, quam ego hic aſſero, & ipſarum rerum formatarum Ideam: Sed quia plurimus eſt in ideis, hinc aliqui ſuſpicati ſunt, eum non niſi ideas pro rerum formis agnouiſſe.

f Lib. 1. Phyſ. Com. 74.

431 Rationes, quibus dari formas, demõſtratur, ipſa indicat ratio; vel quia non pariter tranſmutantur ea, quæ dicimus fieri ſimpliciter, & quæ ſecundùm quid; ergo ſi hæc accidentaliter, tranſmutato accidentali compoſito, illa ſubſtantialiter, tranſmutato ſubſtantiali; vel quia nemo ſanus dixerit, rerũ naturas non niſi per adiacentia accidentia differre, neque ex his eſſe alia alijs magis propria.

432 Quamuis autem non rarò *g* Ariſtoteles de forma loquatur, quaſi in ea tota rei natura ſita ſit, id quod etiam in ſuis ſcriptis identidem inculcat Plato, non tamen eſt tota quidditas, & eſſentia, neq; id, vndè tota rei quidditas, & eſſentia deſumitur, ſed eſt, vt modò dixi, pars principalis, vltimò determinans, & ſpecificans compoſitum naturale.

g Lib. 2. Phyſ. t. 28. & alibi.

433 Hæc materialis cum eſt, educitur vi agentis naturalis de potentia materiæ, ſed faciliùs hęc eductio dicitur, quã explicatur. *h* Quidã, malè opinor intelligentes, educi id, quod in materia non lateat, inchoatas quaſdã formas in materia poſuerunt, quas naturale agens perficeret, & educeret; ſed hos interrogo, vndè ſit illa formę perfectio, & qua tandem ratione hęc educatur, ſi forma perfecta in materia non præfuit? Erraſſent, opinor, minus, ſi cum priſcis

h Apud Antonium Andreã l. 7. Met. q. 11.

priſcis Philoſophis omnia in omnibus poſuiſſent, quæ congregatione, ac diſgregatione tranſmutarentur.

434 Alij Intelligentijs hoc opus demandarunt, eas adeſſe, cum facto opus ſit, & formas educere. Itá Arabes non pauci, de quibus ſi loquatur *a* Auerr. rectè illa pronunciat: non habere, qui ſic ſentiũt, ingenium ad veritatem aptum. Sed, ſi idem Chriſtianos Philoſophos carpere velit, vbi aiunt, animam rationalem, quæ de materiæ potentia non educitur, à Deo immediatè creari; liquidò oſtendit, non eſſe ſe ad veritatem percipiendam idoneum, qui formas materiales, quæ de materiæ potentia educuntur, malè cõfundit cum ſpirituali, quæ de materia non educitur.

a Lib. 9. Meta. Commẽt. 7.

435 Sic alij minus explicatè rem tradunt, vbi dicunt, educi formam de potentia materiæ, eſſe, in materia recipi; vel eſſe, produci ab agente naturali; vel eſſe, materiam actu cauſare; vel eſſe, produci formam ad productionem totius. Hęc enim vel etiam in productione animæ rationalis reperiuntur, quæ tamen, vt dixi, non educitur; vel ſunt eo obſcuriora, quod quæritur.

436 Dico igitur, tunc verè dici, formam de materiæ potentia educi, cum, in ſubiecto producta, ab eo, vel dum fit, vel dum facta eſt, dependet, ità ut naturaliter ſine eo, nec fieri, nec ſtare poſſit. Hoc verò eſt illud, quod fit in ſubiecto, etiam ex ſubiecto fieri, cum contrà anima rationalis, quamuis à Deo in ipſo corpore, in quo recipitur, creetur, fieri dicatur ex nihilo, non autem ex ſubiecto, vt dicam ſuo *b* loco.

b Hoc eod. lib. 2. cap. 41.

437 Quod ſi ſciſciteris; dici ne poſſit materia eſſe in potentia ad animam rationalem. Reſpondeo, poſſe; non quia intrà materiæ potentiam lateat, vndè agentis naturalis vi educatur; ſed quia vbi anima rationalis à Deo creetur, aptum eſt eius ſubiectum facere cum illa vnum per ſe, quale fieri naturaliter poteſt ex actu, & potentia.

438 Quod deniq; ſpectat ad propriam principiandi rationem, quæ formæ conuenit, eſt hæc, vt dixi, principium mutationis, & rei; In mutatione munus habet termini, vel ad quem, vel à quo, iuxtà traditam diuiſionem in mutationem, qua quid acquiritur, vel qua quid amittitur. In re, munus habet actus, vnà cum potentia totum naturale compoſitum componentis, & integrantis. Hæc de forma.

439 Priuatio *c* nihil eſt, vel, ſi malueris, aliquid eſt; negatiuum tamẽ, nõ poſitiuum; aliquid, inquam; quia rei conuenit independenter á noſtra intelligẽtia; negatiuum tamen, quia rei non conuenit per eſſe, quod habeat, ſed per non eſſe. Hinc verò facilè diiudices, in quo ſenſu priuatio dici verè poſſit ens rationis, & in quo ſenſu non poſſit.

c Ex Ariſt. lib. 1. Phyſ. t. 75.

440 Priuationẽ cũ dico, ne intelligas puram, ac ſolam negationem; item ne formas imperfectas, & ignobiles, quarum imperfectionem nõ rarò *d* Ariſtoteles priuationis nomine denotat, ſed formæ negationẽ in ſubiecto apto illã recipere. Itàq; duo ſunt de definitione, & natura priuationis, negatio, & ſubiecti aptitudo, & per hoc poſtremũ à pura negatione diſtinguit. Quod verò attinet ad principiãdi rationẽ, eſt principiũ, vt dixi, neceſſariũ mutationis, nõ autẽ rio. Ad ipsã eſt corruptio ab ipſa productio, & nouę formę acquiſitio.

d Lib. 2. de Cœlo t. 18. 1. de Genera t. 18. 12. Meta. t. 22. & alibi.

E 4 NA-

NATVRA.

CAP. IV.

441 TRADITIS rerum naturalium principijs, antequam propiùs ad causas accedam, natura, à qua naturale est, & dicitur, penitùs inspicienda est. Etenim confusa quędam eius notitia neminem fugit, & risu, auctore *a* Aristotele, sit explodendus, qui naturam esse, voluerit demonstrare; eius verò intimam rationem non omnes perceperunt.

a Lib. 2. Phys. t. 6.

442 De vocabuli acceptione solicitus Aristoteles, vel in *b* physicis, vel in *c* metaphysicis, omnem primùm ambiguitatem remouet. Ego idem præsto, qui naturæ nomine, nec Deum, neq; hanc rerum vniuersitatem, neque vim agendi, contradistinctam ab anima, neq; necessitatem, contradistinctam à libertate intelligo, nō complexionem, ac rectam dispositionum animaliū cōstitutionem, non artis materiam, non metaphysicam quidditatem; sed intimum earum operationum principium, quod naturalia corpora in se ipsis habent.

b Lib. 2. à t. 7.
c Lib. 5. cap. 4.

443 Sic ergò describitur natura: Est principium, & causa mouendi, & quiescendi in eo, in quo est, primū per se, & non secundū accidens; Per hanc descriptionem natura ab arte artificiosè distinguitur; Est enim ars, vtcumq; sit principium motus, & non potius modificati motus, principium in aliud, non in eo, in quo est.

444 Rectè autem in ea descriptione expressum est, principium, & causa, vt posteriori termino prior limitetur, & contrahatur. Nec placet hic Albertus, qui principio etiam priuationem comprehendi arbitratur; natura enim in naturali composito est, in quo tamen priuatio non est.

445 Dicitur eadem causa motus,& quietis. Ob hæc *a* Alexander, & Simplicius Cœlum excludunt,quod principium in se sui motus habeat,nō quietis. dictum reprehendit Simplicius: Nam, cur Cœlum è naturalium entium numero excludatur, vel non omnibus vna communis definitio ab Aristotele tradatur? ergo & Cœlo inesse principium quietis, quia in motu Cœlestium orbium poli quiescunt. Sed nihil is proficit, si in punctis hæreat, quæ Cœlestiū orbium nullæ sunt partes. Mea sententia est, naturam esse principium, & causam motus,& quietis; non in quolibet naturali corpore; Sed, vbi vbi sit, vel motus, vel quies, vel vtrumq;, eius, non disiunctim, sed coniunctim, ibi natura principium, & causa est.

a Lib. 2. Physs. initio.

446 Nec verò illa fuere in eadem definitione prætermittenda, quòd natura sit principium motus eius, in quo ipsa est; nisi.n.insit in eo, quod mouetur, naturæ rationem non habet; sed naturalis potius agentis,& principij extrinseci. Quin etiam multò minus natura dicetur vis illa motiua, quæ in eo,quod mouetur, nec insit,nec inesse apta sit.

447 Addendum pariter fuit, esse principium primum, & per se, ad quod si animaduertissent aliqui nostræ ætatis *b* Philosophi,nō admodum laborassent in reddēda ratione, cur naturales facultates,cur habitus,exercitatione, vsuq; acquisiti,naturæ rationem non habeant;etiamsi motum, vt causæ saltem instrumentales, in eo, in quo sunt,attingant.

b Zabar. & Pendasius

448 Qua verò via in hanc distinctam naturæ notitiam Aristoteles deuenerit,ità *c* interpretes tradunt. Auerr. ait, vsum fuisse Aristotelē syllogismo hypothetico: Si res naturales, vt naturales differunt ab artificialibus, quia illa habent in se sui motus principium, hæc verò non; sequitur, vt natura sit principium motus &c. Simplicius syllogismum categoricum format in prima figura: Naturalia differūt à non naturalibus per principium motus etc. sed natura est id, per quod naturalia differūt à nō naturalibus, ergò. D.Thomas argumentatur in tertia figura: Naturalia differunt à non naturalibus, quoniam habent in se principium motus, sed naturalia differunt à non naturalibus, quoniam habent in se naturam,ergo. Nihil ex his reprobo,sed placet magis D.Thom. ratiocinatio,quæ ad *d* Aristotelis textum magis accedit.

c In li. 2. phys.

d In lib. 2. Phys.t.1.2.3.

449 Non pauci ex antiquis solam materiam putarunt, esse naturam. Ità error ex errore trahitur; quam enim putarūt, vnicum esse rerum naturalium principium, eandem esse vnicam naturæ partem, vel naturam ipsam, arbitrati sunt. Exemplis causam suam agit Antiphon, ex lecto lignum nasci, non lectum,ergo generatio non à forma, sed à materia est, tanquam ab intrinseco principio motus. Sed in eo is ab *e* Aristotele reprehenditur, quòd alteram naturæ partem non agnouerit.

e Lib. 2. Phys. à tex. 11.

450 Naturæ igitur partes duæ sunt, materia, quæ est principium passiuum motus in eo,in quo est,primum, & per se;itemq; forma,quæ est principium motus in eo,in quo est primum & per se,sed actiuū. Ne tamen alterā ab altera separes; nam vtraq; natura est in eo, in quo est; Et hoc est,de quo admonet *f* Aristoteles: Quare alio modo natura vtiq; erit habētiū in se ipsis motus principium,forma,& species non separabilis existens, nisi ratione.

f Lib. 2. Phys. tex. 12.

451 Opi-

a Zabarella li. de natura.

451 Opinatur ex recentioribus non *a* nemo, solam formam esse naturam, & hac in re ait, non paucos ex Peripateticis fuisse deceptos: mirum nisi ipsum Aristotelem reprehendat, qui eas, quas ego enumeraui naturæ partes, disertè *b* numerat. Et verò numerandæ sunt, cum vtraq; in suo proprio genere sit, quale esse natura debet, principium motus.

b Lib. 2. Phys. à t. 12.

452 Neq; verò, vbi assero, formam esse naturam, & principium motus actiuum, quicquam de natura Cœli definio. Etenim, siuè illud ex materia, & forma constet, siuè simplex substantia sit, principium sui motus in se non habet, nisi passiuum: hoc verò satis est, vt natura dicatur; cum præsertim illud ipsum passiuum maiorem quandam determinationem habeat ad vnum potiùs motum, quam ad alium, quam habeat materia prima, prout in corporibus sublunaribus natura est.

CAVSAE.

CAP. V.

453 COMMVNEM aliquam omnibus causis descriptionē Aristoteles non tradidit, veritus (inquit *c* aliquis) ne, si rem vnam vna descriptione complecteretur, ambigua nimis ea esset, & magis apta ad contentiones in æquiuoco excitandas, quam ad rei naturam explicandam. Ego dixerim potius, id, quod præstari potuit, sicut in descriptione principiorum præstitum est, fuisse prætermissum, quia communis omniū causarum ratio ex notitia singularum, in quibus explicandis diligentem operam Aristoteles posuit, facilè accipitur.

c Vales. 2. Phys. q. 13.

454 Hanc tamen, si quis voluerit, ego do, quam ex *d* Aristotele colligo: Causa est, propter quam aliud primò, & per se est. Aliter *e* Plato, causas distin-

d Lib. 2 Phys. à t. 27.
e In Ciuili, siue de regno.

distinguens à concausis: causæ, inquit, sunt, quæ efficiunt, concausæ verò, quæ præparant efficientibus instrumenta. Non placet, quia magis propria efficientis hæc est, quam communis reliquarum. Quid si Plato per efficere intelligat dare esse? Adhuc aliquid desidero; nam priuatio dat esse, explicata à nobis *a* superiùs ratione, mutationi; nec tamen causa est.

455 Aliter *b* Simplicius, causa (inquit) alicuius est, qua posita, illud necessariò sequitur: addit Magnus *c* Albertus, & qua sublata tollitur. Neq; hæc vsquequaq; probatur; nam omnes necessariæ conditiones rationem causæ participabunt; & tamen causæ non sunt. Prætereà quis afferat, sublata causa efficiente, effectum pariter tolli?

456 Retineo igitur, quam attuli, descriptionem, in qua, & necessaria distinctio effectus à causa, & realis in effectum influxus apertè satis indicantur; Quæ verò non per se causant, esto, vt necessariæ conditiones desiderari non debeant, ex eadem pariter excluduntur.

457 Sed antequam quatuor illa causarum genera distinctè tradantur, ex quarum operatione sunt ea, quæ in rerum natura nascuntur, & occidunt, causarum hanc facio partitionem. Vniuersalis ex aduerso respondens particulari est, quæ dat esse, vel omnibus, quæ fiunt, vt Deus; vel pluribus, vt Sol; vel quæ de particularibus prædicatur, in qua sententia, inquit *d* Aristoteles, comparatiuè ad sanitatem medicus est causa particularis, artifex vniuersalis.

458 Causa per accidens, ex aduerso respondens causæ per se, sanè multiplex est, videlicet quandocumq; effectus est, & non necessariò propter illam, vel aliam generis eiusdem, ea per accidens est. Multæ tales numerantur, quæ verè effectum nihil attingunt; aliæ attingunt quidem, sed accidentariæ nihilominus sunt, quia fortuita coniunctio fuit, & casualis.

459 Simili ratione ex ipsis nominibus causarum varietas constat, cum dicuntur aliæ actuales, aliæ potentiales; principales quædam, aliæ instrumentales; simplices, complexæ; totales, partiales; totales totaliter operantes, contrà totales, sed non totaliter; deniq; vniuocæ sunt quædam, eiusdem naturæ cum effectu, æquiuocæ aliæ, non eiusdem, sed eminentioris perfectionis, si verè causæ sint, & non instrumenta causarum.

460 Venio nunc, posthabitis vocabulis, ad ipsam rem. Quatuor *e* numerantur causarum genera, nec plura his sunt, nec pauciora; materialis, formalis, efficiens, finalis. Nullum autem physicum effectum inuenias, ad quem hæ quatuor, omnes, & solæ non concurrant, vndè solæ vniuersales omnium physicorum effectuum causæ censentur in schola peripatetica.

461 Neq; verò huic doctrinę aduersantur, qui in vnico rerum principio efficiente demonstrando operam ponunt: Nam etiam Aristoteles vnum, primumq; motorem esse, fassus est, quantumuis primas diuersi generis causas ponat quatuor. Sic Plato, auctore *f* Bessarione, ijsdem quatuor primis causis ideam addidit, & instrumentum, quas ego cum Peripateticis eodem quaternario numero complector, vt *g* infrà dicam.

462 Facilis verò est earumdem inuestigatio; Cum .n. inter ea, quæ sunt, solus Deus à se sit, erunt reliqua ab alio, ab efficiente igitur; Huius effectio in

aliquo

a Hoc eodem lib. cap. 3.
b Lib. 2. Phys. Com. 92.
c Lib. 7. Phys. Tract. 1. cap. 1.
d Lib. 2. Phys. t. 32.
e Ex Aristotele lib. 2. Phys. à t. 27. & 1. metaphys. sum. 2. & alibi cum quo Peripat. consentiunt.
f Lib. 2. contra Calumniatorē cap. 5.
g Hoc eodem cap. 5.

aliquo est,in materia igitur,& quidem praexistente, ne ex nihilo aliquid fiat, & effectio sit in non ente; Effectio verò quorsum sit, nisi ad terminum? forma igitur danda est,& ad huius cum subiecto coniunctionem, compositum, quod idem finis est, gratia cuius agens agit, ne frustra agat. Sed venio nunc ad singulas causas explicandas.

a Ex Aristotele lib. 12. metaph. tex. 23.

463 E quatuor causis duæ sunt effectui *a* intrinsecæ,materia,& forma, de quibus dictum satis in quantùm sunt principia prima physicæ transmutationis; hic pauca addo de ijsdem, vt sunt rei causæ. Pono, causam actu causantem à se non causante distingui,ideoq; distinctè notandum,per quid vnaquæq; actu causet; sed aio, non semper actualem causationem dicere quid, causæ superadditum.

b Ex Aristotele li. 7. metaph. t. 26. & sæpe alibi consenti. Peripat.

c Ex Aristotele lib. 1. Phys. vbi de principijs.

464 Materia igitur actu causa, vel in ordine ad compositum, quod verè,& propriè *b* dicitur fieri,spectari potest,vel in ordine ad formam, quæ cum de materię potentia educitur,& ipsa vtcunq; *c* fieri dicitur.Si in ordine ad compositum interroges, per quid causet; dico, non per aliquid, à se distinctum, sed per se ipsam,quatenus composito se dat,in eoq; permanet, vt pars integrans subiectiua.

465 Necessariæ ad id conditiones sunt, si ad naturalem rerum ordinem attendamus,vt materia sit quanta;nec enim sine hac apta est,vllam substantialem formam in se recipere; & vt forma minimè distet. His positis, compositum à materia est primò, & per se in genere subiecti,eiq; tamdiù dabit esse, quamdiù in tali fuerit coniunctione.

466 Ad hanc compositi causationem non est necesse, vt forma etiam à materia causetur,ea qualicunq; ratione,qua dicitur causari. Scilicet vndecunq; ea aduenerit,materia compositum per se causat,si pars compositi fuerit.Vndè est,vt hæc hominis causa sit, quamuis non animæ rationalis.

467 Si verò de materia ad formam relata quęstio sit,assero,per illud ipsum, per quod forma dicitur de materia educi, dici etiam causari. Nihil de nouo in materia pono, nihil in forma à forma distinctum, sed hoc ipso, quod ea huius est necessarium subiectum in fieri, non vtcunq; recipiens, sed vt substentans,est item causa in proprio genere causandi.

d Lib. 2. Phys. t. 30.& lib. 5. meta. cap. 2.

468 Hinc facile est de formæ causalitate definire. Vt.n. verè ab *d* Aristotele dictum est,causas esse sibi inuicem causas, ità formæ duplicem causalitatem distinguere hic possumus, alteram respectu compositi,alteram respectu materiæ. Compositi ergo causa est per se ipsam; se videlicet ipsam dando composito,in quo est,tanquam pars actuans, determinans, specificans, idemq; cum materia integrans, vt materiæ actus.

469 Materiæ verò eadem causa dici potest, quatenus informem format, turpem specificat, illimitatam terminat, potentiam actuat. Hoc item per se ipsam facit, nam per se ipsam,& non per quicquam sibi superadditum,forma est, species, pulchritudo,terminus,actus. Conuenit autem vtraq; causalitas formæ, siuè educatur ex potentia materiæ, siuè secus, dummodò materiam actuet; nec verò potest vnquam ex his causalitatibus altera sine altera esse.

470 Neq; timere hic aliquis debet, ne, cum effectus harum causarum sit Compositum, non distinguatur effectus à causis, idest compositum, quod ipsa est materia, & forma. Etenim *a* cõpositum à partibus distinguitur etiam realiter, si partes singulæ, qua ratione distinctæ causæ sunt, cum toto comparentur. an non sit vnitas à binario distincta, etiamsi in binario contenta, alteriq; adiaceat vnitati?

471 Ne tamen propterea aliquis arbitretur, esse me de eorum *b* numero, qui, pro toto à partibus distinguendo, tertiam quandam entitatem excogitarunt. Nihil est, mea sententia, *c* tertium in entitate, quamuis in nomine semper sit; etenim ad nominis, reiq; per nomen significatæ rationem, satis est solius materiæ, ac formæ entitas, cum simul sunt, cum vnitæ sunt.

472 Sed hic rursus alij pro tertio modum quemdam ponunt, quem vocant vnionem, eumq; affingunt, vel subiectiuè materiæ, terminatiuè autem formę, vel contrà, vt in eo tandem constet vniti, qua vnitum est, forma, & appellatio. Si me aliquod argumentum vrgeret ad hunc modum admittendũ, non ità modos auersor, vt mihi in illis excludendis modus non sit. Interim, dum vis maior non instet, hunc modum nego. Nimirum quia ex his duabus partibus altera potentia est, altera actus, se ipsis vniri aptę sunt, seq; ipsis vniuntur, quoties altera alteri intimè præsens fuerit.

473 At quid est, inquis, illa pręsentia? dico esse relationem prædicamentalem. Non est tamen hæc relatio ipsa forma vniti, neq; si Deus, per suam potentiam relationem tollat, desinet propterea vnitum esse. Necessitas.n. nulla est huius formalis pręsentię, quę naturaliter resultat, sed fundamentalis, seù potiùs rationis fundandi, quę sita est in illa actione, qua forma, vel producitur in materia, vel adducitur in materiam.

474 Causa efficiens, (inquit *d* Aristoteles) est id, vndè principium mutationis primum, aut quietis. Vereatur aliquis, ne latiùs hæc definitio extendatur, quam sit efficientis causæ amplitudo: Sed si singularum particularum vis attendatur, ea est solius efficientis propria, & adæquata; primariò quidem eas, quæ efficere dicuntur, comprehendens, secundariò verò etiam instrumenta, quibus efficiunt.

475 Diuersâ tamen ratione causa efficiens principium est mutationis, & quietis; Mutationis.n. agendo, quietis verò quatenùs agendo ad quietem tendit. Quodnam. n. sit agens, vel naturale ex appetitu innato operans, vel animatum ex elicito, quod motum appetat gratia motus, & non gratia quietis, vel alterius, in quo quiescat, boni?

476 Agentis verò causæ actualis causalitas est actio, quæ nihil aliud est, nisi modus quidam, qui, pro vt est ab agente, dicitur actio, prout est in passo, dicitur passio; prout est via ad terminum, dicitur motus, vel mutatio. Non ergò ad hæc explicanda, necesse est, triâ distincta ponere, sed vnum, & idem pro diuersa habitudine diuersis nominibus appellatum.

477 Et verò huius habitudinis capax est, cum sit essentialiter relatiuum; est enim de genere transcendentalium, quæ ità sunt ad se, vt sint pariter ad alterum. Hoc si voluit *e* Scotus, cũ ait, actionem esse relationem extrinsecus adueniens-

a Aristoteles. lib. 1. phys. tex. 17.

b Auicenna, et & Scotus in 3. meta.. Burleus & Ferrari. in 1. phys.

c Quæ eadem est fermè communis græcorũ interpretum.

d Lib. 2. phys. t. 29.

e In 4. dist. 13. q. 1. §. ad huius autem difficultatis.

uenientem, non repugno; loquendi tamen modus non placet vsquequaq;.

478 Necesse est, hunc agentis modum non in agente, sed in passo ponere, vbi loquamur, non de his, quæ immanere dicuntur; & *a* operationes melius appellantur, quam actiones, sed de ijs, quæ dicuntur transire, & ad nouum effectum perducere. Est ergo actio agentis actus, & perfectio, extrinseca tamen; non in agente, sed ab agente; & haud scio, quam rectè ab hac sententia alienus Scotus censeatur: est. n. in agente relatio ad passum; sed quę passo extrinsecùs aduenit ab agente, non in agente, sed in passo est, ex eius *b* sententia.

a Ex D. Thoma de Verit. q. 8. a 3.

b Loco cit. in 4. dist. 13. q. 1. §. ad huius autẽ, difficultatis.

479 Quid verò, quod D. Thom. *c* alicubi videtur actionem in agente collocare, ac non nemini de *d* sectatoribus persuadet, enimuerò eam in passo non esse? Quo minus ità facilè assentiar, facit ipse D. Thom. qui contrariam partem, & frequenter *e* habet, & disertè; ergo cum nonnunquam de agente, quasi de in se habente actionem, loquitur, non de ipsa reali actione philosophatur, sed de agentis appellatione; hoc. n. ipso, quod agens ab actione dicitur, aliquam à nobis concipitur habere cum denominante actione connexionem.

c 2. cõtra Gẽt. c. 9. q. 7. de pot. a. 9. ad 7.
d Caiet. 1. p. q. 25. a. 1.
e Lib. 11. met. lect. 9. lib. 3. phys. lect. 4. & sæpe alibi.

480 Cum hæc actio in passo esse dicitur, subiectum intellige mediatum, immediatum. n. est ipsa forma, quæ fit, cuius videlicet est modus, & ipsum fieri; Et hinc constat, non pari semper ratione hunc modum esse in subiecto. Nam aliqua diuersitas necessariò est, dum est modus formę substantialis, ac dum est modus formę accidentalis.

481 Supponunt hęc, quę hactenus de actione dixi, actionem esse magis, quã ratione, conceptuq; à forma distinctam, & quidem hęc mea sententia est, distingui, tanquam modum à re modificata, vt dicitur, modaliter, & ex parte vnius extremi etiam separabiliter, cum, forma iam facta, cessat ex huiusmodi cessatione, agentis actio.

482 Neq; verò actiones propterea in infinitum multiplicandę sunt; Nec enim, inquit *f* Aristoteles, est motus motus, nec generationis generatio, nec omnino mutatio mutationis. Rectè, nam est id, quo res producitur, non ipse effectus.

f Lib. 5. phys. t. 10.

483 In genere causę efficientis prima, & maximè vniuersalis est Deus rerũ omnium effector, & conseruator. Huic in sua actione subijciuntur omnes createę causæ, quę, quia primæ subordinantur, secũdæ *g* dicuntur. Ceterùm causandi vis, & primæ, & secundis verè, & propriè competit, illi independẽter ab alio, secundis dependenter à prima.

g Ex Libello de causis passim, eundemq; loquendi modũ seruãt communiter philosophi.

484 Sanè meritò nomẽ ignoratur obscurissimorum Philosophorũ, quorum sententia circumfertur, quicquid est, quicquid fit, á solo Deo esse, ac fieri, nos verò, pro externa quadam apparentia, effectus referre in causas secũdas; quia non agunt ipsæ sua vi, sed solo agente Deo, videntur agere. Ità nec ignẽ calefacere, sed Deum; nec frigus vrere, sed Deum.

485 Sed, & non *h* nemini visa est hæc opinio non contemnenda, quin & similis veri, ex *i* Apostoli testimonio, vbi ait, Deum operari omnia in omnibus. Mihi nulla ratione admittenda videtur; Diuina autem in omnibus operatio, primæ causæ ad omnia concursum, & necessariam secundarum ab illa depen-

h Gabr. in 4. d. 1. q. 1. a. 3. dub. 3.
i D. Pauli 1. Corinth. 13.

pendentiam probat.

486 Agit igitur in natura, naturæ conditor Deus, agunt & causæ secundæ, vnaq; est illius, & harum actio, tota à Deo, tota à secũdis causis, vna pro vno efficiendo. Fateor, has nõ rarò à Philosophis *a* appellari instrumenta primæ causæ, sed vocabuli vis non est, nisi in demonstranda dependentia, quam diximus; secundæ tamen causæ, vbi effectus perfectio causarum perfectionẽ non excedat, verè agunt, vt quod.

487 Sed an hunc concursum causæ primę cũ secundis doceat naturalis ratio, dubitant Doctores; Quid .n., inquiunt aliqui, nonne Deus potuit tantam dare vim agentibus naturalibus, quæ rebus efficiendis satis esset, Deo non cooperante? Mihi verò certa res est, & esse diuinum concursum necessarium, & hoc ipsum naturali lumine satis ostendi.

488 Non tamen existimo necessarium, ad hoc vt Deus cum secundis causis illos effectus operetur, ad quos eas primùm idoneas fecit, nouum quid in easdem imprimere, quo vltimatè compleat, ac determinet ad talem effectũ, siuè id, quod imprimeretur, dicatur habere se per modum principij actionis, siuè per modum necessarię conditionis ad agendum. Aio, concursum diuinum in eo esse, etiam immutata, inuariataq; intrinsecè causa secunda, quòd actio, quæ à secunda causa est, sit nihilominus á prima.

489 Sed quid est (inquies) causam secundam non agere, nisi à prima motam? *b* Respondeo, metaphoram huius locutionis ab operationibus instrumentorum artium aptè petitam; nam quo sensu, pro dependentia, quam causæ secundæ habent à prima, dictę hæ aliquandò sunt instrumenta primę, eodem earundem causalitas, à primæ causalitate dependens, instrumentorum motione describitur.

490 Eadem prima causa, quæ, quicquid extrà se operatur, liberè operatur, siquando dicitur operari per modum naturæ, pari modo voluntariè, & liberè operatur, accommodatè tamen ad exigentiam causarum secundarum, & secundùm quod earum natura postulat, sic à Deo liberè instituta.

491 Si tandem dependentia causarum secundarum à prima comparetur cum alia, quam eędem causæ secundę dicuntur habere à Cœlo, quod item inter causas vniuersales vulgò numeratur à Philosophis; Sẽtio, dependentiã esse longè diuersam; à prima etenim ità necessaria est, vt Deo actualiter non concurrente, planè nihil causæ secundæ agere possint; à cœlo verò non item dicendum est, sed causas inferiores multa operari, cœlo non concurrente.

492 Non nego tamen, quæcunq; tandem in cœlo sit agendi virtus, qua de re *c* infrà, quin cœlum ad multa efficienda concurrat, vndè est, vt vniuersalis causa meritò dicatur, quamuis non prima, itemq; compleat causarum secundarum virtutes.

493 Finis in vniuersùm *d* alius dicitur Cuius gratia, alius Cui, quem alij non ità aptè appellant Quo. Et verò differunt hi duo fines; Nam is, Cui, potest præexistere antè actionem; ille verò, Cuius gratia, nonnisi post actionem est, vel quia fit, vel quia acquiritur. Ille ab eo, qui ex intellectiua cognitione mouetur ad operandum, amatur amore amicitiæ, aut quasi amicitiæ, is con-

a Trismeg. in Pymandro ca. 16. & alijs.

b Ita interpretor D. Thomã q. 3. de potẽtia. a. 7. & alibi.

c Hoc eodem lib. cap. 13.

d Ex Aristotele. 2. de an. tex. 35.

is concupiſcentiæ.

494 Finis cuius gratia non ipſa ſolùm operatio dicitur aliquandò, videlicet cũ ſterilis eſt,& immanens,ſed operationis, ſeù actionis terminus,qui vel ipſa actione fit, vel acquiritur: verumq; eſt illud *a* Ariſtotelis, quorum præter actiones, fines aliqui ſunt, in his opera ipſa operationibus cenſeri præſtantiora.

a Lib.1. Ethic. cap.1.

495 Is ipſe finis,qui ex actione fit, ſeù acquiritur, finis operationis dicitur, contradiſtinctus à fine operis,qui idem ſępè eſt,ac finis Cui;non tamen ſemper,ſed interuenit aliquandò inter finem Cuius gratia,& Cui, tanquam quid medium, quod idem, & reſpectu operis ſit finis, & reſpectu vlterioris finis Cui,ſit medium;Vndè eſt,vt non ſemper is ametur amore amicitiæ,vel quaſi amicitiæ, ſicut finis Cui.

496 Neq; item ſemper idem eſt operis, & operantis finis: Operis.n. dicitur,in quem res effecta ex natura ſua ordinatur; Operantis verò tàm multiplex eſſe poteſt, quàm multiplex libera agentis ordinatio eiuſdem operis, in quos voluerit fines,vel ad rem aptos,vel certè, quia aptos eſſe imprudens arbitratur. Fateor id, quod contendit *b* Durandus, ſæpè eundem eſſe operis, & operantis finem, ſed nego ſemper, id, quod idem malè tuetur.

b In 2. Diſt.1. q.6.

497 Cum verò infinitos ponere fines, & ille ſit proceſſus, quem in cauſarum ordinatione negat *c* Ariſtoteles, & ipſum finem nominatim tollat, q[illegible] qui infinitum faciunt,auferunt naturã boni,vt rectè ex *d* Ariſtotele,D.*e* Thomas: Eſto plurium ordinata ſeries eſſe poſſit; infinita certè non erit, atque ità dabitur vltimus, qui poſt intermedios ſequatur. Vltimus dicitur, qui gratia ſui amatur,& nõ alterius;non vltimus verò, qui ordinatur ad alterum.

c Lib.2. Meta. cap.2.
d Lib.2. Meta. t.8.
e 1.2.q.1.a.4.

498 Sed eius finis, qui inter cauſas phyſicas numeratur, deſcriptionem ex *f* Ariſtotele accipio. Dicitur id,cuius gratia; qua breui oratione multa continentur: videlicet ad illum actionem eſſe, vt agens eo potiatur; differre à reliquis cauſis,nec.n.eſt id,à quo,nec id,ex quo,tanquam ex potentia,vel actu, ſed cuius gratia,intelligendo in hac particula finem operationis, operis,operantis, & qui dicitur Cui, pro actionum diuerſitate.Qua verò tandem ratione cauſa vera, & propria dici poſſit, veterum complures ignorarunt.

f Lib. 2. phyſ. t.29.

499 Ego,& cauſam veram eſſe,& non minus vniuerſalem reliquis,ex *g* Ariſtotele didici. Placet igitur huius ſententia, non ſolum agentia, quæ ex cognitione,vel ſenſitiua,vel intellectiua operantur,ſed etiam reliqua, quæ prædita cognitione non ſunt, gratia finis operari, fineq;, vt vera cauſa, concurrente. Eſt fateor maior quædam finis *h* ratio in actionibus agentium per intellectum,quæ & finem,& rationem finis apprehendunt,ſed quod ſatis ſit ad finis cauſalitatem,vnum eſt in omnibus commune.

g Eod. lib. 2. phyſ.
h Ex D. Tho. 1.2.q.1.a.2. et 2.phyſ.lect. 12.

500 Dixere aliqui,ſitum hoc eſſe in quadã motione metaphorica,qua finis, vt bonum quid,ad ſe ſe amandum allicit, & inuitat agens; ſed hoc, & nimis translatè dicitur de agentibus naturalibus, quę cognitionem, amoremq;, ſiuè appetitum non habent, & in illis ipſis, quæ cognoſcunt, & appetunt, cauſalitatem finis non explicat, cum cauſalitatem ipſam antecedat.

501 Aio igitur huius cauſalitatem in eo ſitam eſſe, quòd tanquam immediatum

diatum actionis obiectum terminet, ac specificet actionē, quatenùs ea gratia talis finis talis est. Hoc verò est, quod indicat ipsa finis *a* definitio, cum dicitur id, cuius gratia; Et verò decuit in ipsa definitione causalitatem propriam ab Aristotele indicari, sicut & propria aliarum in proprijs definitionibus indicata est.

a Tradita lib. 2. Phys. t. 29.

502 Quoniam verò, vbi finis est, actio cessat; explicandum restat; quomodo sit is causa; ante ne, quam sit, vt simul cum reliquis concurrat actione prioribus, an postquam est, cum effectus iam à suis causis processit? Vtrunq; à veritate alienum videtur, vel quod causet id, quod non est, vel quod à fine causetur id, quod iam est.

503 Distinguunt hic non pauci esse finis reale, & esse intentionale, remque se definire, arbitrantur dicendo, finem esse causam vnà cum reliquis, dum est in intentione agentis; esse verò causatione posteriorem in esse reali. Sed hoc non approbo; vel quia propriam finis causalitatem non attingit; vel quia nihil dicitur commune omnibus agentibus naturalibus, quæ tamen omnia propter finem operantur.

504 Sentio igitur, finem causare secundùm esse reale futurum, tunc, cum reliquæ causę causant. Nam, quamuis finis, prout mouet agens dici *b* possit prima causarum; actu tamen suam propriam causalitatem non exercet, nisi simul cum reliquis, & in eo priori, quo causa effectu prior est. Hoc est esse reale futurum in fine immediato, quod realiter futurum est; in mediato verò, quo agens aliquandò frustratur, & quod futurum speratur.

b In quo sensu loquitur D.Th. 5. meta. lect. 2. Alex. Alēs. 1. meta. ipseque Aristoteles tū in metaphysicis, tū in Ethicis.

505 Sed quia hoc esse reale futurum duo dicit, idest esse reale, & esse futurum, non pariter in vtroque finis causalitas ponēda est; Illud enim per quod finis causat, est esse reale, vndè & hæc causa realis est nihilominus, quàm aliæ; quòd verò futurum sit, habet se vt conditio.

506 De Ideis etiam quæri solet, an causę sint, & in quo genere. Eas dari in omnium, tum Philosophorum, tum Theologorum sententia, certum est. Sed vbi vbi *c* Plato posuerit; in Deo rerum omniū effectore ponendę *d* sunt. Tale enim vnumquodque fit, siuè à solo Deo fiat, siuè non sinè diuino concursu, à causis secundis, quale in diuinis exemplaribus notatum, ac descriptum est.

c Qua de re dicam iterū li. 3.
d Ex communi Theologorum sententia cum D.Tho. 1. p. q. 15.

507 Cum verò, & ideę, & plures in Deo ponuntur, nullam propterea esse velis in eo compositionem, nullam diuisionem. Sed hoc solum datur nostrę intelligentiæ imbecillitati, vt, quę in Deo cum Deo vna sunt, quasi distincta concipiamus. De diuinis verò ex humanis, quas in mente gerunt artifices, philosophamur.

508 Habent ergò artifices ideas suas, cum quid manu facturi sunt, ideas dictas, quia in eas intuentur, vt ex imagine faciendum opus doceantur. Habent verò duplicis aliquandò generis, idest vnam in mente, alteram in re, cū antequam ad ipsum opus aggrediantur, operis formam vel acceperunt ab alijs, vel ipsi sibi fabricati sunt. Idea dicitur illa interior, quam agentia ex cognitione intellectiua semper habent, reliqua non item. Sed horum pariter, eorumq; effectus omnes in diuinis ideis descripti sunt.

F 509 De

509 De diuinis loquor, quas *a* alij, facta ea diuinæ naturę descriptione, qua essentiam à potentijs, potentias ab operationibus cogitatione seiungimus, ponunt in conceptu formali, seu specie expressa; *b* Alij in conceptu obiectiuo. Neutrum placet, si per conceptum obiectiuum intelligamus res ipsas, prout diuinæ intelligentiæ obijciuntur.

a Alens. 1. p. q. 23. mem. 4. art. 1.
b Scotus in 1. d. 35. q. 1. & alij plures.

510 Mea igitur sententia est, in diuina essentia, quę in esse infinita est, ideas ea ratione consignatas esse ab æterno, quatenus à creaturis per imitationem participabilis est, idq; Diuinæ naturæ conuenire iuxtà nostrum intelligendi modum priùs, quàm se, vel res futuras intelligat.

511 De humanis verò ideis si loquamur, illæ nec in conceptu formali sitæ sunt, nec in obiectiuo, si in hoc opus ipsum futurum comprehendamus; sed in obiectiuo, idest in eo, quod mente concipitur, non vt fiat idem, sed vt fiat simile. Hoc est, ex quo formalis conceptus suam formam habet, & ex quo res futura speciem, imaginemq; in se transformat, quæ est propria cuiusuis ideæ ratio.

512 Concurrunt autem & diuinæ ideę, cum Deus agit, & humanæ, cum homo operatur, ad opus faciendum in aliquo genere causę; non distincto à reliquis, vt velle visus est *c* Plato; non spectante ad causam formalem, vt malè aliqui Platonem interpretantur; sed reductiuè ad genus causę efficientis. Etenim forma operis determinat agens ad certa quadam ratione operandum.

c Ex Bessarione in calum. Platonis li. 2. cap. 5.

513 Et quamuis, vt idea sit, diciq; possit, minimè necesse sit, vt cognoscatur, vt tamen cooperetur, postulat, vt in eam Artifex intelligentię aciem figat: Quare habebit se talis cognitio, non vt causalitas ideę, sed vt conditio, sine qua agens ad tale genus operationis nō se determinat. In humanis certè artificijs, quò perfectior cognitio fuerit, eò perfectiùs forma exemplaris exprimetur, nisi quod aliundè adsit impedimentum.

514 Explicatis causis per se, addo, quid sentiam de his, quæ dicuntur per accidens. Porrò nihil est in rerum natura, quod Deo, vel volente, vel saltem permittente, non contingat; nihil est quod sapientissimam, vniuersalemque eius prouidentiam fugiat; Philosophi tamen complures haudquaquam in huius primi rerum principij contemplationem se se erigentes, sed viciniora adiuncta spectantes, casum, fortunam, fatum, & dicendo sępè vsurpant, & ijdem non rarò accusant.

515 *d* Casus dicitur causa per accidens in ijs, quę alicuius gratia fiunt ab agentibus naturalibus sinè electione, & consilio. Et quamuis quandoq; casus cum fortuna idem dicatur; fortunæ tamen acceptio arctior est; nimirùm causa per accidens in ijs, quæ alicuius gratia fiunt ab agentibus ex electione, & consilio.

d Ex Aristotele lib. 2. Phys. tex. 57.

516 Hinc monstra, quæ in actionibus plantarum, animatorumq; contingunt præter rerum constitutionem, & ordinem, à casu dicuntur esse. Hinc exitus in vtranq; partem, & boni, & mali, qui in liberis hominum actionibus sequuntur, dicuntur à fortuna, vel mala, vel bona, prout fuerit exitus.

517 Monstrū dicitur naturalis effectus à naturali regula, & dispositione deficiens

ficiens; Defectus causa multiplex esse potest, idest materiæ inopia, vel copia, qualitatum intemperies, & alia extrinsecùs incurrentia, vndè opus vitiatur. *a* His causis positis, minimè accidentarium est, tale opus fieri, sed necessariũ; quòd verò ponantur, sanè contingit, vndè & causæ contingentes appellantur.

a De quibus Arist. lib. 4. de gen. anim. cap. 4. & 8.

518 Sed, an inter monstra numeranda sunt complura, quæ extrà rerum ordinem ordinatissimè contingunt? *b* Pygmęi dicuntur alicubi nasci breuissimę staturæ, alibi Gigantes proceræ, alia alibi ab ordinario apud alias gentes statu deficientia; sed hic vide, quem certum statuas rerum ordinem, si à certo deficiant, monstra sunt; si status incertus, monstra non dixerim.

b Ex Aristot. lib. 8. de hist. anim. cap. 12. nec fabula est, vt ouid. ait.

519 Fatum, auctore *c* Boetio, nihil aliud est, nisi inhærens rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam diuina prouidentia suis quęq; nectit ordinibus. Dicunt alij, itemq; rectè, esse ordinem causarum secundarum, diuinam prouidentiam exequentium.

c Lib. 5. de Cõsol. Prosa 6.

520 Hanc verò fatum habet cum diuina prouidentia societatem, quòd cum Deus per causas medias agat, vel spectatur causarum ordinatio in ipso Dei consilio, & hæc prouidentia est, quæ dicitur ratio ordinis rerum in diuina mente existens; vel spectatur in causis ipsis ordinatis, & hoc fatum dicitur inhærens immobiliter mobilibus, qua immobile Dei consilium res, natura sua mobiles, stabiliuit, nullam tamen vim agentibus liberis inferendo.

521 Erratum hic vehementer à non paucis philosophantibus est, qui, pro ineuitabili necessitate fati, hominem sua libertate spoliauerunt. Tales, quantùm ego censeo, fuere Stoici, qui quamuis homini libertatis nomen reliquerint, qua vult, qua non vult, rem tamen ipsam abstulerunt, qua illum ex fati necessitate, velle, ex fati necessitate nolle, aut in omnibus, aut in multis asseruerunt.

MOTVS RATIO.

CAP. VI.

522

EXPLICATIS principijs,& caufis, progredior cum *a* Ariftotele ad potiffimam affectionem corporis naturalis, & ea, quæ hanc ipfam fequuntur affectionem. Is eft motus, qui cum euidentiffimè pateat ad fenfum, non effe tamen aliquibus vifus eft. Vnus ex his fuiffe dicitur Zeno,qui moueri fagittas in fcopum, vel tunc maximè, cum velociffimè feruntur, negabat. Achillem idem in curfum vocauit, vt in curfu eum non currere,quin etiam nec moueri, ratione conftaret.

a Lib.3. Phyficorum.

523 Plato aliquandò motum inter non entia repofuit; fed credibile eft, attendiffe illum ad imperfectam, diminutamque entitatem, quam motus habet. Dico igitur, motum effe, nec effe fenfum pro fallacibus rationibus dimittendum. Probari is poteft, quamuis probatione non egeat, & à priori per naturam,& à pofteriori per omnia illa figna,& effectus,qui in fenfum facilè incurrunt.

524 Tribus verò in locis Ariftoteles naturam motus explicauit, vel cum dixit: *b* Motus eft actus eius, quod potentia exiftit, quatenus huiufmodi; vel vbi ait: *c* Motus eft actus mobilis, quatenus mobile exiftit; vel vbi, *d* Motus eft actus eius,quod potentia actiui,ac paffiui, quatenus huiufmodi. Omnium vna eft fententia, motum effe actum entis in potētia,prout in potentia,quæ eft recepta apud Peripateticos defcriptio motus.

b Lib.3.t.6.
c Lib.3.t.16.
d Lib.3.t.23.

525 Hæc

525 Hæc autem eſt eius vis, vt ſit in aliquo exiſtente, quod actuet, ſed tanquàm imperfectus actus, & per ſe ordinatus ad vlteriorem perfectionem, ad quam ſubiectum, prout huic actui ſubſtat, eſt in proxima potentia: Idem ergò eſt, eſſe actum entis in potentia, prout in potentia, ac eſſe actum mobilis, prout mobile eſt, ac eſſe actum paſſiui, quatenus ab actiuo mouetur.

526 Motus in ſua propria ratione diſtinguitur à mutatione, quia hæc eſt ad formam, & compoſitum ſubſtantiale, ille ad formam, & compoſitum accidentale. Cum verò non ſemper Ariſtoteles perſiſtat in hac proprietate vocabulorum, ſed ſæpè alterum in ſenſu alterius accipiat, dubitatur, quorſum pateat allata motus definitio, an ſcilicet pręter motum accidentalem, qui ferè ſucceſſiuus eſt, ſeſe etiam extendat ad mutationem ſubſtantialem, quæ inſtantanea eſt. Cenſeo communem tradi deſcriptionem motui, ac mutationi, abſtrahendo ab eo, quod quid ſucceſſiuè mutetur, vel in inſtanti, nec vllam eſſe particulam, quæ ſucceſſionem neceſſariò poſtulet; Ità ex *a* Gręcis, & Latinis meliores.

a Eudē. Alex. Simpl. D.Tho.

527 Neq; vbi dico, in hac definitione, ſubſtantialem mutationem comprehendi, eam interpretor, prout dicit pręuiam diſpoſitionem, & alterationem, quæ motus eſt propriè dictus, ſed prout dicit ipſum fieri formę ſubſtantialis, & per idem, compoſiti.

528 Adde quòd aliquis motus inſtantaneus eſſe poteſt, qui tamen à definitione allata non excluditur, nam vniuerſalis eſt; vndè eò certiùs aſſero, ſucceſſionem nihil facere, ad eam explicandam, applicandamq;.

529 Operationes immanentes animatorum, ſenſationes, voluntas, intelligentia, & quę harum ſimiles ſunt, non comprehenduntur propriè in hac definitione, non quia illa non poſſit aliqua ratione his accommodari, ſed quia, cum non ſint via ad effectum, à ſe ipſis diſtinctum, non dicuntur in ea proprietate, actus entis in potentia, prout in potentia, ſicut qui ſunt motus propriè phyſici.

530 Motum localem, qui propriè localis eſt, certum eſt eadem definitione contineri, nec enim terminus deeſt à motu diſtinctus, ſiuè aſſignetur intrinſecus, de quo *b* infrà, ſiuè acquiratur extrinſecus, qui eſt ipſe locus.

b Hoc eodem lib. cap. 8.

531 Quid quòd etiam violentus continetur? mens quidem Ariſtotelis fuit, naturalem primariò comprehendere; ille enim eſt, qui corporis naturalis eſt affectio, ſed nihil repugnat, etiam violentum ſecundariò deſcribi, cum, à quocunque tandem principio ſit, verè, & propriè motus ſit.

532 Succeſſio non eſt de intrinſeca natura motus, etiam eius, qui neceſſariò ſucceſſiuus eſt, qualis eſt motus localis. Paſſio potiùs dicenda eſt, quanquam variabilis, nam modò maior, modò minor eſſe poteſt, aliquandò etiã omninò ſeparari per diuinam potentiam, integra motus ratione remanente.

533 Eſt autem ſucceſſio in motu ſucceſſiuo intrinſeca eius duratio, qua motus partes, ſibi ſinè vlla interruptione ſuccedunt, commenſurabiliter tempori, quod eſt extrinſeca eiuſdem intrinſecæ durationis menſura.

534 Motus cum actione,paſſione,mobili,ſuoq; termino,ad quem,comparari poteſt,vt diſtinctiùs cognoſcatur. Eſſe autē ab his omnibus definitione diſtinctum,nemo eſt, qui nō norit,vel ſi mediocriter in Philoſophia verſatus ſit;quod verò ſpectat ad entitatis diſtinctionē, non eſt ęqualis inter oīa hæc.

535 Quod ſpectat ad actionē,& paſſionē,motus ab his non diſtinguitur,niſi conceptu,quod.n. *a* ſuprà de actione dixi,diuerſimodè conceptam diuerſas ſortiri rationes,hic pariter dico: nimirum ille ipſe modus, qui ab agente actio eſt,in paſſo eſt paſſio,ad terminum eſt motus.

a Hoc eodem lib.cap.5.

536 Quod ſpectat ad formam, quæ motum terminat, hæc à motu diſtinguitur modaliter,eſt enim motus ipſum fieri formæ, quod non ſemper formæ adeſt,ſed tunc ſolum,cum in inſtanti,vel in tempore producitur, vbi verò forma producta eſt,deſinit fieri, deſinitq; eſſe motus, quæ ſeparatio modalis diſtinctionis indicium eſt.

537 Quod deniq; ſpectat ad mobile,hoc illud eſt,quod recipit in ſe formā, & forma mediante motum, quo moueri,& tranſmutari dicitur. Neceſſe eſt ergò,diſtingui à motu realiter,ſicut realiter diſtinguitur ipſa forma;nec enim cum illo motus,ſed cum forma participat entitatem.

QVANTITAS, & infinitum.

CAP. VII.

538 EX duplici quantitate continua, & diſcreta, continua eſt, quæ maximè in corpore naturali à Phyſico ſpectatur,per hanc enim, vel certè non ſinè hac,fit actio, paſſio, motus, & vnumquodque eſſe dicitur in loco, vel tendere ad locum. Reijcio in aliam harum aſſertionum *b* partem, quomodo hæc generetur, & corrumpatur, item

b Hoc eod. lib 2.cap.36.

item quid sit, penitus inspiciat metaphysicus, hic de ea physicè differo, vt hæc naturalis corporis affectio non ignoretur.

539 Non malè Quantum *a* describitur illud, quod est in ea, quæ insunt, diuisibile, quorum vtrunq;, aut singulum vnum quid, & quodquid aptum est esse. idest quantitas est diuisibilis in partes, ea ratione, qua eas habet, quarũ quælibet dicit quid vnum, sicut vnum erat ipsum totum, antequam fieret diuisio.

a Ab Aristot. lib. 5. meta. t. 18.

540 Vbi quantum dicitur diuiduum, intellige, vt ipsum per se sit capax diuisionis, sicut alia multa, quæ, quia materiata sunt, diuiduntur, & ipsa in partes, sed non nisi beneficio quantitatis. Item vbi partes dicuntur, facta partitione, remanere quid vnum, & hoc aliquid, intellige completum in ratione totius quanti, iterumq; diuidi in partes.

541 Per quantitatem res Physicæ in loco sunt circumscriptiuè; Hinc porrò est, vt, si à re quanta tollatur penitùs, ea amplius in loco non sit, etiamsi partes habeat entitatiuas, quales materia habet, quales item formæ materiales. Nullius agentis naturalis vis tanta est, quæ materiam omni prorsus quantitate spoliet; sed si id suprà naturæ vim fiat, desinet illa esse in loco, suasq; omnes partes entitatiuas in indiuisibili puncto retinebit.

542 Nec verò est idem quantitas cum re quanta, quantumuis arctissimè vniantur, quicquid contrà sentiant *b* Nominales; est enim accidens realiter à substantia distinctum, itemq; ab alijs accidentibus, quæ in subiecto quanto recepta, ad subiecti extensionem, & ipsa pariter extenduntur. Vna est omnibus communis extensio, & quasi productio ad locum occupandum; distinctio tamen extensorum, ipsiusque extensionis est, quam assignaui.

b Ochã. Gabr. Maior, & alij.

543 Sunt in quantitate partes, quæ dicuntur extrà partes, sed virtute tantùm, & in potentia; actu verò non nisi, cum assignaueris, & quotquot assignaueris. Nullus certus est assignabilium numerus, sed quia assignabiles dicuntur, quæ aliquando de facto assignabuntur, hinc est, vt hæ simpliciter infinitæ non sint, quia nunquam dabuntur infinitæ simpliciter. Plures, & plures, quantum volueris, habebis, etiam in breuissima quantitate, sed perge porrò, finis nullus est.

544 Hoc assero, cum quantitatis partitio fit in partes proportionales, siuè, vt hic Physici loquuntur, communicantes; si verò de æqualibus agamus, & non communicantibus, finitam quantitatem finiti ablatione facilè exhauries. Sed neque hę æquales partes in quantitate sunt, nisi designaueris.

545 Cum longa, lata, profunda, fuerit quantitas, corpus mathematicum dicitur, & quidem in physicis nulla vnquam dabitur, quæ eadem, longa, lata, profunda, non sit; neque enim longitudo sine latitudine, quę dicitur linea, neque longitudo, & latitudo simul sine profunditate, quæ dicitur superficies, extrà corpus quantum reperiuntur; sic neque puncta, quibus linea dicitur terminari, vnquam à quantitate separantur, nisi cogitatione, & mente.

546 Sed neq; hæc ipsa in corpore quanto sunt, nisi ea ratione, qua de partibus modò dictum est, nimirum virtute, & potentia. Ergò tantùm abest, vt quantitas continua componatur ex indiuisibilibus, ideſt linea ex punctis, superficies ex lineis, corpus ex superficiebus, vt hęc in ea non sint propriè, nisi cum distinctè notata sunt.

547 Errat igitur *a* Proclus, si tantam vim tribuit puncto, rei tantulæ, immò ne tantulæ quidem, vt velit, illud esse parentem omnium magnitudinum, scilicet, quia, eo primùm defluente, linea paritur, mox linea in latus acta, superficies nascitur, ac tandem, hac subsidente, fit corpus. Nihil hæc in physicis momenti habent, quantumcunq; habeant in mathematicis.

a In Euclid.

548 Illa meliora ex *b* Aristotele, quibus probatur quantum ex non quanto minimè fieri. Nam si linea ex punctis fit, eruntne illa continua? at non habent extrema, quæ dicantur esse vnum; Eruntne contigua? at quō dicantur extrema esse simul, si extrema desunt? Habentne se fortasse consequenter? at hoc si dixeris, negas lineam constare ex punctis.

b Lib. 6. Phys. à t. 1.

549 Eiusdem *c* doctrina est, indiuisibile additum indiuisibili, non facere rem diuiduam, ergò quantumuis puncta punctis aggeras, linea nunquā fiet; item si linea lineis adiaceat, nunquam in latum crescit superficies; pariq; ratione, si superficies imponatur superficiei, nunquam corpus densabitur.

c Eodem lib. 6. t. 2.

550 *d* Et verò si diuisibile ex indiuiduis componeretur, nōne illud tandem in indiuidua dissolueretur? At hoc nec ratio docet, nec experientia cōfirmat; quacunq; enim data quantitate, si libeat in partes scindere, quantū ex quanto accipies, indiuisibile verò quid nunquam detrahes, nec detractis partibus quantis, indiuisibile vnquam supererit.

d Eodem li. 6. t. 3.

551 Componitur ergò quantitas ex virtualibus partibus eiusdem planè rationis, sed minoribus; corpus, videlicet ex partialibus corporibus, linea ex partibus lineæ, & sic deinceps, si vlla in quantitate compositio concipienda sit, quæ verè nulla est, vbi non est partium distinctio, vt dixi.

552 Cum tamen in corpore quanto designantur superficies, lineę, puncta, hæc non in sola negatione sita sunt, vt *e* quidam volūt, sed sunt aliquid reale, & positiuum, de ipsa entitate quantitatis, quæ videlicet cum trina dimensione est corpus, cum duplici superficies, cum vnica linea, cum omnium negatione punctum.

e Dur. in 2. d. 2. q. 4. Ocham in cap. de Quāto.

553 Sunt, *f* qui arbitrentur, cum tradita superiùs ratione ex his indiuisibilibus diuisibilis quantitas non componatur, esse tamen illa in quantitate, vel ad partes continuandas, vel saltem ad terminandas. Ego, quod spectat ad continuationem, puto, non esse hæc necessaria; nam cum non sint actu partes in vno quanto, nihil est, nisi fortè assignetur, quo vna pars alteri continua fiat.

f Burl. lib. 1. Phys. t. 15. & alij.

554 Quod verò spectat ad terminationem, designata hæc quodammodo sunt, cum primùm finita quantitas producta est, sed suum esse perfectum non habent, nisi ab adiunctis dimensionibus seiuncta intelligantur.

555 Data occasione de infinito disputat *g* Aristoteles. In vniuersùm triplex infinitum notat Simplicius. *h* in essentia, in virtute, in magnitudine. De hoc tertio

g Lib. 3. Phys.
h Lib. 1. Phys. t. 35.

tertio maior controuersia est, an detur, vel dari possit, de quo illa *a* Aristoteles: infinitum in quanro est. In essentia, & virtute infinitus Deus, idemq; quodammodo in magnitudine, qua immensus est.

556 Sed & in ipsa magnitudine ambigua est *b* Aristoteli vox infiniti. Nam aliud dicitur, quod finem quidem habet, sed quem nos nunquam assequamur. An in hoc sensu locuti sunt *c* Physici quidam, qui corpus infinitum suprà cœlum statuebant? aliud dicitur, quod finem habet, quemq; assequi aliquandò possimus, sed non sine ingenti labore, & motu. Sed illud propriè infinitum dicitur, quod quantum cum sit, fine caret.

557 Hoc rursus aliud dicitur infinitum actu, ideſt cuius sint actu infinitę partes, aliud infinitum potentia, cuius partes actu non sunt, sed plures, ac plures esse possunt. Illud categorematicum appellare Philosophi consueuerunt, hoc syncategorematicum, alij finitum in infinitum. Neq; verò, vt ipse animaduertit *d* Aristoteles, cum dicitur infinitum in potentia, necesse est, vt potentia ad actum reduci queat adæquatè. Olympia (inquit) sunt ex eo, quia potest certamen fieri, & ex eo, quia fit.

558 Infinitum antiqui definiuere esse id, extrà quod nihil est: Meritò hos reprehendit *e* Aristoteles, quia videntur magis definiuisse totum, quam infinitum: Totum.n.est, inquit, cuius nihil abest, sic hominem infinitum dixeris, & arculam infinitam. Quod si voluerint extrà infinitum planè nihil esse, adhuc magis reprehendenda definitio est, cum nec ipse Deus, qui infinitus est in generę entis, ità sit infinitus, vt extrà ipsum nihil sit, sunt.n. res creatę extrà ipsum, quamuis ab ipso sint.

559 Rectius igitur infinitum *f* dicitur, cuius semper aliquid extrà est. Sic vulgò dicitur infinitus anulus; minus tamē propriè, inquit Aristoteles, oportet.n.& hoc esse, & nunquam idem accipi, in circulo autem non sic fit, sed sēper quod est consequenter solum alterum.

560 Hinc eadem descriptio verbis clarioribus tandem pronunciatur: *g* Infinitum id est, cuius secūdùm quantitatem accipientibus semper aliquid accipere extra est. Conuenit hæc descriptio, tum infinito in quantitate continua tum in quantitate discreta, si tale vnquam infinitum reperiatur, & siuè actu sit, siuè potentia.

561 Infinitum in potentia facile est in qualibet magnitudine reperire, nullæ.n.in ea sunt partes actu, sed assignari possunt plures, & plures proportionales, ità vt verè dicatur semper esse aliquid extrà accipere; Nec si desinat nostra actualis assignatio, desinet propterea in quātitate, vndè partes assignari queant.

562 De infinito actu, an detur, antiqua est quęstio; an dari per vllam potentiam possit, nostratium disceptatio est. Mihi hæc certa; In rebus permanentibus, neq; secundùm magnitudinem, neq; secundùm numerum dari actu infinitum, quicquid tandem dixerint *h* Democritus, Anaximander, & alij.

563 In successiuis rectè nos fides docet, non dari; Neq;.n. vllus est, vel fuit motus, qui principium non habuerit, quiq; item finem habiturus non sit. Sed etiam si finem non habiturus esset, infinitum tamen actu non daretur vnquā, vel

a Lib. 1. Phys. t. 15.

b Lib. 11. Meta. Sum. 4. cap. 2.

c De quibus Arist. lib. 3. Phys. t. 60.

d Lib. 3. Phys. t. 57.

e Lib. 3. Phys. t. 63.

f Ab Arist. 6. 3. Phys. t. 62.

g Eodem lib. 3. t. 63.

h Apud Arist. l. 3. phys. à t. 25.

vel quia ſi continuus ſit, vnus erit, vel quia nunquam partes actu infinitæ aſſignabuntur.

564 De mundi æternitate philoſophatus Ariſtoteles longè aliter, ac nos veritas fidei inſtituit; in eas ipſe ſe tricas iniecit, vt, vel in ſucceſſiua duratione, vel in numero illud poſuerit infinitum, quod ipſemet firmis rationibus *a* alibi excludit. Succeſſiuã itẽ durationem infinitam ponit, vbi ponit motum Cœli ab æterno, numerum infinitum, ſi velit æternam fuiſſe ſucceſſionem humanę generationis.

a Lib. 3. Phyſ à t. 42. vſq; ad t. 48. lib. p. de Cœlo à t. 33. l. 11. Meta. Sũma. 4. cap. 2.

565 Quàm varia hic auctorum ſtudia pro magiſtro ab errore defendendo? Sed malè mihi de eo videntur meriti, qui, vt ab errore excuſarent, errores eidem deteriores adſcripſerunt. Ex his ſunt, qui pro Ariſtotelis ſententia venditant, humanos animos eſſe mortales, vel Pythagoricam animorum tranſmigrationem, ex Ariſtotelis mente, concedunt.

566 Si verò de eodem infinito categorematico agamus, an ex infinita Dei potentia eſſe poſſit, vel in magnitudine, vel in numero, annuunt ex antiquioribus *b* Nominalibus non pauci, ſubſcribit ex recentioribus non *c* nemo. Ego præciſè nego, & verò cum optimis auctoribus, quorum princeps, & vnus inſtar plurimorum, ſit D. *d* Thomas.

b Gregor. Gabr. Baſſolis. Ochã. c Vaſq; tomo 1. in 1. p. Diſp. 26. ca. 2. & 3. d 1. p q. 7. a. 3. & Quodl 9. q. 1. a 1. Quodl. 12. q. 2. a. 2.

LOCVS, ET Vacuum.

CAP. VIII.

567 DARI naturalium corporum locum, notius eſt, quam quod probandum videatur; ſatis tamen id ipſum docet motus localis, vel quo res de loco in locum transfertur, vel quo ſuo impetu vnumquodq; ad proprium locum fertur. Quid verò is ſit, non æquè notum eſt.

568 Tribuit a Aristoteles Platoni sententiam, quam & in ipsius Platonis scriptis facilè reperias, habere materiam rationem loci,& si ea vniuersalis locus non sit,esse certè formarum locum, etiam magnitudinis, quin etiam hãc primam esse eius sedem, & receptaculum. Non placet loquendi modus, res tamen placet,si formarum locus dicatur subiectum;nihil verò hic ad rem nostram.

a Lib. 4. Phys. à t. 15.

569 Non nemo ex b antiquis censuit, formam esse locum, nimirum, quia habet rationem termini, itemq; imitationem quamdam continentis. Sed hic,nec res, nec oratio placet,neq; enim ità accommodatè dixeris, materiã esse in forma sicut dicitur cõtra forma esse in materia, & nos hic locum quęrimus, in quo sit,non quidlibet, sed corpus naturale.

b Apud Arist. lib. 4. Phys. t. 14.

570 Opinatus est c Hesiodus, locum esse interuallum quoddam, & imaginarium spatium; & verò,quia vulgari cuidam æstimationi opinio hæc non malè congruit,habuit d sectatores nõ ignobiles, dum tamẽ interuallum hoc, & spatium certis terminis claudatur. Etenim in hoc est corpus physicum; hoc est eidem æquale; nec facilè assignes, quid ei desit ad veram physici loci rationem. Ego illud assigno, quia tale interuallum nullum est;locus autem, vel vt contineat, vel vt sit æqualis locato,debet esse.

c Apud Arist. lib. 4. Phys. t. 36.
d Philop. l. 4. Phys. t. 38.

571 Damascus quidam,de quo mentio apud e Simplicium,censuit,locum esse positionem nescio quam: nam quid,inquit,facit, magnitudinem esse in loco, numerum verò non item, nisi quia magnitudo constat ex partibus,habentibus positionem ad inuicem, numerus verò non item? Sed ego hic Damascum interrogo,an desinat magnitudo habere positionem, si in loco non sit? an eandem illam positionem mutet, vbi locum mutat? leue illud argumentum est, & pro positione malè positum.

e Digres. in t. 49. lib. 4. phys.

572 Mea igitur sententia est, quæ f Aristotelis, locum esse superficiem corporis continentis,immobilem,& primam. Illa vulgo tribuuntur loco, vt locatum ambiat; vt à locato distinguatur; idemq; locatum hic à locato alibi seiungat; vt sit locato æqualis: Hæc verò ipsa probant germanam loci definitionem, quam attuli, & per hæc eandem Aristoteles inuestigauit.

f Lib. 4. phys. t. 39. & 41.

573 Alia sunt, quæ loco conueniunt, vt conseruare locatum, habere metaphoricam quandam vim eiusdem atrahendi,& alia similia:hæc verò non cuilibet loco physico conueniunt, sed soli naturali, maximè elementorum, & hinc nonnulla dissoluuntur,quæ difficultatem g Philopono faciunt, vbi locus dicitur superficies.

g Cit. Digres. in t. 38.

574 De loci immobilitate quam multæ motæ difficultates sunt? Alij hanc loci conditionem negant,quia nesciunt interpretari: interpretantur alij; sed longè,quantum ego sentio,à sensu Aristotelico. alij dubitant,sit ne hæc accidentalis loci conditio,an ratio formalis. Ego conuenire loco hanc immobilitatem, disertè assero, si,vbi dicitur superficies, ea non accipiatur mathematicè,quam de immobilibus esse,testatur h Aristoteles; sed physicè, quæ de mobilibus est.

h Lib. 2. phys. t. 69.

575 Nec verò immobilitas hæc in eo sita est,quod loco eædem semper proprietates conueniant, vel quod locus loco succedat, sicut in flumine aqua

aquæ,

aquæ,idemq; sit per æquiualentiam; vel quòd locus non producatur,sed acquiratur per motum; vel deniq; quòd eandem semper seruet positionem in ordine ad partes fixas; sed quòd non sit necessaria sequela inter motum locati,& loci,nec è contrà.

576 Non ergò ad motum vnius mouetur alterum ex ipsa conditione loci, & locati,& hoc est,quod ex mente *a* Aristotelis obstat,quominus vas dicatur esse locus eius,quod in vase continetur: Vt.n.vas locus est,qui transferri potest, sic locus vas immobile. Vndè habes, vasis mobilitatem in eo esse,quia ad huius motum mouetur id, quod continetur, erit ergò immobilitas loci in eo,quia ad eius motum non necessariò mouetur locatum.

a Lib. 4.phys. t.41.

577 An hęc immobilitas dicatur necessaria loci conditio,vel formalis ratio, non tanti facio,nec verò nouum est, rationes ipsas formales per necessarias conditiones indicare, vbi ipsæ in se non ità perspicuè possunt innotescere; quod hic accidit, si loci naturam spectare quis velit, quatenùs à quantitate distinguitur.

578 Entia physica omnia aliquem sibi locum poscunt hoc ipso,quòd quanta sunt,& verò nullum facilè reperias, quod in loco non sit. Solùm de Cœlo, quod vltimum corporum esse ponimus, quæstio est inter Physicos, qua ratione in loco sit, cum nulla extrinsecùs ambiente superficie contineatur. Vltimum cum dico,ne intelligas Empyreum, sed vltimum Physicis notum.

579 Sunt, *b* qui negent,hoc corpus in loco esse. plures, qui asserant, sed est in hac ipsa consensione dissensio. *c* Arabes volunt, esse in loco ratione centri, etenim ratione huius quietem habet, si quam habet. Non placet hæc sententia,vel ex hoc ipso,quòd nouam loci rationem comminiscitur à loco Aristotelico alienissimam, quantùm distat à centro superficies.

b Alex. Simplic. Auic.
c Auer. Alph. Auemp.

580 Sed esto,sit centrũ aliqua ratione locus; Ponunt Arabes plures orbes cœlestes ex traditione veteris Astrologię,eosdēq; concentricos. hos ergò interrogo, cur potiùs vltimum cœlum in centro dicatur esse, quàm orbes alij concentrici? Si hi in loco non sunt, ratione centri, quod fatentur ingenuè, nec vltimum cœlum erit.

581 E Græcis auctor non ignobilis Themistius vult, vltimum cœlum esse in loco, quà adiacet conuexę superficiei inferioris orbis. Contrà hunc benè Simplicius, nec.n. hęc superficies superum cœlum ambit, aut continet, sed ipsum potiùs cœlum inferius à concaua superioris superficie ambitur, & continetur.

582 Suam post hos sententiam aperit *d* Gilbertus Porretanus, vltimum cœlum esse in loco, quia terminatum,finitumq; est;habet ergò extimam aliquam superficiem, qua continetur, qua ambitur, quæ proprius eius locus sit. Sed ignorat is loci rationem, qua superficies dicitur, sed immobilis, & à loco separabilis.

d Apud Alb. lib. 4. phys. tract.1.ca.13

583 Mea tandem sententia est, quæ D. *e* Thomæ, vltimum cœlum esse in loco ratione partium, non ratione totius,quomodo dicitur idem moueri ratione partium,non totius. Non sunt, fateor, hæ partes in cœlo, sed ad illā rationem essendi in loco, quæ huic cœlo satis sit, satis pariter est, quòd sint

e Lib. 4. phys. in t.43.& benè explicat Ferrar. q. 2. in eundē lib.4.

partes

partes in potentia,& huc ſpectant illa *a* Ariſtotelis: Cœlum non eſt alicubi totum,neq; vllo in loco eſt,in quo autem mouetur, hic etiam locus eſt partibus,altera enim partium alteri adhærens eſt.

a Lib. 5. phyſ. t. 45.

584 Quicquid eſt,alicubi eſt,atq; ideò neceſſe eſt,omnes in eo conueniant, quod Vbi ſit; Sed quid ſit,& qua ratione à loco,vel locato diſtinguatur,nõ eſt vna omniũ conuenientia. Nihil hic ego de Vbi,per quod Angeli alicubi ſunt, nihil de Diuina immenſitate,per quam Deus vbiq; eſſe dicitur, & eſt; ſed loquor de illo Vbi,per quod corpus quantum in loco eſt circumſcriptiuè.

585 Hoc Vbi rectè deſcribitur,modus,quo ſe res habet in loco. Eſt in locato,tanquam in proprio ſubiecto,à quo diſtinguitur,vt modi aſſolent,modaliter;à loco diſtinguitur realiter,dependet tamen ab eodem in eſſe, vt à termino,ſi minus actuali,ſaltem poſſibili.

586 Neq; ſolùm per hũc modum corpus naturale in loco eſt,cum quieſcit, ſed cum idem ſucceſſiuè mouetur localiter, ſucceſſiuè acquirit, vt intrinſecũ terminum motus,hunc modum: & ſicut pertranſeundo nouus ſemper locus acquiritur,derelicto priori; ità nouus modus pariter,priori derelicto. Diſtinguitur vbi in motu, ab vbi in quiete,vt ſucceſſiuum à permanente.

587 Sed,cum non minus ſit præſens locatum loco,quam locus locato, ſi illud per Vbi eſt formaliter præſens, an & locus per alterum Vbi ſit pari ratione præſens? Affirmatiuę parti facilè aſſentior,ſed quia ſolent Phyſici modum hunc ſpectare,vt terminum motus localis, cum locatum dicatur moueri,non locus,hinc eſt,vt Vbi diſtinctiùs ſignetur in locato, quam in loco.

588 Supponit idem modus in corpore locato, vel locabili quantitatem,per quam corpora phyſica remotam quandam aptitudinem habent, occupandi locum; Vbi verò ipſum vbi aduenerit, non neceſſariò locatum actu eſt in loco,ſed conſtituitur, quaſi in actu primo, vndè loci occupatio ſequatur, ſi in pleno ſit. Quod ſi res quanta fuerit, & non in vacuo; caruerit tamen hoc vbi, de quo loquor,nullibi erit circumſcriptiuè.

589 Putidum eſt, ad euadendas difficultates, quæ ex Philoſophicis diſcuſſionibus paſſim enaſcũtur, modos ſine modo ponere,ad eoſq; veluti ad aſylum,identidem confugere. Sed vbi modi modicè ponantur,quantùm Ariſtotelis auctoritas patitur, quantùm res ipſa poſtulat,ſicut & hic in re noſtra,vel Ariſtotelis auctoritas, vel ipſa res exigit,admittendi ſunt.

590 Opinatus eſt *b* Porretanus,eſſe hoc Vbi in locato; ſed arbitratur, illud ex extrinſeca ambientis ſuperficie in locati ſuperficiem deuenire. Non placet hic ſaltus, quia ad modum non eſt. Prætereà hunc ego interrogo,à qua tandem ambientis ſuperficie ſit vbi, quod in vltimo Cœlo eſt,quod & motu acquiritur,& per quod Cœlum actu eſſet in loco, ſi plenum circum iaceret.

b Lib. ſex Principiorum ca. 5.

591 Ad ea,quę in phyſicis de loco,& motu dicũtur, conſequens eſt diſputatio de *c* vacuo,quod ità natura odit,vt illud nuſquam admittat, nihilq; non moliatur, cum periculum imminet inanitatis.

c Ex Ariſt. 4. phyſ. à t. 50.

592 Vacuum,ſi vulgi captum ſpectes, dicitur aliquandò id, quod plenum eſt,ſed corpore, ſub ſenſum difficilè veniente. quid dico vulgum? ipſi etiam phyſici,dari vacuum,in hoc ſenſu dixerunt,contrà quos *d* Heron; Alij vacuũ

d In Proœ. ſuorum Spiritalium. 94.

appellant

appellant imaginariam quandam inanitatem, qualem eſſe arbitrantur extrá vltimos mundi terminos, contrà quos *a* Ariſtoteles.

a Lib. 1. de cœlo t. 99.

593 Dicitur ergò vacuum, locus carens corpore, ex doctrina *b* Ariſtotelis, & verò tria requiruntur, locus, inanitas, ſeù priuatio locati, & in loco aptitudo ad plenum recipiendum. primariò inanitas in ratione vacui continetur, reliqua ſecūdariò, ſed & mutari vices poſſunt, prout libuerit de vacuo, vel in abſtracto, vel in concreto ratiocinari.

b Lib. 4. phyſ. t. 57. & 58.

594 Et verò dari in rerum natura Vacuū, *c* aliqui opinati ſunt, illudq; pleno admiſcebant, vt cum quid mouetur, cedenti aeri locus non deſit, ſed habeat quò ſe recipiat. Quid plura? ità eſſe vacuum in natura neceſſarium arbitrati ſunt, vt vix ſinè eo vllam eſſe poſſe crederent naturæ operationem; falſis tamen hi nituntur experientijs, ad quas explicandas rarefactio, & condenſatio corporum ijs meliùs vſui fuiſſet, quàm vacuum.

c Pythagorici apud Ariſt. lib 4. phyſ. t. 56. Democritus Epicurus apud Lucretium lib. 1. de rerum natura Heron in Proem. ſuorū Spirit.

595 Odit quam maximè natura vacuum, illudq; ne admittat, grauia ſursū tollit, leuia deorſum trahit, vt vulgares docent experiētiæ; Qua verò vi hæc corpora ad vitandum vacuum moueantur, non facile explicatu eſt. Miror venire *d* aliquibus in mentem potuiſſe, moueri à cœlo, nec. n. vſquam apparet, qua ratione hic motus in cœlum referatur, eſt credibile & hos cœli nomine intelligere intelligentiam non errantem.

d Aegydio, Gratiadeo in 4. phyſ.

596 Idem ſentiunt *e* alij, qui volūt moueri hæc corpora ab auctore naturę, à Deo videlicet; ſed nimis vniuerſalē cauſā hi afferūt, hic vbi vicinior aliqua, & magis particularis quæritur, cū qua Deus, vt cauſa prima, cū ſecūda operet̃.

e Albert. & Concil.

597 Referunt *f* alij hunc motū in ipſam formā corporum, quæ mouentur; eam videlicet naturalem propenſionem habere in omnem illum motum, qui vniuerſi bono conferat, nec ſuæ ſolùm, ſed etiam communi ſeruire vtilitati. Sed neq; id placet, & malè naturalis corporū motus cū eo cōfūditur, qui violentus, vel pręter naturā eſt; Nec. n. duo ſimul planè cōtrarij naturales erunt.

f Scalig. Exerc. 5. num. 1. & Exerc. 8. & 11.

598 Aſſerit *g* alius, accurrere vnū corpus ad aliud ex naturali inclinatione, non vt bono vniuerſi prouideat, excluſo vacuo, ſed vt alteri corpori benè ſit, quod, niſi aliud accurreret, plus iuſto rarefieret; ſic alias, vbi periculū eſt nimis arctæ denſationis. Minus hæc mihi ſententia placet, quàm præcedens, & vanus fingitur nimiæ raritatis, vel denſitatis timor. Adde quòd ipſo hoc accurſu corpora, prout opus eſt, mirum in modum rara fiunt, aut denſa.

g Card. lib. 1. de Subtil.

599 Certum igitur eſt melioribus auctoribus, hunc motum non eſſe naturalem à principio intrinſeco, ſed trahi corpus à corpore propter naturalem adhæreſcentiam, congruitatemq;, quam habent hoc ipſo, quòd à Deo, rerum omnium ſapientiſſimo effectore, factæ ſunt aptiſſimæ partes, ad vniuerſum integrandum, implendumq;.

600 Sunt qui in corpore aliud attrahente agnoſcant virtutem quandam, illius non abſimilē, qua magnes ferrum trahit, ſuccinū paleas. Libenter equidē aſſentirer, ſi hanc attrahendi virtutē ità in his corporibus perpetuā, conſtantēq; eſſe animaduerterē, ſicut in magnete, vel ſuccino; ſed cū ſolū operetur, cū corpus corpori ità adhęret, vt aliud interuenire nō poſſit, ſatis hic mihi eſt ipſa adhęreſcentia, & congruitas, nulla alia diſtincta virtute ſuperaddita.

601 Va-

601 Vacuum,quod nulla ratione admittit natura,diuina virtute dari potest. Sed quid si detur ? an vllus in eo motus? Incido hic in quęstionē nobilē inter antiquos,& a Aristotelem agitatam;contendebant illi,vacuum dandum esse, vt corpora moueri queant;contrà verò is instat, si vacuum detur,nullum futurum in eo motum.

a Lib. 4. phys. à t. 65.

602 Aristotelis doctrina rectè procedit ex principijs, quæ ipsi antiqui vltrò dabant. Primum est: Cum quid localiter mouetur, successionis causam esse; tum ex parte medij,si densum,si rarum sit;tum ex parte mobilis, si huius, vel alterius figuræ,si tantæ,vel maioris virtutis motiuæ. Alterum est, vacuum nullam habere proportionem cum pleno.

603 His positis,rectè ad hominem infert Aristoteles,si vllus futurus sit localis motus in vacuo, futurum in instanti, quod est dicere, nullum futurū; Nec verò est,cur ab Aristotele deficiat b Philoponus,vbi arbitratur, eius rationes nihil concludere;nam concludūt,quantùm res postulat,ex datis,vt rectiùs D. c Thom. & alij plures adnotarunt.

b Digres. post Sum. 2. lib. 4. phys.
c ibid.

604 Quod si successionis ratio spectetur ex eo, quòd minor quantitas congruere maiori non potest,sæpiùsq; successiuè replicanda est,vt eam adæquatè mensuret; nihil hinc repugnat, esse in vacuo motum localem, eumq; successiuum. Nam quamuis non sit in vacuo, nisi mobile,hoc minus est, quàm quod vnico instanti attingere valeat duo latera vacui.

605 Sed,vt rem disertè exponam,sentio,si daretur vacuum,nullum in eo futurum naturalem motum elementorum,aut mixtorum,quæ à prædominante localiter mouentur. Non timeo, ne hic motus fiat in instanti;nam quāuis nulla sit successionis ratio ex medio, satis illa est, quæ desumitur ex mobilis quantitate minori,quam sit vacui capacitas. Sed & aliud est, quod me mouet: nimirùm postulant hæc corpora in suo naturali motu determinatū medium,quod in vacuo non habent.

606 Excepto motu locali veri mihi simile est,aliquam aliam horum elementorum naturalem actionem esse posse in vacuo, quantùm spectat ad actionē ipsam v.g. calefactionem,vstionem,si applicentur actiua passiuis. Veretur hic d aliquis,ne sine cœli concursu hæc actio fiat;sed nihil est,quod vereatur; satis.n.est in igne virtutis ad calefaciēdū,cōburrendūue, etiā sine cęli cōcursu.

d Perer. lib. 11. de Princ. cap. 12.

607 Si de operationibus animatorum agamus, fac nihil desit ex præuijs ad nutritionem, augumentationem, motum localem &c. vacuum nihil obstabit,quominus animati natura his muneribus defungatur. Miraculum in eo erit,quod tale animal in vacuo viuat, in tanta medij indigentia,quantam habet,ad vitam conseruandam; Sed quòd in vita conseruatum aliquid operetur,miraculum nullum erit.

608 Deniq; si vacuum detur,nihil repugnat,esse in eodem motum violentū localem,impulsum,tractionem,& qui sunt similes, eritq; motus successiuus, non instantaneus.Homo,si intrà vacuum ponatur,quorsum voluerit naturaliter ambulabit,sursum,deorsum,sinistrorum,dextrorsum,corpore nihil pręgrauante.

TEMPVS, AETERnitas, Aeuum.

CAP. IX.

609

CVM nihil temporis vnquam sit de præsenti; tempus tamen esse, certissimum mihi est, & esse aliquid reale; Etenim illud ipsum, quod est præsens, vnicum videlicet temporis instans, præteritas, & futuras temporis partes nectens, vnam facit, veramq;, temporis successionem.

610 Qui dicatur ab *a* Aristotele unicum instans, seù punctum in tempore, non una omnes ratione interpretantur. Nihil hic ego lectorem moror. Habet se instans in tempore, sicut punctum in linea: Sic plura assignabilia sunt, non solùm vnicum. Sed quia perpetuò tempus fluit, habet se in eo instans, vt mobile in motu: Sic vnicum instans intelligimus, quod eodem, quo tempus, impetu rapiatur, semper idem.

a Lib. 4. phys. t. 104. et 121. & seq.

611 *b* Antiqua est opinio, quam reuehere in recentiorum Philosophorum classes cõatus est peracutus *c* Philosophus, tempus esse octauam cœli sphærã; vel certè eius motum (octaua cum dicitur, ne facias vim in numero, ea.n. dicitur, quæ omnium extrema visa est antiquis). Satis hæc sententia improbatur, quia non probatur Aristoteli.

b Apud Arist. 4. phys. t. 93. & 94.

c Gregor. in 2. d. 2. q. 1. a. 1.

612 Est.n. tempus numerus motus, secundùm prius, & posterius. Ità *d* Aristoteles, & verò sapienter per hanc descriptionem, vel ipsius temporis naturam expressit, vel in quo tempus ab ęternitate, ab æuo distinguatur, indicauit. Addam mox de his quid sentiam, hic ratio temporis habetur in primis.

d lib. 4. phys. t. 101.

613 Cum quid successiuè mouetur, præter ipsum motum, habemus eiusdẽ durationẽ, quæ non ipse motus est, sed motui adiũcta, modò diuturnior modò breuior. Hęc verò duratio tẽpus est, intrinseca cuiusq; motus mẽsura, per

quam

quam ad alterius similis mensuræ extrinsecam applicationem noscitur quantus motus fuerit.

614 Illud verò tempus, quod Aristoteles descripsit, non cuiuslibet motus duratio est; Etenim tempus *a* dicitur, quod vbiq; & apud omnes est, vnum omnibus, cõis oĩum mẽsura. Ad hoc respexisse crediderim *b* Epicurũ, & Demetrium quendam Laconem, dum dixerunt, tempus esse accidens accidentium, consequens dies, noctesq;, ideſt nocturnum, diurnumq; motum.

615 Est ergo tẽpus duratio motus primi mobilis, seù potius solis ab oriente in occidentẽ, & rursus, expleto circulo per alterũ hemisphęrium, ab occidente in orientẽ. Etenim hic motus maximè regularis, & vnus est, idẽ notissimus, & cõissimus, huiusq; duratio in viginti quatuor partes æqualiter diuisa horæ sunt, quibus ad alias successiuas durationes dimetiendas vtimur.

616 Hoc verò est, quod *c* Plato dixit tẽpus eẽ motũ astrorũ, nõ quà mouentur solũ, sed quà in motu successiuo durant. Quin etiã hanc ipsam ob causam sacræ *d* literæ docent, data esse eadẽ astra in signa temporũ, annorum, mensium. Diei certè, noctisq; tã aperta indicia sunt, vt vix quicquã aliud notius.

617 Hinc habes, cur hæc duratio dicatur mensura motus. sed id, quod additur (secundum prius, & posterius) parum probatur *e* Galeno. Veretur, ne tẽpus per tempus describatur; nam id, quod in hac mensura est prius, & posterius, ipsum est tẽpus. Nihil est, quod vereatur, spon sore Themistio, describitur.n. natura temporis, qua per sui durationem, & partes priores, ac posteriores, aptum est alterius successiui motus durationem mensurare.

618 Si quæras, an vbi tempus dicitur numerus, seu, quod idem est, mẽsura, actiua hæc intelligi debeat, an passiua, respondet Aristoteles his verbis. *f* Tẽpus est, quod numeratur, & non quo numeramus. Suspicatur Aspasius, mendosum esse codicẽ, illaq; ab alijs adiecta (& nõ quo numeramus) sed cõtrà; Nam idem, ijsdem ferè verbis repetit *g* Aristoteles, vt constanter asserat, tempus esse mensuram passiuam, non actiuam.

619 Ex alia parte, quia motus primi mobilis is est, qui sua duratione metitur inferiores motus, contendunt *h* alij, tempus esse mensuram actiuã, quicquid tandem dixerit Aristoteles. Ego dissidium facile cõponi arbitror, esse videlicet tempus mensurã passiuã, quatenus prius ipsum mẽsurari debet, vt sic habeat mensuræ rationem; esse idem actiuam, dum eo alia mensuramus.

620 Sed, quia actualis vsus huius mensurę ad alia mensuranda non facit eã esse mensuram, sed ponit factam, hinc rectè Aristoteles vult, tempus esse mensuram passiuam, non actiuam; sed quod actiua non omnimodè excludatur, illa palam faciunt: *i* Motum tempore metimur, & motu tempus.

621 Quæ non habent esse successiuũ, sed permanens, non mensurantur tẽpore, nisi per accidens ex quadam imaginaria successione, quam in rerum, etiam permanentiũ, duratione intelligimus. Hinc est, vt perperam aliqui, vbi tempus dicitur numerus motus, addant, & quietis, Etenim quies nihil dicit successiuum, sed consistentiam mobilis in eodem loco, vel forma.

622 Eadẽ hęc ipsa, quę successiua sunt, sunt quæ propriè dñr ab *k* Aristotele esse in tẽpore: Necesse est omnia quę in tẽpore sunt &c. & dicere cõsue-

a Lib. 4. phys. t. 95. & 132.
b Apud Sex. Empir.
c Apud Plotinum Enneade 3. lib. 7.
d Gen. 1.
e Apud Themistium 4. phys. t. 102.
f Lib. 4. phys. t. 102.
g Eodem lib. 4. t. 120.
h Auer. Burl. Paul. Ven. Albert.
i Eodem lib. 4. t. 112.
k Eodem li. 4. t. 117.

uimus, quod tabefacit tempus, & senescunt omnia tempore.

a eod. lib. 4. t. 131. & 97.

623 Tempus est verum ens reale, sed, & sine anima (inquit *a* Aristoteles) non est, Inde est (inquit idem, vt cum nihil mutamur secundum intelligentiam, aut latet nos mutari, non videatur nobis fuisse tempus sicut neque ijs, qui in Sardo fabulosè dicuntur dormire apud Heroas, cum fuerint experrecti; copulant enim primum nunc posteriori nunc, & faciunt vnum, remouentes propter insensibilitatem medium.

b Scoto cũ suis. c Opusc. 44. c. 2. & in 2. d. 12. a. 5.

624 Difficile *b* aliquibus visum est, tempus non esse, vbi nos illud esse, non animaduertimus, sed rectè doctrinam hanc *c* D. Thom. assecutus interpretatusque est, tempus, quod est, verè, & realiter in sua specie quantitatis, non esse sine anima, prout habet formalem rationem mensuræ: etenim necesse est, ipsum cognoscatur, ad hoc, vt ex ipso aliæ durationes.

625 Non solum, quæ successiua sunt, in sua successione durant, sed & illa, quæ permanent. Durat, qui semper fuit, est, eritque æternus, & immortalis Deus; Durant, qui non semper fuerunt, sed sunt, semperque, erunt Angeli, incorruptibiles cœli, anima rationalis. Durant, quæ nec semper fuerunt, nec futura semper sunt; sunt tamen aliquandiu, idest substantię corruptibiles permanentes, quandiù sunt suis accidentibus item permanentibus præditæ.

d Lib. 5. de Cõsol. Pros. 6.

626 Immensæ durationis diuinæ mensura, quæ à mensurato non distinguitur, est æternitas, quæ rectè à *d* Boetio dicitur interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio. Quid si aliqua creatura sit ab æterno, æternumque duratura sit, erit ne pariter huius mensura æternitas? Respondeo negatiuè, nec enim est pariter perfecta possessio, nec vita interminabilis erit, quamuis interminata.

627 Hoc est quod quidam Theologi notarunt, non idem esse æternum, ac sempiternum, Aeternitas Dei est propria, eiusdemque ita essentialis, vt Deus nõ sit, nisi æternus sit. sempiternitas dici vtcunq; potest participata duratio; si ea tamen vlla ratione competit creaturæ; qua de re *e* infra.

e Hoc eod. lib. 2. cap. 12. f Lib. 1. de cęlo. t. 100. g Lib. 12. met. t. 39.

628 Angelicæ durationis mensura, & cuiusuis alterius substantiæ, non æternæ, expertis tamen corruptionis, æuum dicitur, ipso *f* Aristotele approbante, vbi ait, diuinè hoc nomen enunciatum fuisse ab antiquis. Non me fugit, aliquando *g* hunc pro æternitate ęuum vsurpare; sed certa est nihilominus ęternitatis, æuiq; distinctio. Est. n. illa primę intelligentiæ propria, hoc secundarum, esto, has Aristoteles opinatus malè fuerit, ab æterno esse.

h Lib. 1. de cælo t. 100.

629 Describit *h* Aristoteles hoc æuum, vbi ait, esse finem, qui continet tempus vitæ vniuscuiusq;, cuius nihil est extra secũdũ naturã; id est esse terminũ, ac periodum, quæ continet eam rerum durationem in esse, quæ ex natura sua est tota simul. Apta est descriptio, vt rerum permanentium duratio á duratione successiuarum dignoscatur.

i In 1. d. 8. q. 2 a. 2. & in 2. d. 2. q. 1. a. 1.

630 Sed, si illa, quæ semper permanebunt distinguere voluerimus ab ijs, quæ non semper; pręstabit audire *i* D. Thomam, vbi dicit, æuũ esse participatam quandam æternitatem, interminatam, videlicet non vtrinque, sed ex vnica parte; Vel si etiam vtrinque esset, interminata dicitur, non

autem

autem interminabilis, ſicut vera æternitas. Hæc verò eſt æuiternitas Angelorum, & ſimilium ſubſtantiarum incorruptibilium.

631 De ſubſtantijs, quæ permanent, ſed non ſemper, ſunt, *a* qui arbitrentur, eas durare per modum quendam ſucceſſiuè fluentem, ijs intrinſecum, per quem videlicet formaliter durent. Ego hunc modum non agnoſco: conſeruet Deus, vt prima cauſa, rei, quæ permanere dicitur, exiſtentiam, durabit illa formaliter, ſine alio modo ſuperaddito.

a Aliqui e Scotiſtis in 2. d. 2.

632 Differt autem hæc duratio permanentium corruptibilium à duratione permanentium incorruptibilium, vt imperfectum quoddam æuum à perfectiore, diciq; poteſt eſſe terminatæ vtrinq; diuturnitatis tota ſimul participata poſſeſſio. Poſt hæc ad motum præcipuam corporis naturalis affectionem redeundum eſt, etenim explicata eſt eius ratio generica, ſed nondum ſpecies.



MOTVS DIVISIO,

Oppoſitio, Termini.

CAP. X.

633 PRIMA motus, genericè accepti, diuiſio eſt in motum propriè dictum, & eum, qui dicitur, ſpeciali nomine, mutatio. Hæc eſt ad ſubſtantiam, ille ad accidens, qui ſecunda quadam diuiſione ſubdiuiditur, nam vel ad quãtitatem eſt, vel ad qualitatem, vel ad vbi.

634 Quatuor igitur in vniuerſum dicendæ ſunt ſpecies; mutatio, quę Generatio dicitur; motus ad quantitatem, qui dicitur Augumẽtatio; motus ad qualitatem, qui dicitur Alteratio; motus ad vbi, qui Latio dicitur, ſeù motus localis.

635 Si cum mutatione, quæ eſt ſubſtantiæ generatio, coniungatur corruptio, quæ illi ex aduerſò reſpõdet, eſtq; ad non eſſe ſubſtantiæ, habemus duas illas *b* Ariſtotelis deſcriptiones, alterã generationis propriã, quæ eſt mutatio

b Lib. 5. phyſ. t. 7.

alterã propriã corruptionis, quæ eſt mutatio ex ſubiecto in non ſubiectum.

636 Vtranuis harum duarum mutationum eſſe poſſe ex natura ſua ſucceſſiuam, opinati ijdem ſunt, *a* qui aliquã ſubſtãtiã poſſe ſuſcipere magis, & minus, crediderunt. Sed ex falſo principio falſam accepere conſequentiã. Dixerunt rectius, eſſe ex natura ſua vtranq; inſtantaneam, quamuis ſucceſſionem habere poſſent, vel ratione ſubiecti, vel ratione alterationis præuiæ.

a Auer. 3. cæli Scotus 8. meta. q. 8.

637 Alij motus, qui ſunt ad accidens, vnã cõi deſcriptione cõtinẽtur, eorũdẽ propria, quatenus à mutatione diſtinguũtur, eaq; eſt: *b* Trãſitus ex ſubiecto in ſubiectũ. Subiectũ intellige cõpletã ſubſtantiã, quæ eadem in termino à quo, & in termino ad quẽ, immutata rõne ſui, mutatur ſecundũ accidentia.

b Ex. lib. 5. phyſ. t. 7. 6. c Ex interpretatione ſimplicij, Philop. & aliorum.

638 Neq; verò hi motus, quatenus à mutatione cõtradiſtinguuntur, ſunt oẽs ex natura ſua ſucceſſiui, ſicut mutatio ex natura ſua inſtãtanea eſt. Sic res hẽt in pluribus; nihil tamẽ repugnat, dari alterationẽ ex natura ſua inſtantaneã, qualis eſt illuminatio. Habet verò etiam hæc ſucceſſiuã quandam extenſionẽ dũ mundi oculus ſol ſucceſſiuo motu hoc vniuerſum luſtrat, illuſtratq;.

639 Ex quadrimembri partitione, quę fieri potuiſſet vniuerſi tranſitus, videlicet ex ſubiecto in ſubiectum, ex non ſubiecto in ſubiectum, ex ſubiecto in non ſubiectum, ex non ſubiecto in non ſubiectũ, meritò *c* Ariſtoteles reijcit hanc vltimam, quia omnis tranſitus, vel eſt inter contraria qualis eſt motus, vel inter contradictoria, qualis eſt mutatio.

c Lib. 5. phyſ. t. 7.

640 Ne hic mihi vim facito in verbis, illa obtrudendo. ſ. omnem tranſitum eſſe inter oppoſita priuatiuè: ad quantitatem eſſe motum, quæ tamen cõtrarium non habet, & alia ſimilia. Habeto, quid in illis deſcriptionibus intelligas ſubiecti nomine; & tunc qua ratione ſola mutatio ſit inter contradictoria; ſolus motus inter contraria, ſi ſapis, habes.

641 Vbi ex conuerſis contradictorijs terminis corruptio à generatioue diſtinguitur, ſatis eſt Ariſtoteli, eſſe alterius conceptum diſtinctũ ab altera, ſic, inquit, cũ quis ſit ex ægro ſanus, mox ex ſano æger, idẽ, & vnus eſt, eſſe tamẽ non idem eſt ipſis. Ne ergò in corruptione poſitiuam rationem requiras, quæ ad non eſſe rei procedens, habeat realem tranſitus rationem. ſatis, ſi res, quæ fuerat, amplius non ſit, pro conceptu corruptionis.

642 Vbi inter terminos cõtrarios triplex dicitur motus, ad quantitatẽ, qualitatem, vbi; adæquatã accipe partitionem; nec. n. ad relationem, & alios prędicamentales modos eſt propriè dictus motus, quamuis tranſitus quidã non ineptè concipiatur. Et is eſt *d* Ariſtotelis intellectus, vbi probat, ad relationem non eſſe motum.

d Lib. 5. phyſ. t. 10.

643 Ex eodem termino ad quem, vndè motus à mutatione diſtinguitur, fit ſpecifica vtriuſq; determinatio in infima ſpecie. Generationes igitur plures eſſe ſpecie poſſunt, pro ſpecifica diſtinctione ſubſtantiarum, quæ generãtur. Sic ex ſuis terminis, ad quos ſunt, ſpeciẽ habere intelliguntur corruptiones; ex differentijs quantitatum, locorumq;, augumentationes, ac lationes, ex differentijs qualitatum alterationes.

644 Nec mihi probatur ſententia *e* Alberti de Saxonia, qui ad motus ſpeciem præter terminum, ad quem, requirit etiã termini à quo, & medij conſiderationem.

e Lib. 5. phyſ. q. 9.

derationem. Nihil, quantùm ego cenſeo, hęc faciunt ad hanc rem, & vndecunq; ſit v.g. alteratio, & in quocumq; ſubiecto, ſi ad calorem ſit, eadem ſemper erit ſpecie calefactio. Caue hic, ne tibi hi termini videantur aliquandò ijdem, cum verè non ſint, vt cum ad eundem locum, ad quem naturaliter ignis fertur, agitur violenter lapis.

645 Ad vnum, eundemq; numero motum, tria exigit *a* Ariſtoteles. Ego cũ optimo magiſtro totidem, Quod, in Quo, Quando. Quod, eſt ſubiectum, ipſumq; mobile. In Quo, eſt terminus ad quem, in quo nimirum à motu quies eſt. Quando, dicit tempus, vnum videlicet, nec vlla intercepta quiete interruptum. Hæc tria vnà cum fuerint, vnus eſt motus.

a Lib. 5. phyſ. a t. 34.

646 Sunt *b* qui requirant ad hanc ipſam vnitatem numericam motus vnitatem motoris. Et ſanè non longè ab hac ſententia diſtare videtur ipſe *c* Ariſtoteles; Inſpice tamen attentius, nec.n. vbi Ariſtoteles vnitatem motoris requirit, ad motus vnitatem eam exigit, ſed ad æternitatem. Et hoc eſt, quod idem *d* alicubi habet, ſolum circularem motum eſſe continuum, ideſt æternum.

b Auer. lib. 8. phyſ. Burl. Aegyd. Vico.
c Lib. 8. phyſ. a t. 82.
d Lib. 8. phyſ. t. 73. & 74.

647 Cum ad vnum motum, vnum pariter mobile neceſſarium eſſe dicitur, vnitatem accipe in quantitate, ratione cuius, vel non ſine qua motus quilibet phyſicus eſt. Ergò, ſi dum mobile mouetur. v.g. localiter, tranſmutetur ſubſtantialiter, ſtante quantitate eadem, vnum ſtare mobile dicitur, & ſi nihil prætereà deſit, vnus erit localis motus.

648 Cum item ad vnum motũ neceſſarius dicitur vnus terminus ad quẽ, vnum numero intellige. Sed ſicut in permanentibus, quæ ſpecie diſtinguuntur, ratione vnius quantitatis faciunt vnum numero, ità in ſucceſſiuis, motus, qui ex immediatis terminis ſpecie diſtinguuntur ratione vnius non interruptæ durationis continuari poſſunt in vno numero motu, cuius vnitas ex vltimo termino ad quem denominatur.

649 Ex his habes, ad eandem numericam motuum vnitatem, multò ſtrictiùs requiri vnitatem temporis, quam aliorum duorum; Minima enim temporis per quietem interpoſitio faciet, non eſſe vnum numero motum. Vſu quidem receptum eſt, vt exiguam interpoſitionem, quaſi nullam cenſeamus; ſed non cenſet *e* Ariſtoteles nullam, vbi motui primæ, & vltimæ chordæ in chely, pauciſſimam aliquam rei intermiſſionem dat, non autem temporis.

e Lib. 5. phyſ. t. 23.

650 *f* Quæſitum eſt in eadem vnitate motus explicanda, an, cum quid graue in altum proijcitur, vt indè per eandem quaſi lineam naturaliter redeat, detur quies in puncto reflexionis, vel aſcenſus cum deſcenſu omnino continuus ſit, nulla interpoſita in ſummo quiete. Mea ſententia eſt in caſu propoſito, quietem nullam eſſe.

f Circa t. 62. lib. 8. phyſ.

651 Sed ſi vniuerſalius tractetur quæſtio in omnibus alijs motibus, ſiuè vterque naturalis ſit, ſiuè alter naturalis, alter violentus, ſiuè vterque violentus; credibile eſt, non raro intercipi inter duos motus quietem, vel dum quodammodo dubium eſt, vtra virtus actiua alteri præualeat, vel dum hanc ipſam quietem poſtulat naturalis ſtatus mobilis.

652 Quod spectat ad oppositionē, opposita hic dico, quæ vnà simul stare nō possunt in eodem subiecto,& hac ratione non solū quies motui opponitur,sed motus motui,quies quieti. Oppositionis huius origo, quam optima methodo inuestigauit *a* Aristoteles, est à termino ad quem;da ergò hos terminos contrarios,contrarij motus inter se erunt.

a Lib.5.Phys. à t.4.6

653 Oppositio item est, quandò terminus à quo vnius est idem,ac terminus ad quem alterius,qua ratione opponitur augumētationi diminutio, generationi corruptio, & quælibet alteratio positiua suæ qualitatis destructioni.

654 Oppositio inter motus locales pari modo spectanda est ex incompossibilitate terminorum,ad quos ij sunt;sed cum sint motus locales ad vbi, nō est propriè cōtrarietas inter illos, sicut nec ipsa Vbi propriè contraria inter se sunt,vel ipsa loca.

655 Motus tamē circularis auctore *b* Aristotele speciali quadā ratione minus habet contrarium,quam rectus;recto.n.rectus opponitur, cum est in cō trariam partem,circulari autem,nec rectus, quia non est cum illo comparabilis,nec circularis opponitur,quia ad eundem est terminum.

b Lib. 1 .de Cælo: t.20.

656 Pro minori tamen repugnantia, quam habent horum motuum localium termini, ad quos sunt, quam habeant termini alterationis, nihil repugnat aliquid duplici motu moueri,vno naturali,altero violento,vel sursum in descensu,aut è contrà, vel circulis in diuersa euntibus.

657 Quies deniq; quieti opponitur,si vtraq; sit in termino à quo motuum contrariorū;sic quies in calore, á qua incipit frigefactio contraria est quieti sub frigore,à qua incipit calefactio:& verò si quies motui opponitur,cōtrariorum contraria etiam inter se contraria erunt.

658 Deniq; quod spectat ad terminos,standum est vocabulis, quæ *c* Philosophi,in hac quæstione tractanda,passim vsurpant. Primus sit, Primum esse rei,in quo scilicet res est,& immediatè anteà non erat; secundus sit, Vltimū esse rei,in quo res est,& immediatè post non erit;tertius sit,Primum nō esse rei,in quo res non est,sed immediatè anteà erat; quartus sit,Vltimū non esse rei,in quo res non est,sed immediatè post erit.

c In li.6.Phys. à t.40.

659 Quatuor hi sunt,ijdemq; satis;duo inceptionis, qui sunt, primum esse rei,& vltimum non esse rei;totidem desitionis,qui sunt, vltimum esse rei, & primum non esse rei.Duo intrinseci dicuntur,quia in ijs res est, & hi sunt,primum esse,& vltimum esse;duo extrinseci,quia in ijs res non est,& hi sunt, vltimum non esse rei,& primum non esse rei.

660 Postulat hanc terminorum intrinsecorum, vel extrinsecorum distinctionem ipsa rerum varietas,quæ enim successiua sunt,hoc ipso,quod quanta sunt,primam sui partem nullam habent, cum quicquid eius est, diuisibile sit. Item nec habent vltimam, vndè est, vt extrinseca indiuisibilia adnotentur; partes enim diuisibiles, auctore *d* Aristotele, ipsæ terminis aliundè egent,non ipsæ alia terminant.

d Lib.6.Phys. t.46.

661 Hi ipsi termini indiuidui, quos aliqui appellant mutata esse haud scio quam aptè,cum non solum sequantur motum,sed antecedant etiam, habēt

veram

veram,& realem entitatem, ipſius videlicet diuiſibilis extenſionis indiuiſibiliter aſſignatæ; qua ratione de punctis *a* ſuprà dixi, & aliis ſimilibus terminis quantitatis, eſſe de ipſa entitate quantitatis.

a hoc eodem lib. cap. 7.

662 Motus ſucceſſiuus incipit, ac deſinit extrinſecè; inceptio eſt per vltimũ ſui non eſſe, poſt quod immediatè eſt; deſitio verò per primum ſui non eſſe, antè quod immediatè erat. Hoc verò eſt motum eſſe in tempore, cuius finis inſtantia ſunt, in quibus quia tempus non eſt, nec motus erit, ſi is in tempore eſt.

663 Parem cum motu extrinſecam denominationem habent illæ res permanentes, quę vel ratione ſuę extenſionis, vel ratione ſuæ intenſionis diuiduę ſunt; Nimirùm terminus aſſignandus eſt vtrinq; extrinſecus; nomina verò eadem ijſdem facilè accommodes, prout ſubſtant ſuæ productioni, vel corruptioni.

664 Formæ ſubſtantiales, prout per mutationem incipiũt, ac deſinunt eſſe in inſtanti, initium habent intrinſecè per primum ſui eſſe, finem extrinſecè per primum ſui non eſſe.

665 Ne ponas vtrunq; terminum intrinſecum, ne ſint ſimul duę totales formæ in vna materia, nec ponas vtrunq; extrinſecum, ne eadem omni prorſus forma careat; nec ponas initium extrinſecum, finem intrinſecum, quia hoc ratio præuiæ alterationis ſucceſſiuæ non patitur.

666 Momentanea quæ ſunt, ſolùmq; durant in inſtanti, qualis eſt ipſa mutatio, per idem incipiunt, ac deſinunt intrinſecè, ideſt per primum ſui eſſe, quod idem dici poteſt vltimum eſſe rei.

PRIMVS MOTOR.
CAP. XI.

667

a Lib.7. & 8. Phyſic.

EX motu motorem *a* Ariſtoteles inueſtigauit, eodemq; viã ſibi fecit ad Deum cognoſcendum, qui ſolus eſt primus, & immobilis motor. Principium, quo nixus Ariſtoteles tam altè ſe ſe erexit, illud eſt: *b* quicquid mouetur phyſicè, ab alio mouetur; intellige ab alio, ſuppoſito diſtincto, & ſic intellectum hoc principium probabili inductione notum eſt.

b Ex. lib. 7. Phyſ. t.1.

668 De his, quæ violenter agitantur, nemo non videt, vim ab extrinſeco inferri; alia ſunt, quæ principium ſui motus intrinſecum habent, & ab alio tamen mouentur; elementa videlicet à *c* generante, vel remouente prohibens; mixtorũ par eſt, atq; elemẽtorum ratio; *d* animata á corde, quod quaſi paruum eſt in animali animal; vel à ſimili parte, quæ cordi proportione reſpondeat.

c Ex Ariſt.lib. 8.Phyſ. t.32. d Ex Ariſt.lib. 8. Phyſ. t.27. & lib. 2. de Part. Anim. cap. 1.& lib. de Anim. motu cap. 8.

669 Hinc verò iter ad Cœlum eſt, etenim circumagitantur aſtra, ergò & à motore extrinſeco, diſtinctoq;. Nec verò in motoribus proceſſus eſſe in infinitum poteſt, quare ad vnum tandem primum, ſeu mauis vltimum, deueniamus, neceſſe eſt, qui cum alia moueat, ipſe ab alio non mouetur.

670 Quæſitum eſt inter Philoſophos, an alia ratione primus motor immobilis inueſtigari poſſit, quàm ex motu. Altercantur, vt ſolent, & inter ipſos Arabes præcipua contentio eſt, affirmante Algazele, & Auicenna, negante *e* Auerroe. Porrò ad motorem, quà motor eſt, cognoſcendum, viam peruiam ſolus motus facit, & hæc fuit Ariſtoteli ſatis in Phyſicis, vbi de motu, eiusque principijs diſputat ex profeſſo.

e Lib.8. Phyſ. Com.3.12. Meta. Com. 5. & Diſput. contra Algaz.

671 Si verò alius ſit quæſtionis ſenſus, an videlicet alio medio, quàm quod ex motu accipitur, poſſit nobis naturali lumine philoſophantibus Deus, vt prima rerum omnium cauſa, vt ſummum bonum, vt primum in genere entis, per-

tis,per-

tis,perfectiſſimumq; innoteſcere;ſtò ſententiæ D.Thomæ, *a* vbi ait, quinq; vijs demonſtrari poſſe,Deum eſſe;videlicet motu ; ratione cauſæ efficientis ; poſſibili;& neceſſario;gradibus,qui in rebus ſunt;rerum gubernatione.

a 1.p.q.2.a.3.

672 Aliud etiam ijdem Philoſophi in controuerſiam reuocarunt, an cum primus motor ex motu agnoſcitur,non ex quolibet agnoſcatur, ſed ex æterno;Ex æterno,& non ex alio,reſpondēt,qui in Ariſtotelis verba iurarūt, etiā cum errat.Sed hi,vel dicent,non fuiſſe vnquam motorem primum ab Ariſtotele demonſtratum,quia motus æternus non eſt, vel deteriùs cum Ariſtotele errabunt,ponendo æternum motum. Sentio,fuiſſe hunc motorem ex motu demonſtratum probabiliter, etiamſi non æternus ab Ariſtotele putaretur. Hæc verò ſatis dicta ſint de naturali corpore in vniuersùm, nunc ad ſpecies progredior.



MVNDI ORIGO, Interitus, Perfectio.
CAP. XII.



673 NATVRALIA corpora ſunt, quæ hanc rerum vniuerſitatem integrant,quam dicimus mundum. Porrò qua ratione totum prius eſt partibus,intētione videlicet, ac perfectione, primò hic á nobis mundus inſpiciendus eſt, vt mox abſoluta eiuſdem notitia, ex ſingularum partium inſpectione,percipiatur,cœlo videlicet,& elementis.

674 Primus fuiſſe traditur *b* Pythagoras, qui totum hoc vniuerſum á pulchritudine *c* pulchrum appellauit. Sapientiùs *d* Plato id non vni ſapienti,ſed vniuerſæ ſapiētum ſcholæ tribuit, & verò cum Græcis Latini conueniunt,quem enim illi pulchrum dixere,hi à concinnitate pariter, & elegantia,Mundum dicunt.

675 Et verò quid eſt(inquit *e* Plinius)in his rebus aſpectabilibus,mūdius, pulchrius,

b Ex Plut.

c κόσμον

d In Gorgia, vel Rhetorica.

e Lib. 2. Nat. hiſt. cap. 1.

pulchrius,ornatius? Hunc ornat circularis figura, quam Cœlum habet, & quam terra circà mundi centrum imitatur,accurrẽte ad eam perfectiùs corrotundandam aqua;quæ vnum cum terra globum efficit, alijsq; pariter elementis in orbem circumiacentibus,vt infrà *a* dicam.

a hoc eo. lib. 2. cap. 14.

676 Abeat igitur cum ſuis Democritus,& ſi quis alius hunc mundum ouũ appellauit à figura oblongiori. Epicurus item alias figuras induxiſſe videtur, ſed huic à ſectatorum impudentia magis, quàm à ſuo vitio multa imponuntur,deq; Epicurȩis illa Ennii meliùs dicuntur,quàm de Epicuro ipſo: Dum palato,quid ſit optimum,iudicat,quale ſit cœli palatium non vidit.

677 Mundum item ornat partium diſpoſitio,& diſcors, in tanta rerum varietate,concordia. Hæc illa eſt ornatiſſima Promethei vxor, de qua Plotinus. Hic ille eſt Pythagoricus concentus, etenim ſicut in muſicis aures ſuauiſſimè detinentur,cum voces canoræ fuſcis,lenes aſperis, acutæ graui bus, flexibiles duris aptè miſcentur, ità in mundo varietate rerum animus oblectatur,dum calida frigidis,humida ſiccis, grauia leuibus ordinatiſſimè componuntur.

678 Partes ſingulæ ſunt,quæ in ſe ipſis pulcherrimæ pulchrum efficiũt totum. Nullam hic à me nouam aſſertionem expectes, tute Iudex eſto veritatis,vbi terram,vbi maria,vbi mediam hanc naturam, quam dicimus aerẽ, vbi ex igne noſtrate puriorem illum, qui ſuprà aerem nunquam moriturus ardere dicitur,fueris contemplatus.Altiùs euola ad aſtra. Hæ mundi partes ſunt,ex his mundis mundiſſimus eſt.

679 Sed,an is aliquem habuit olim exortum? Hinc mihi cum ipſo Ariſtotele certamen eſſe incipit. Video cum quanto aduerſario, ſed eſt à me veritas quam ex ſacris litteris puram hauſi, & profiteor; hinc verò bonum omen, certa victoria. Nec diſcipuli dixeris parùm fidelis, hic à magiſtro defeciſſe, etenim *b* is ipſe præcepit, nunquam à veritate eſſe deficiendum. Vera eſt igitur *c* doctrina Catholicæ fidei,mundum fuiſſe à Deo creatum de nihilo,& ab illo creationis inſtanti incȩpiſſe motum, & communem eorum, quæ in tempore ſunt,menſuram, tempus.

b Lib. 1. Ethic. cap. 6.
c Gen. 1.

680 Nec verò hanc nos veritatem ſola cœlitùs data fides docet; Rem aliquam ex nullo præexiſtente ſubiecto poſſe fieri ab agente infinitȩ virtutis, ipſum naturalẽ lumen dictat, & credibile eſt, ipſam hanc veritatem fuiſſe aſſecutos non paucos ex priſca Philoſophia, quibus Diuinæ fidei lumen non illuxit,quamuis hanc aſſecutus Ariſtoteles non videtur.

681 Ergò principium illud phyſicum: Ex nihilo nihil fit,niſi facientis cauſȩ virtutem circumſcribas,verum non eſt; Infinita.n.agentis vis ad materiam non alligatur,ſed in ſe ipſo omnia cõtinens, a ſe ipſo dabit eſſe rebus, quod nulla præexiſtente materia,mundo dedit.

682 De mundi procreatione, & ſæpiùs, & conſtanter in eadem ſententia meminerunt Plato, *d* ſectatoresq;,& hanc eſſe platonicam ſententiam fatetur ipſe *e* Ariſtoteles. Teſtatur hic ipſe, maris generationem primam non paucos ex antiquis *f* philoſophis agnouiſſe.Mundi opificium, ſtructuramq; à ſummo artifice Deo ſæpiùs cantat Orpheus;frequenter de eadem meminit, ter

d In Timeo & alibi.
e Lib. 8. Phyſ. t. 10.
f Ex Ariſt. lib. 2. Met. ſum. 1.

ter maximus *a* Mercurius; ſed vereor, vt hi intellexerint creationem ex nihilo, qualem intellexiſſe videtur Plato, altercantibus hac ipſa de re Platonicis.

683 Quo anni tempore mundus ſit conditus, ideſt in quo primùm ſtatu fuerit,ex his,quos nunc habet in quatuor anni temporibus, quotus quiſque eſt,qui certò aſſerat? Placet pluribus, fuiſſe vernum tempus, *b* nec alios prima naſcentis origine mundi,illuxiſſe dies. Ver illud erat,inquiunt, ver magnus agebat Orbis. Aſſentiri videntur Aſtrologi,qui anni initium auſpicantur ab Ariete.

684 Placet non *c* nemini, fuiſſe mundum conditum, qualem videmus in æſtate,propterea Hæbreos anni exordium duxiſſe a Iunio, ab eodem duxiſſe Aegyptios. Sed parùm hæc firma, quæ de anni exordio afferuntur; Habet Iudæus *d* Ioſeph,antiquiſſimum Iudæis annum fuiſſe à Septembri; ſed etiam dato, quòd aliquandò fuerit à Iunio, an dicatur propterea mundus in hyeme conditus,quia nobis nunc initium à Ianuario? Illud eſt in circulo initium,quod eſſe volueris.

685 Placet compluribus, eum fuiſſe mundi ſtatum, quem habet autumnus,cum nec florum copia mundo deeſt ad ornatum, nec pomorum ad cōmodum. Et quidem cum credibile ſit, in ſtatu perfecto mundum fuiſſe à Deo perfectiſſimo artifice conditum, ſi libeat hic audire Pythagoram, qui ver pueritiæ,æſtatem adoleſcentiæ, autumnum virilitati,hyemem ſenectuti comparabat, libebit etiam dicere, mundum in ſua prima origine autumni ſpeciem retuliſſe.

686 Nihil hic mihi certum eſt; Ex duabus ſententijs altera, quæ de vere, altera,quæ de autumno ſi rationibus agatur,defendo,quam impugnas, aio, quod negas,non contradicendi ſtudio,ſed differendi.

687 Nec verò licet ex ſtatu terreſtris paradiſi argumentari, qualis in reliquo mundo fuerit, vel in quo ſigno ſol fuerit, etenim dicata illa innocentiæ ſtatio ſemper ęquis aſtris Deo iubente aſpiciebatur,vbi vbi fuerit,& quaquà verſum annus curreret.

688 Mundi ætatem ex ſacris litteris facilè ſubducas, vbi de anni menſura conſtiterit. Hæc verò non ſemper eadem fuiſse videtur; decem menſes in anno numerauit *e* Romulus, duos his adiecit Numa Pompilius;non menſium numerum,ſed dierum ad ſolis curſum compoſuit Cæſar; alij denique longiorem,alij breuiorem annum cum fecerint, non facile eſt conſtituere, cum quis annos vixiſſe legitur in hiſtorijs,quot ex noſtratibus annos egerit.

689 Fabuloſa ſunt, quæ de Aegyptijs *f* citantur, regnaſſe eorum Reges antè Ptolemæum Cleopatræ patrem per annorū millia ſeptuaginta, illudq; malè appictum in eorundē hiſtorijs,apud *g* hos pingēdi artem ſex annorum millibus floruiſſe.Hæc & ſimilia cōmēta eruditè redarguit *h* D.Auguſtinus. Placet ſubductio,ac ſupputatio Romanæ Eccleſiæ, ex qua ad hunc vſq; annum à Chriſti liberatoris aduentu milleſimum ſexcenteſimum decimum ter tium, numerantur ab Orbe condito annorum ſex millia octingenta duodecim.Hæc de mundi ortu,quid verò de interitu?

a In Pymand. cap. 11.

b Ex Virg. 2. Georg.

c Gerard. Mercat. initio ſuæ Cronologiæ.

d Li. 1. Antiq.

e Ex Ouid. 1. Faſt.

f Ex Diodor. Mela,& alijs.

g Ex Plin. lib. 35. cap. 13.

h Lib. 18. de Ciu. ca. 40. & lib. 12. ca. 10.

690 Deridet

a Lib. 2. Meteor. sum. 1.

690 Deridet *a* Aristoteles antiquos Philosophos, qui variadas olim naturæ conditiones arbitrabãtur, & nescio quẽ sibi mũdi finẽ præsagire visi sunt, deridet *b* alios, qui mundũ perpetuò nasci, & occidere, dixerũt (opinor) facilius, quã crediderint. Et verò si rõnibus agatur, meritò hos, illosq; reijcit; permanere hunc mundũ, nec nouos nasci, quis est ità nouus in mundo hospes, qui ignoret? interiturũ verò aliquãdo, vndè tandem illi Philosophi acceperunt?

b Lib. 1. de cœlo t. 60.

691 Ex rerũ deprauatione, ac diminutione virtutũ, perfectionũq; sibi cõplures persuadent vergere mundũ ad interitũ, nec desunt argumẽta à diminuta hoĩum ætate, quę nunc, vbi octogesimum annũ excesserit, instar habet miraculi, cũ tamen olim æui longissimi homines vixerint. Ego hoc argumentũ non tanti esse puto; negò illã virtutũ imminutionem ex temporis decursu fieri; nego eodem cursu fieri homines æui breuioris.

692 Vixere olim fateor hoĩes annos centum, ducentos, & plus es, itá Deo ea, quæ ad complexionis integritatem spectant, moderante, vt ex illis primis parentibus humanũ genus longè, lateq; progigneretur, vt multa eos longa annorum obseruatio doceret, quę mox apud posteros transmitterentur; posmodum verò in scelerum pœnam facta est ætas contractior, & in eo statu nunc perstat à prima mundi eluuione, à qua si sensim breuior fieret, vix vlla nunc esset.

693 Sentio igitur id, quod ab Aristotelis doctrina non abhorret, si ea stet semper temporũ moderatio, quæ tot iam seculis ducitur (quam tamen non semper futuram, recta nos fides docet) mũdum semper duraturum. Pugnarent ad inuicem elementa, perpetuaq; esset rerum vicissitudo, sed mundus ipse sibi semper constaret, sicut nunc constat, esto alternent elementa suas vices, debeamurq; morti nos, nostraque.

694 Rectius ergo de mundi interitu philosophantur, qui futuram rerũ immutationem, innouationemq; ex Diuina reuelatione cognouerunt. Nõ ego te hic audio, Aristoteles, nec ego me propterea ad Empedoclem, aut Ephesiũ Heraclitũ trãsfero, audio dicentẽ Deũ, ore *c* Principis Apostolorum; Adueniet dies domini, vt fur, in quo cęli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, soluentur.

Epist. 2. c. 3.

695 Sunt qui *d* arbitrentur, incertum Aristotelem de mundo, an esset æternus, non demonstratiuè agere pro parte affirmatiua, sed probabiliter, & ideò non esse errori tribuẽdum, vbi non demonstrat, cum non sit propositum demonstrare. fauet his id, quod alicubi *e* Aristoteles habet, problema de mũd æternitate dialecticum esse. Ego hanc tanti philosophi excusationem libenter admitterem, nisi & *f* graues auctores traderent, & doceret ipsa res, quæstionem hanc fuisse ex professò ab Aristotele tractatam, & quantum ipse censuit, physicè.

d Alb. lib. 8. Phys. tract. 1. cap. 4.

e Lib. 1. Top. cap. 9.

f D. Tho. lib. 12. Meta. lect. 5. Burl. 8. Phys. t. 15. & alij.

696 Nec verò vspiam censuit Aristoteles, tractationem hanc esse dialecticam, nam quod aliquando dicitur problema, idem est, ac quæstio; nec dialecticum dicitur, sed in dialecticis pro exemplo affertur, vt quæstiones, ad eligendum ab ijs, quæ sunt, ad cognoscendum, dignoscantur.

g Ex lib. 8. Phys. a t. 4.

697 Hæc verò sunt *g* Aristotelis fundamenta. Primum motum præcedit mobile,

mobile,cuius videl. actus,ẽ & motor,à quo eſt.vel ergo hęc,quæ pręcedere di cuntur,facta aliquando ſunt, vel æterna. ſi facta,per motum igitur; & motus ante motum fuit;ſi æterna, an verò ocioſa, & ſine motu? quiſq; , inquit Ariſtoteles,hoc per ſe ſcit. Falsò hic ponit Ariſtoteles, dari ſolum motum naturalem, qui eſt ex ſubiecto,cum detur creatio,quæ ex nullo ſubiecto eſt.Itẽ falſo,fuiſſe ocioſum Deum,ſi ab æterno cœlum non agitauerit.

698 Secundum eſt,ſi *a* motor, & mobile præfuere ad motum, fuit aliqua æternæ quietis cauſa,mox cum cępit eſſe motus,fuit & huius noua cauſa,motus igitur fuit antè motum, videlicet à cauſa quietis ad cauſam motus, ſiuè tandem hæc cauſa extrinſeca motori ſit, ſiue intrinſeca, ex noua cognitione, quæ illum mouerit ad mouendum. Peccatur hic etiam in præexiſtentia mobilis, nec bona eſt de diuinis actibus ratiocinatio.

a Ex eodẽ lib. 8. à t. 7.

699 Tertium eſt, *b* Motus non ſemper fuit;prius igitur quam eſſet non fuit, igitur aliquandò non fuit. at prius, & aliquandò ſunt differentiæ temporis, tunc igitur cum prius vel aliquandò motus non fuit, tempus fuit.Negandum hic eſt id,quod dicitur,priùs,vel,aliquando,notare differentias realis temporis; etenim notant illius imaginarij, quod in indiuiſibili æternitate concipimus,ex quo loquimur.

b Ex eod.lib.8. à t. 10. & lib. 12.meta.t.29.

700 *c* Quartum eſt,quieti motus proportione reſpondet, ſi verò motus aliquando incępit, finitus eſt, quem ſine debita proportione infinita quies anteceſſit. Sed contrà hoc eſt aperta inſtãtia,da enim infinitum fuiſſe motum, quies quando tandem dabitur infinita,quæ illi proportione reſpondeat?

c Ex eod.lib.8. à t.15.& ſeq.

701 Vlterius hac eadem in re *d* Ariſtoteles progreditur, .ſ. non ſolum confirmando ſua, ſed infirmando aliena. At inquit, qua ratione motus æternus eſſe poſſit, qui terminos ſibi poſcit præterà? reliqua, quę in mundo ſunt, nec mouentur ſemper,nec ſemper quieſcunt, ſed alternant cum quiete motum; cur non idem dicatur de cœlo. Ad primum ex his, ait Ariſtoteles,eam eſſe naturam circularis motus,vt ab eodem ad idem ſit.ad alterum negat paritatem.

d Eodẽ lib. 8. à t.16.& ſeq.

702 Ego his rationibus,quibus ipſe contrà ſe agit Ariſtoteles, nõ vtor, atq; ideò firmæ ne illę ſint,an ſecus, non facio tanti. Non fuiſſe æternum motum ſacrarum ſcripturarum,auctoritas mihi ſatis,ſuperq; probat, an eſſe potuerit *e* mox definiam. Complura verò alia ſunt aliorum philoſophorum argumenta,quibus illi mundi ęternitati ſuffragantur, ſed nihil obtinent.cum Ariſtotele libuit cominus agere, honoris ergo, quicquid alij muſſitent,non eſt penſi.

e Hoc eodem cap.

703 Certior erit explicatio quæſtionis,an mũdus,qui ab æterno nõ fuit,eſſe ſaltem potuerit,ſi de ratione creationis,& cõſeruationis prius cõſtiterit. *f* eſt ergo creatio productio totius ex nihilo,totius, inquit D. Thom. ſubſiſtentis, & verè,nã quamuis creari dicatur, quicquid fit ex non ſubiecto, tamen ſicut in phyſicis magis dicitur fieri compoſitum, quam forma; ità hic denominatio à creatione datur ipſi toti.

f Ex D.Tho.p. p.q.45.a 1.

704 Non facit hic ad rẽ meã,an ſoli Deo competat creare,& an hæc creãdi virtus communicari poſſit vlli creaturæ,cui ſit ea cõnaturalis.ſi tñ interrogas, reſpõdeo ex ſentẽtia D.Thomæ,cõpetere ſoli Deo,& creaturã ad creandum non poſſe concurrere,niſi vt eleuatam,& in genere cauſæ inſtrumentalis.

a In Timæo vel de mundi natura.

705 Nec verò audiendus est hac in re *a* Plato, vbi ait à primo Deo fuisse creatos minorum quasi gentium Deos, quibus cura demandata sit, alia inferiora, & imperfectiora creandi. Commentum hoc est; nisi fortasse velit, à prima intelligentia pendere omnia, vel in esse, vel in conseruari; administrari verò complura ministerio secundarum intelligentiarum, cœlorumq; vi, vndè est, vt hic *b* inferior orbis subiectus esse debeat superioribus lationibus.

b Ex Arist. li. 1. meteor. Sum. 1. cap. 2.

706 Hæc Dei propria actio, quæ dicitur creatio, cum quid per eam de nouo est, nihil noui dicit in creatore, passiuè autem spectata in ipsa re creata, dicit aliquid à re distinctũ, sicut *c* suprà de alijs actionibus trãseuntibus philosophatus sum, modum videl. rei in creari instantaneum, quia nihil est, quod Diuinam hanc actionem remoretur, seù successium etiam, si Deus velit, aliquam qualitatem successiuè producere ex non subiecto.

c Hoc eodem lib. cap. 5.

707 Huius eiusdem actionis terminus ad quem est is, qui speciem actioni tribuit, nec verò necesse est, eandem numero variare, vbi nec in termino ad quem varietas est, nec in agente tanta, quæ nouam postulet actionem. Ergo in re præsenti, quia omnia, quę sunt, non solùm à Deo, vt à prima causa sunt, sed ab eodem postulant conseruari, ne statim in nihilum relabantur, vbi Deus aliquid creat, idem etiam conseruat, vna, & intrinsecè inuariata actione, quæ & creatio dicitur, & conseruatio.

708 Creatio tamen dicitur vulgò, quà distinctum habet à conseruatione conceptum, vt est modus, quo res primò est; conseruatio verò, vt modus, quo res eadem in eodem esse perdurat, ac permanet. Da ergò aliquid, quod de nouo creetur à Deo; actionis vis est, in dando esse; idem ab eadem actione est; sed à creatione dicitur, ut primũ esse; à conseruatione, vt continuatum esse.

709 Cęterùm vna esse, intelligiq; potest actionis huius ratio ex termino ad quem, & quia, siuè is primò sit, siuè non primò, nihil immutat actionis naturam, abstrahet huius actionis ratio ab ea, quæ dicitur vulgò creationis ex primò esse, & quæ item vulgò conseruationis ex esse nõ primò. Nomen impone quod malueris; creatio est, sed non ad primum esse: conseruatio est, sed ad esse, cui non præcessit primum.

710 Errant igitur, quantum ego censeo, qui sentiunt, de ratione creationis esse, vt det rei esse post non esse, vel de ratione conseruationis, vt det rei esse, quæ aliquando primo fuerit, nec mihi hoc ex definitione creationis probabunt; altior enim est creationis ratio, & abstractior ad esse rei ex nihilo, quale quale illud sit; Atq; vbi ad primum esse sit, vel ad cõtinuatum esse post primum, accidentale solum discrimen ex denominatione extrinseca recipit.

711 Nouit hanc Aristoteles, quamuis censuerit, mundum fuisse ab æterno; Etenim *d* concedit Anaxagorę, vnum esse primum mouens, à quo omnia dependeant, non in noua productione, nisi secum ipse Aristoteles pugnet, in æterna igitur, & inde, auctore *e* Simplicio, huic eidem actioni dependentię nomen ab Aristotele inditum est. Hoc tu vtere, si vereris, nec in nomine creationis ęquiuocatio sit, etenim hoc eodem sępiùs vtitur *f* Aristoteles.

d Lib. 12. meta. t. 55.
e In li. 8. Physic.
f Lib. 12. met. t. 38. 2. Magn. mor. c. 18.

712 Nec verò, si hoc actionis genus concedatur, vereatur quispiam, ne ex

diuinis actionibus, hæc, quæ ad extra est, eiusdem naturæ videatur cum æternis ad intrà, quæ videlicet sunt ad esse, nunquam primum, diuinarum personarum. Discrimen est satis notum, nec Pater est diuinarum, personarum causa, sed principiũ, rerum verò extrà se propriũ principiũ est, & propria causa.

713 Iam quod spectat *a* ad rem propositam graues auctores sunt, ac nobiles, qui affirmant, nullam creatam rem potuisse esse ab æterno: datur vnicuiq; quod sentit, liberè eloqui, sed non placet, quod hi eandem sentẽtiam sanctissimis Patribus attribuunt, cõtra Arium, vt ea ferebant tẽpora, disputantibus.

a S. Bona. Alb. Magnus, & alij ex Theologis.

714 Sentio ego cum alijs *b* creaturam aliquam ex ijs, quæ permanẽtes dicuntur, secundum esse permanens, potuisse esse ab æterno per creationẽ, cõseruationi similem, quam nũquam pręcesserit non esse illius creaturę; habituram hanc æternitatem à parte, vt dicitur, antea, sed participatam, atq; ideò à diuina æternitate, toto genere diuersam, ęterno quidem tempore iuxtà nostram imaginarij temporis rationẽ, duraturam necessario, sed necessitate ex suppositione.

b D. Tho. cum suis.

715 Dixi, secundum esse permanens, quod si incorruptibile natura sua sit nullam volo habeat in suis operationibus successionem, si corruptioni obnoxium, volo item ne suæ naturę relinquatur; Etenim non mihi æquè certũ est, potuisse esse ab ęterno vllã creaturã, secũdũ esse successiuũ, quod ĩ se habeat.

716 Aristoteles, *c* qui motũ ęternum posuit, infinitam pariter eius successionem admisit, infinitum tamen negat. *d* Credibile est, aliquod ille discrimen vidisse in infinito, quod sit in actuali, ac permanente quantitate, ab illo, quod sit in successiua, ac præterita, mihi videtur vtriusq; ratio, pace dixerim tanti Philosophi.

c Lib. 8. phys.
d Lib. 3. phys.

717 Quid verò dicimus ad SS. Patres, qui Ario probant, ęternum Dei filiũ non esse creaturam, sed eiusdem naturę cum Patre Deum? Agunt cum Ario, insano homine, ad hominem, fassus ille primo est, solum Deum esse ab æterno, Dei verò filium fuisse creaturam, à Deo in tempore factũ, atq; ideò Deũ esse non posse. Probarunt huic SS. Patres, ęternum esse id, quod sacrę literæ de æterno Verbo palam habent; Annuit Arius, sed in primo errore persistens, primęq; concessionis oblitus, ausus est asserere, quicquid hoc tandem ęternum sit, Deum non esse. Hoc ergò Patres vrgent, cum de facto nihil sit ęternum, nisi Deus, cum sit Verbum Patri coęternũ, & Verbum vnum cum Patre Deum esse.

718 Nihil hic SS Patres contrà meam assertionem, & verò me plurimum in mea sententia confirmat, quod S. Tho. in Patrum lectione tam frequens, tam oculatus, tam pius eandem hanc sententiam amplexus sit, sequanturq; viri doctissimi de nobilissima familia Thomistarum, neque hi solum, sed alij *e* complures.

e Dur. Ocham. Gab. Gregor.

719 Cum Platonici plures posuisse mundos visi sunt, *f* archetypum, vltramundanum, intellectualem, cœlestem, infimum, non mundos mundis aggerant, sed nomina; Vnum ponunt qualem ego pono cum *g* Aristotele, & vniuersa Peripateticorum schola, huiusque nomine intellige integratum ex quatuor elementis, & Cœlo.

f ex Rhodig. li. 1. lect. antiq. cap. 39.
g Lib. 1. de cælo a t. 76.

720 Fini-

720 Finitum hunc, etiam cum ijsdem pono, certo videlicet ambitu comprehensum, vltrà quem nihil planè sit, nisi imaginarius campus. Aliter Stoici, & Epicurei, quibus ex Chrysippi *a* ratiocinatione difficile explicatu visum est, posito, quod finitus sit mundus, qui tandem fieret, si aliquid ad extremos eius fines pergeret, & vlterius eiacularetur, pergeret ne porrò iaculum, an non? Consule, quæ *b* supra à me dicta de vacuo sunt.

a Apud Lucretium lib. 2.

b Hoc eodem lib. c. 8.

721 Nec tamen desunt, qui finitos magnitudine mundos velint esse infinitos numero. Venerunt frequentes in hanc sententiam Democritus, Leucippus, & alij, mirum verò est, quam infirmis, quam nullis argumentis euocati. Potuisset, fateor, Deus plures creare eadem illa facilitate, qua de hoc dixit fiat, & factus est. sed plures esse hoc vno, disertè nego.

722 Non potest hæc mundi vnitas rationibus, ex solo lumine naturali desumptis, perfectè demonstrari; sit ità sane; sed adde, nec demonstrari posse multiplicitatem, multoq; minus infinitatem. Si verò ex sacris litteris res agatur, exq; sanctorum Patrum declarationibus, ità cuilibet pio explorata esse debet mundi vnitas, vt de multiplicitate ne ambigat quidem.

723 Aristotelis verò rationes, quibus ipsam hanc vnitatem *c* approbat, haud omnes firmissimæ sunt, laudandus est conatus in re tam remota ab experientijs, quam longè alius mundus ab nobis distaret, si extaret vspiam.

c Lib. 1. de cælo t. 77.

724 Mundum esse animatum, sensisse visi sunt Academici, & verò magnum animal, si animal sit, meritò dicatur. Diffident; nam alij volunt, vnam esse animam omnium mundi partium communem, alij vnicam in cœlo ponunt, alij in singulis stellis vnam; Errant tamen omnes, nam quæ sunt mundi partes, elementa, cœlum, stellæ, inanimatæ sunt omnes, singulæque.

725 Nec verò vlla alia est substantialis forma, quæ has ipsas partes in vnum compositum per se vniat, sunt contiguæ solum, non autem continuæ, sapientissimè à primo conditore ordinatæq; dispositæq;, ordine tamen accidentali, qualem necesse est esse inter discreta, & solo loco proxima.

726 Vnus hic mundus perfectus, absolutusq; dicendus est, si absolute loquamur. Quid verò si cōparatiuè? Possunt ne (inquies) alij hoc vno perfectiores, vel hic ipse se ipso perfectior effici? Placet *d* D. Thomæ responsum, neq; hunc, neq; huius species perfici posse, in his, quæ ad naturam spectant, quin destruantur. Etenim sunt rerum naturæ, *e* sicut numeri, si quid addideris, si quid detraxeris, eædem amplius non sunt.

d 1. p. q. 25.

e Ex Arist. lib. 8. Meta. t. 10.

727 Alterius verò speciei mūdos, quorum partes naturæ sint perfectiores, posse à Deo fieri, exploratissimū est; nō deest sapiētissimo architecto nouū inuentū, cuius imaginē, & primū exēplar in seipso gerit, de materia verò nō bene ratiocinatur *f* Arist. vbi ait, ab hoc mundo vniuersam fuisse occupatā, nec superesse pro alijs condendis. Qui esse potest mundi creator, idē & materiæ.

f Lib. 1. de cælo t. 93. & 94.

728 Potest autem hic ipse mundus, si non in natura, certè in his, quæ naturæ adiacent extrinsecus additis concinnior, & elegantior perfici; sic pariter fieri alij possunt eiusdem cum hoc speciei, sed meliores in ornatu meliori. An non tibi videantur ire posse dies candidiores, ex alia astrorum positione, & cursu? an nō terra fęcūdior, mare turbulentū minus? Ex his de alijs cōiectare.

729 Spe-

729 Specierum multiplicatio accidentalis quædam mundi perfectio eſt; fieri item poſſet amplior ſummorum generum numerus, vel ſubſtantiæ, vel accidentis, nec mihi quicquam aſſignabis, vndè conſtet; hoc à præpotenti Deo fieri non poſſe. Quid verò, ſi pars aliqua mundi perficeretur, alia in alio ſtatu relicta, in quo nunc eſt?

730 Placet D. *a* Thomæ ſententia, diſſonantiam quandam in ea, quæ nunc eſt, mũdana harmonia, timeri poſſe ex tali mutatione, quaſi ex vocibus, aliter in concentu dimenſis, quam præcinentes poſtulent. Addo tamen, ſtandum item eſſe ſapientiæ, qua huius muſicæ moderator Deus præditus eſt; nouit ipſe, qua ratione nouæ conſonantię antiquis aptè reſpondeat, & quod nouit, perficere ſanè poteſt, potentia immenſæ ſapientiæ pari.

a In 1. d. 44. q. 2. & p. 1. q. 25. ar. 6. ad 3.

731 Sed audio contrà hæc Platonicos obmurmurantes, mundum hunc aſpectabilem ad imitationem eius, qui ſub ſolam cadit intelligentiam, factum fuiſſe, eiuſq; vnam eſſe, æternam, incommutabilemq; rationem, ergò & huius. Ad hos ego hæc pauca, in illa vna æterna, incommutabiliq; ratione archetypi mundi, mundos contineri plures, nõ ex multiplici natura exemplaris, ſed eorum, quæ ex vno infinito exemplari, exprimi plura poſſunt.

COELVM, & Aſtra. CAP. XIII.

732 COELVM dicitur ſublimior huius mundi pars, quam aſtra perambulant; mundi illa quidem elementum dicitur, ſed ab his, quæ vulgò elementa vocantur, longè diuerſam naturam ſortita eſt, corruptionis videlicet expertem, nec pro mixtorum tranſmutabili materia ſtat, ſed pro materia vniuerſi illic, vbi non niſi ad vbi motus eſt.

733 Censuit Anaxagoras, igneam esse hanc mundi partem; Non longè abest sententia *a* Platonis, qui eandem ex purissimis elementis constare, arbitratus est, igne prædominium habente: Subtilissimum maluit aerem Diogenes, Aegyptij concretam aquam. Nihil me hæc dimouent à sententia *b* Aristotelis, qui sentit, quintam quādam esse naturam à quatuor vulgo dictis elementis distinctam.

734 Memini me *c* supra asserere, non esse inconsulto ab Astrologis pronūciandum, solidi ne sint cœlestes orbes, an fluentes, cum nouæ apparentiæ nouum quid indicare videantur. Hic aio, non esse maiorem hac in re licentiam dandam Physiologo, quam Astrologo. Ego antiqua, quia suspecta sunt, reticeo; noua, quia nouarū rerū amator, nec esse, nec haberi volo, non affero.

735 Substantia ne sit composita, an simplex, & an materia constet nostrate, quęstio est minus noua, quamuis pro sententiarum varietate in re, de qua remotissimas experientias habemus, adhuc incerta. Placet eorum placitum, qui *d* volunt, cœlum esse substantiam simplicem, nec eos quisquam facilè à sententia deijciat, siuè auctoritate Aristotelis agatur, siuè ratione.

736 Placet nihilo minus his alij, *e* qui volunt, esse substantiam, compositam ex materia, & forma, materiamq; esse à nostrate longè diuersam; nec verò his aut Aristoteles, aut ratio refragatur. Deniq; etiam placent, *f* qui in cœlo materiam ponunt eiusdem cum nostra naturę, sed ità actuatam à forma cœli propria, vt totum verè, ac propriè dicatur omnis corruptionis expers, eq; intrinisecis principijs, neq, hoc ipsum dici posse, vel ab Aristotele, vel à ratione alienum.

737 Quid ergo, tam diuersis, discrepantibusq; sententijs, vel ipsa veritas, quæ tamē vna est, vel ipse Aristoteles, qui sibi aliàs egregiè constat, suffragatur? Habeo ex *g* Aristotele, tenuem, ac modicam esse notitiam eorum, quæ tam altè natura reposuit, hinc est, vt in dubia veritate suus cuiq; sensus verus esse videatur, dum nihil est, quod adigat in contrarium. Et verò cautè Aristoteles ea hac in re effatus est, quæ quisq; in suū sensum facilè interpretetur.

738 Illa sunt, quæ huius corporis simplicitati maximè fauent. Vbi *h* materia est, ibi esse potentiam, & cur quid sit, vel non sit: *i* cœlum ingenerabile, & incorruptibile: *k* æterna carere potentia: *l* non esse in cœlo materiam, nisi ad vbi, & horum non pauca similia.

739 Sed & illa fauent alteri sententiæ, quæ tuetur in cœlo materiam, licet non eādem cum nostra: *m* Naturale esse, quod ex his est, videlicet ex materia, & forma: *n* porrò esse in cœlo naturam: *o* esse eandem substantiam, *p* quę sensatis accidentibus sub sensum cadat, quæ verò tales substantiæ sunt, materia item præditas esse, sed *q* non necessariò eadem, quam habent hæc corpora inferiora, viciniora q; sensibus.

740 Denique cum quis asserit, cœlestem materiam cū reliqua conuenire, *r* Scoto interprete, tātisper digreditur ab Aristotele, vt accedat ad veritatē; ait n. verè id dici, sed nō ex mēte Philosophi. Sed quid si ea materia à cęlesti forma actuata, naturā nō mutet q̄dē, vndè dici queat homogenea inferiori, mutet verò naturę cōditiones, & ex his, vel materiæ nomē amittat, vndè dicatur

non

a Ex Plot. Enn. 2. lib. 2. c. 7.
b Lib. 1. de Cælo à t. 8.
c Hoc eod. lib. 2. c. 1.
d Auerr. lib. de subst. orbis, & alibi sæpè cum grege suorum.
e D. Tho. 1. p. q. 66. ar. 2. 8. Phys. lect. 1. 1. de Cælo lect. 6. & alibi cū suis
f Aegyd. trac. de materia cæli. Scaliger Exerc. 61. & his antiquiores Nominales Ochā, Gab. & cōplures scriptores in sacrā Genesim.
g Lib. 1. de Part. c. 5.
h Li. 1. de Cælo t. 138.
i Lib. 1. de Cælo à t. 101.
k Lib. 9. meta. t. 17.
l Lib. 8. meta. t. 12. lib. 12. t. 10. & alibi.
m Lib. 2. Phys. t. 12.
n Lib. 1. de Cælo initio.
o Lib. 1. de Cęlo t. 92.
p Lib. 8. meta. t. 3.
q Lib. 14. meta. c. 3. lib. 8. t. 12. lib. 9. t. 17. & alibi.
r In 2. d. 14. q. 1.

non esse,vel munus,vndè dicatur non esse rationis eiusdem. Ego sic assero,& hanc sententiam dum tueor, sic Aristotelem interpretor.

741 Astra eiusdem esse naturę cum substantia cœli non sine ratione dixerit is, qui antiquam Cœlestium orbium partitionem retinere voluerit, quicquid tandem noua monstrent instrumenta videndi. Etenim facile est intelligere,astra, quæ in eodem sunt orbe sola densitate à suo orbe differre, ab his verò,quæ sunt in alio orbe,quia differunt motu,ac luce, differre essentialiter,sicut orbes inter se differunt.

742 Si tamen placeat altera pars,quam noua nouorum astrorum, ostenta nouiq;eorundem motus persuadent;vna est cęli natura,eademque homogenea in toto illo spatio,quod ab imo astrorum domicilio vsquead supremum est. per hanc fluentem,& liquidam astra feruntur,vnumquodque eo cursu,in quem intelligentia direxerit.

743 Et quia violentum esse hunc motum credibile non est, astra, quæ non eundem seruant motum, inter se specie differre, credibile est, itemque à cœli substantia,in qua nonnisi locum habent, sicut in mari pisces. Hæc assero ad experimentum veritatis, nihil enim hactenus mihi certum est, antiqua deserere,& quicquid nouum obijcitur,auidè arripere, cordati non est.

744 Positionum differentiæ in animatis agnoscũtur à Philosophis, sursum, deorsum, antrorsum,retrorsum,dextrorsum, sinistrorsum. Hinc aliqua suspicio, an *a* Aristoteles voluerit, cęlum esse animatum, cum has in cœlo positiones distinctè ponat. Certa verò mihi est sententia, quàm *b* superiùs attuli, cęlum carere anima, id Aristotelem ipsum censuisse, positionumque differentias in cęlo aptè notari.

a Lib. 2. de Cęlo à t. 7. vsquè ad 17.
b Cap. 6. pręc.

745 Ipsæ priùs positiones agnoscendæ sunt in vniuersum, antequam cœlestes demonstremus. sex numerantur ex *c* triplici dimensione quantitatis,& binis vniuscuiusq; dimensionis terminis,sed non omnia paria reperiuntur in singulis animantibus,vbi de his propriè loquamur, licèt in singulis trina dimensio sit, quia positiones hæ non sinè motu considerantur.

c Ita Arist. lib. 2. de Cœlo t. 8.

746 Sursum est longitudinis initium, huius oppositus terminus deorsum; dextrum est principium latitudinis,huius oppositum,sinistrum; ante est initium profunditatis,huius extremum,retro;sed qua ratione, inquies, harum dimensionum initia distinguamus ab oppositis,cum in qualibet finita quantitate terminus vtrinque primus ad arbitrium signari possit? Hoc est, quod modo dixi;non ex solis dimensionibus has positiones accipi, sed motu addito hoc ipsum edissero clarius.

747 Initium longitudinis ex *d* Aristotele illud est, vndè sumitur incrementi materia,alimentum; Etenim indè res crescit ad oppositum longitudinis terminum. Nec mihi obijcias, augumentationem in corporibus animatis fieri secundum omnes partes dimensionis; Nam ego id non nego, sed volo cum Aristotele,spectari principalius in augumentatione extensionem in longitudinem,quam in alias partes,quod nemo negat.

d Lib. 2. de Cęlo t. 8. & lib. de Anim. incessu cap. 4.

748 Initium latitudinis est, vnde incipit motus localis; habet verò is in animalibus initium sui, indè, vbi maximè calor viget, aptissimum ad

hũc motum instrumentum; Caloris officina cor est, vel quod cordi proportionale est;ea autem pars erit calidior,in quam copia sanguinis maior effunditur per magis peruias venas. Sic nos vulgo de hominis dextera loquimur, & verè hic motus naturalis est.

750 Ante dicitur,vbi vigent maximè alij sensus, & quia in homine maximè vigent in facie,in eaq; complures collocati sunt, hæc meritò dicitur anterior pars,cui exaduersò adiacet posterior. Habeo ex his illud, quod modo asserui,non esse pariter has positionum combinationes in singulis animantibus, quia non omnia motum,sensumq; pariter participant.

751 Habeo item de antiquissimo dicto nouum iudicium. Dixere prisci,hominem esse inuersam arborem,radicibus sursum positis,vbi capilli ramis deorsum,vbi brachia, vbi pedes diuaricantur. Censeo suo loco stare omnia in homine,in arboribus verò infernè esse, quod est sursum, supernè,quod deorsum,etenim in his,inquit *a* Aristoteles,sursum est,vndè capitur alimẽtum à radicibus.

a Lib. de incessu Animal. c. 4.

752 Iam quòd spectat ad cęlum,veretur *b* Scaliger differentias positionum admittere,quia nec augescit,nec sentit. *c* Pythagorici duas ad summum dabant,dextrum,& sinistrum. *d* Cleomedes cum mathematicis, & cum his poetæ fatentur,esse omnes, sed aliter,ac Aristoteles, numerant,volunt retro esse ad orientem,ante ad occidentem solem,dextrum ad polum arcticum,sinistrum ad antarcticum,suum vnicuiq; Zenith esse sursum, deorsum Nadir.

b Exercit. 67.
c Apud Arist. lib. 2. de Cœlo. t. 7.
d Lib. de Mundo.

753 Placet mihi Aristotelis sententia; qui sex ponit positiones in cœlo, itaque disposuit. Ab oriente dextrum est, quia indè principium motus, nec malè hac in re Pythagorici philosophantur,erit igitur ad occidens sinistrum. Hominem si hic intelligas pro mundi axe, huiusque ab oriente motus à dextra sit,caput erit in antarctico, pedes in arctico, hic ergo sursum, illic deorsum,antè erit hemisphærium, versus quod mouetur,retro oppositum,a quo mouetur.

754 Sunt hæ positiones in cœlo non per proprietatem, sed per aptam accommodationem, non planè metaphoricam, sed medio quodammodo se se habentem inter propriam, & impropriam, sicut cœlum non est propriè animatum,sed imitationem quandam substantiæ animatæ obtinet ab intelligentia assistente,quæ certo,singulariq; motu cœlum circumagit,seù, si malueris,circumducit astrorum chorum.

755 Sed inspecta cœli natura,qua vi in hec inferiora agat,definiendum est. Nec verò dubium est, quin infinita ferme rerum varietas,quę in his inferioribus mundi partibus, cœlo subditis,reperitur,ex cœli, astrorumve vi perficiatur. Disertè hoc asserit *e* Aristoteles, fidemque facit experientia,dum sole, modò ad cancrum eleuato, modò ad Capricornum deiecto, variata agendi virtute,anni tempestates variant,& quæ ex anni tempestatibus, in satis,natisque statas habent vicissitudines.

e Lib. 2. de Cœlo t. 20.

756 Quæcunque tandem cœlestis virtus in agendo sit, nihil indè humanæ libertati detrahi,tam certum est,quam est certissimũ, liberas hominis actiones intrinsecum in ipso homine habere principium,nullo extrinseco cogente.

te. Est aliqua indirecta cœli motio in hominem, dum organa corporea, vel melius, vel deterius habent, directa verò in ipsam animam nulla est.

757 Mendax ergò est diuinatrix, quæ dicitur Astrologia; meritoq; ex conuictu mortalium *a* exturbantur Genethliaci, qui de futuris contingentibus ex stellarum cursu, situque diuinationem profitentur, quã nosse non possunt. Somnia sunt, quæ futura prælegunt in stellarũ, quasi elementorũ, compositione; Nec vero mirum est, si vbi multa mentiti sunt, aliquid veri eueniat aliquandò, sicut casu fit, vt veri aliquid eueniat ex ostentis somniorum.

a Sacrorũ Conciliorum aucto ritate, & Catholicorũ Philosophorum rationibus. lege D. Tho. 1. p. q. 115. ar. 4. li. 3. contra gentes. cap. 84.

758 Creditum est hactenùs, hos ipsos diuinatores facilè notare potuisse, in quo quisq; sydere, quoue cęlesti statu conceptus fuerit, & in quo natus horoscopo, datumq; ijs etiam est, vt de corporis habitu, deq; complexione sumerent coniecturam; sed hæc ipsa, quàm nunc incerta censenda sunt, facta additione astrorum per noua instrumenta, totq; maculis in sole deprehensis, nulla certa lege, quæ hactenus obseruari potuerit, in immenso illo lucis campo pererrantibus?

759 Agit tamen, vt dixi, in hæc materiata Cœlum, seù sua, seù astrorum vi, agitq; aliquandò, vt causa completa,ità vt hæc inferiora merè passiuè se habeant, recipiendo eius actionem. Sic lumen à cęlo in hęc inferiora diffunditur; sic rapido eorundem astrorum motu rapi creditur non paruus ambitus superioris elementaris regionis; sic deniq; ab astris dicitur in hæc inferiora siccitas, humor, frigus, calor.

760 In hãc ego sententiam antiquissimos *b* Philosophos locutos fuisse, arbitror, cum facta Zodiaci partitione in quatuor signorum classes, calorem, & humiditatem, ab Aquario, Geminis, Libra; frigus, & humiditatẽ, à Piscibus, Cancro, Scorpione; calorem, & siccitatem ab Ariete, Leone, Sagittario; frigus, & siccitatem, a Tauro, Virgine, Capricorno, prouenire voluerunt.

b Ex Leone Hebræo dial. 2. de amore.

761 Aliàs in hæc inferiora cęlum agit, complendo virtutem actiuam, quæ in inferioribus agentibus incompleta est; Hæc est illa prima generationis origo, quàm à cęlo *c* Aristoteles ducit, eiusq; motu. hinc illa ab eodem dicta: *d* Sol, & homo generant hominem; & *e* alibi complura alia, non dissimilia.

762 Aliàs in hæc eadem inferiora cęlum agit, nihil immutãdo causam, qua cũ agit, sed vnà cum illa coagendo, concurrendoq; ad illius effectus productionem, quem vna partialis causa sine altera non produceret, quia necessarius est vtriusq; concursus.

c Lib. 2. de cœlo t. 20.
d Lib. 2. Phys. t. 26.
e A lib. 2. de cœlo t. 42. lib. 2. de Genera t. 55. et 56. lib. 1. de Genera. Anim. c. 2.

763 Alium agendi modum, eius .s. non dissimilem, quo Deus prima causa subditas sibi, ãq; se dependentes habet secundas, cęlo non tribuo. Nec verò necesse arbitror, ad quamlibet cuiusuis inferioris agentis actionem concurrere, non solum vt causam superiorem, Deiq; imitatricem; sed neq; vt causam partialem, ea ratione, qua modo concessi, ad plures, variosque effectus partialiter conuenire.

764 Quid ergo, si cęlum aliquandiù staret, vel, quauis alia ratione, nulla inde ad nos virtus diffunderetur, esset ne vlla inter hæc inferiora actio, & passio? Equidem sentio, si diù hæc rerum nouitas perduret, futuram in his inferioribus magnam rerum perturbationem, & multarum interitum,

per defectum cœlestium causarum; Nullam verò, nec vllo breuissimo tempore futuram hic actionem, quia cœlum non agit, hoc mihi non facilè persuadeo.

765 Vt verò propiùs cœlestium orbium, astrorumque vim, quam in hæc inferiora exercent, inspiciam, in duas nobilissimas cœli virtutes, lumen, & motum, mentis aciem intendo. Agit per vtranque qualitatem cęlum, quod, & multæ, & certæ docent experientiæ: quorsum verò hæc actio pertineat, & quos habeat proprios effectus, non conuenit inter omnes.

766 Visum est *a* alicui, nullam esse primis qualitatibus, quæ à cœlesti lumine non proueniat in hæc inferiora; vtque is rationem reddat, quomodo tandem ab vno, eodemq; lumine contraria enascantur, addit per Intelligentias hoc fieri, quæ dum lumine, tanquam instrumento, vtuntur, vim habent ad contrarios effectus. Non placet hæc doctrina; nec verò prodijt ex schola D. Thomæ, *b* cuius verissima sententia est, Intelligentias sua naturali virtute non nisi localem motum in rebus materiatis efficere posse, eosque effectus habere solos, qui ex applicatione actiuorum, passiuorumq; naturaliter consequuntur.

a Soncin. 12. meta. q. 13.

b 3. cōtrà Gen. cap. 78.

767 Sentio igitur primam cœlestis luminis vim esse in calefaciendo. Non id habet directè; nam à lumine lumen est; sed indirectè, emanatione quadam consequenti, intensioris, vel remissioris caloris, prout luminis radius in sui reflexione angulum habuerit magis, aut minus acutum. Testes huius rei appello quotquot sub Zona torrida degunt, quam solis lumen directè verberat.

768 Neque verò solus sol suo lumine hęc inferiora calefacit, sed etiam luna, ea, qua lucet, luce solis, & hæc est causa, cur quædam animalia in plenilunijs pinguiora sint, & succi plena; Nec enim eo tempore copiosiùs pascuntur; Sed, vt admonet *c* Aristoteles, noctes habent tepidiores in maiori luce, & quia optimum vitalium operationum instrumentum est calor, hinc in habitu vitæ meliùs habent.

c Lib. 4. de Part. anim. c. 5.

769 Dignum etiam scitu est, quam facit sol quatuor anni tempestatibus varietatem, luce modò demissiori, vndè calor est remissior, modò altiori, vndè calor intensior est, parilem fieri à luna, vnius mensis circulo, factis caloris incrementis, ac decrementis, pro lucis incremento, & decremento. Ità censet *d* Aristoteles, nec malè dixeris, mensem quemlibet esse totius anni compendium.

d Lib. 4. de Genera Anim. c. 2.

770 Hac ipsa calefaciendi vi, sol communis parentis nomen sortitus est, & si nihil aliud in hæc inferiora præstaret cœli motus, vel solis ipsius cursus, hoc enimuerò multum est, quod generationem, vt ait *e* Aristoteles, faciat incessanter, ac variam, adducendo, & abducendo generatiuum. Quid singula enumerem? hic ille est viuificus calor, qui in vniuerso inest: ità vt, inquit, idem *f* Aristoteles, quodammodo plena sint animę omnia.

e Lib. 2. de Genera. t. 55.

f Lib. 3. de Genera. Anim. c. 11.

771 Sed ipsi quoque astrorum motui vis aliqua actiua inest, rapitur enim eorum cursu superior elementaris mundi regio, quæ agitata vehementiùs, atteritur, & incalescit. Quis nesciat ex motu calorem prouenire? Testis est Aristo-

g Lib. 2. de Cœ. t. 42. lib. 1. meteor. sum. 1. c. 4.

a Aristoteles ipsa velocitate succensas aliquãdò fuisse sagittas, ex arcu emissas, impositumq; stillasse plumbum.

772 Ex duplici ergò principio à cęlo est ad hęc inferiora calor, ex lumine, ex motu. Requirit hunc citatissimum *b* Aristotele, & prætereà ne procul hinc à nostra regione distet. *c* Addit hanc esse causam, cur sol præ reliquis astris suo nos motu calefaciat; etenim quæ sunt altiora sole nimis, distant, quę sunt viciniora, tardiùs agitantur.

773 Quid hic nõ meditantur *d* interpretes pro doctrina hac de motu, deq; syderum distantia explicanda, vt firma ipsa sit, & ne distet à veritate? si motus cęli aliquod ex inferioribus elementis calefacit; ignem ne, vel supremum aerem, qui suapte natura calidissimus est? an aquam, an terram, ad quæ elementa motus cęli non pertinet? Sentio supremum aerem cęlesti agitatione calefieri, quà impurus per exhalationes est, sic enim, & attritionis, & recepti ab extrinseco caloris capax est.

774 Cur sol præ reliquis astris, calefacere dicatur ab Aristotele, & habere ad hunc effectum vicinitatem in situ, eam puto esse rationem, & dicti veritatem. Vel cẽsuit cum *e* Platone, solem immediatè suprà lunam esse, vel duo astra Mercurium, & Venerem in tanto astrorum numero nõ tanti fecit; Rectè igitur sol astrorum omnium proximus dicitur, quæ suprà lunam sunt.

775 Cur idem ab eodem dicatur, eam prę reliquis habere velocitatem, quę ad calorem satis sit, eam puto esse causam. Diurnus solis cursus ipso lucis ortu, occasuq; notus est magis, quàm superiorum astrorum; idem ergò agnoscitur citatissimus. Menstruus verò cursus lunæ notus quidem est, ipsa lucis auctione, & detractione, sed tardus noscitur, vbi noscitur menstruus.

776 Complura sunt, quæ cum à cœlo sint, ab eo per lumen, motumve esse, ratio satis apertè demonstrat. Sunt verò alia, quę item cęlesti virtute generari, notæ docent experientiæ, seù nexus, quem inter hæc esse, & cęli aspectum, facilè discimus. Et hęc ea sunt, de quibus quæritur, an à cœlo sint per aliam agendi virtutem, quàm, quæ insit motui, vel lumini, quia nec lumen, nec motus ad ea sunt satis.

777 Quodcunque sit hoc tertium actionis principium, si vllum est, influxus dicitur, seù influentia nomine generico: Non enim de nomine soliciti hic Philosophi sunt; sed re ipsa, quæ, qualis in specie sit, cognoscitur, ac distinguitur ex effectu; quale verò habeat speciale nomen, non tanti momenti res est; habet, quod imposueris.

778 Pari ratione, quia hæc agendi virtus occulta dicitur, mirantur quidam, non deesse Philosophos, qui virtutem hanc certò dari asserunt, quam ipsimet fatentur, occultam esse. Miror ego, homines acutos hac admiratione teneri potuisse; Etenim vbi hæc virtus occulta dicitur, non ignoratur, an sit, & quo de genere accidentium.

779 Quicquid ergò de nomine sit, quicquid de propria, & specificata ratione, sentio, dari cęlestes influentias; nec solum calorem in hęc inferiora per motum, & lumen demitti, sed alias qualitates per distinctas agendi virtutes, à quibus alij sint effectus, quàm hi, qui caloris prædominio existunt.

a Lib. 2. de cœlo t. 42. lib. 1. meteor. sum. 1. cap. 4.
b Lib. 1. meteor. sum. 1. c. 4.
c Ibidem.
d Auer. Simpl. Philalt. D. Th. et alij in t. 42. lib. 2. de cœlo. Philop. Olimp. Vicom. & alij in c. 4. lib. 1. meteor.
e Vt notat Philalthæus in 2. de cęlo.

780 Et verò hęc ipsa est antiquissimorũ a Peripateticorũ sñia, quod in recẽtiorum philosophorum gratiam addiderim, vbi contendunt, recenter fuisse has occultas virtutes, & influentias adinuentas ad callidam argumentorum elusionem, vbi quorundam effectuum causę paulò difficiliùs assignantur.

781 Nemo est, qui in rebus alijs compluribus, ignotas secundùm nomen qualitates, notas verò secundùm agendi virtutem, non admittat? Age, quæ vis magneti inest ad ferrum attrahendum, quę succino ad paleas, quę tot medicamentis ad varia humorum genera ex humanis corporibus euocanda? Nota est in his virtus, quę occulta dicitur, & ex horum similitudine de cœlestibus actionibus philosophamur.

782 Restat vltimo loco, vt, quia cęlùm perpetuò mouetur, aliquid de principio dicam. Porrò multa, quæ de cœlestium orbium motu, vel à Physicis, vel ab Astrologis tradita sunt, nunc cum suspicio incidit de cœli substantia, solida ne sit, an diffluens, in pauca conferuntur. Hoc Physici est, principia huius motus, quem in syderibus videmus, indicare, neq; huius rei contemplatio nouis ostentis obscura redditur, aut incerta.

783 Mouentur ergò siuè astra, siuè cęli ab Intelligentijs, tanquam à principio extrinseco; à propria verò natura, tanquam à principio intrinseco. Ea, quam suprà b retuli, sententiarum varietas de natura Cœli; facit hic pariter plurium sententiarum, quamuis inter se diffidentium non improbandã probabilitatem, vbi sermo sit de intrinseco huius motus principio.

784 Si dixeris, cœli substantiam simplicem esse, illa ipsa principiũ est motus; passiuum quidem, sed quod postulet sic, & non aliter ab Intelligentia moueri. Habet hanc determinationem, quia natura quamuis simplex, integra tamen, completaque est, determinatamq; speciem habet inter reliqua corpora naturalia.

785 Qua ratione hæc sit natura, cum in alio non sit, nisi tanquam in supposito, in quo esse ad esse naturam non est satis, per aptam accommodationem explicatur; est enim in toto physico, ac sensibili.

786 Si dixeris, cœli substantiam compositam esse, intrinseca principia motus sunt ipsæ partes componentes, materia, & forma; neq; hic labores, quomodo habeant hæ partes propriam naturæ rationem, cum verè, & propriè in toto sint. Sed in hac etiam sententia visum est Doctoribus, ad huiusmodi motum cœli formam non actiuè, sed passiuè cõcurrere; Assentior, tum quia probabiles rationes persuadent, tum quia c Doctorum auctoritas.

787 Extrinsecum, vt dixi, principium Intelligentia est. Certa est hæc res d Aristoteli, certa e Platoni, certa optimis quibusq; Philosophis, non solùm in christiana Philosophia institutis, sed etiam in ethnica. Certa eadem mihi est, sed de Intelligentiarum numero certitudinem hic nullam habeo.

788 Si Cœlum in orbes diuidas, nihil censeo repugnare, ab vna intelligentia plures orbes moueri, si nullam facias orbium partitionem, sed astra per liquidum eant, nihil item censeo repugnare, ab vna intelligentia plurium astrorum, quasi chorum, duci.

a Alb. Magni lib. 3. meteor. trac. 1. c. 12. & alibi. S. Tho. li. 2. de cælo. t. 42. & alibi. Conueniunt Thomistæ, & Scotus in 2. d. 14. q. 3. cũ suis

b Hoc eod. cap.

c D. Tho. 1. p. q. 70. a. 3. Sco. in 2. d. 14. q. 1. & aliorum.

d Lib. 8. Physi. & 12. meta.

e Dial. 1. de legibus.

ELE-

ELEMENTA.
CAP XIV.

789 MVLTIPLEX est nominis acceptio, nam dicitur elementum quicquid illud sit, ex quo aliud componitur, siuè naturale compositum fuerit, siuè arte factum: item *a* tria mutationis principia, potissimùm duo positiua, & ex his maximè materia. Nostra tamen disputatio hic est de his vulgò dictis elementis igne, aere, aqua, terra, horumq; naturam, & numerum quęro.

790 Definit hæc *b* Speusippus, esse id, ex quo componuntur, & resoluuntur composita. Huius similis est alia *c* Xenonis, & Crysippi definitio: Elementum est id, ex quo primo prodeunt, quæ fiunt, & in quod resoluuntur. Neutra tamẽ placet, quia vtraq; est amplior, quam par est, cum vtraq; etiam formam, & materiam, ex quibus corpora naturalia constant, & in quæ eadem resoluuntur, contineat.

791 Est ergo elementum, auctore *d* Aristotele, corpus, ex quo inexistente componitur vnumquodq; primo, indiuisibile specie in aliam speciem. Non discordat ab hac illa *e* Io. de sacro bosco: Elementa sunt corpora simplicia, quæ in partes diuersarum formarum diuidi non possunt, & ex quorum commixtione diuersæ generatorum species fiunt.

792 Sed nihil est, cur vel latum vnguem, ab Aristotele recedamus, cuius definitio horum est propria, quæ dicuntur vulgò elementa, siuè spectes mundi compositionem, quæ ex ijs inexistentibus fit, siuè compositionem mixtorum, quæ ex ijsdem est..

793 Dubitarunt autem cõplures, nec infimę notæ *f* philosophi, quibus formis ipsa hæc simplicia corpora constituantur, aiuntq; constitui primis qualitatibus, quia sunt in genere corporum infimæ sortis. Non placet horum ratiocinatio; & quidem, si elementorum materia nõ constituatur formis substan-

a Ex Arist. lib. 12. meta. t. 23.

b Lib. de Definit. Platonis.
c Apud Diog. in Vita.

d Lib. 3. de cælo. t. 31. & 5. meta. t. 4.
e In sua Sphæra, quam desũpsit ex Auicenna.

f Alex. Ammon. Philop. Galen. Hippocrates.

ſtantialibus, corpora non erunt, nec elementa, quæ corporum prima ſunt. Explicent hi mihi, quomodo fiat ex non ſubſtantijs ſubſtantia compoſita; quomodo materia exiſtat abſq; vlla forma ſubſtantiali.

794 Iam perſpicua huius ſententiæ falſitas facilè mihi perſuadet, eos philoſophos primarum qualitatum nomine, non ipſas accidentales formas intellexiſſe, ſed primam earum originem, ac principium, formas ſubſtantiales vniuſcuiuſq; elementi proprias. Hoc ſi velint, placet ſententia, nec loquendi modus vſquequaq; diſplicet, quia per qualitates primas apta diſtributione combinatas, maximè hæc prima corpora innoteſcunt.

795 Elementorum numerum infinitum poſuiſſe viſi ſunt, *a* qui infinita poſuere principia; Sed quia non omne principium elementum eſt, in ea elemẽti acceptione, qua dicuntur hæc vulgata; eſto in principijs errauerint, credibile eſt, non erraſſe in his elementis, quorum hic ego numerum ineo. Aio igitur eſſe ſolùm quatuor, ignem, aerem, aquam, terram.

a Vt refert, Ariſt. lib. 3. de cœlo à t. 37. & lib. 2. de Gene. t. 31.

796 Pendet hic numerus ex numero qualitatũ, quæ dicuntur primæ, quęq; vulgò cenſentur quatuor, calor, frigus, humor, ſiccitas. harũ, ſocia coniunctione combinatarũ, quadruplex coniugatio fit, & ex ijſdem quatuor prima corpora numerantur; ignis, cui conuenit calor, & ſiccitas; aer, cui humor, & calor; aqua, cui frigus, & humor; terra, cui ſiccitas, & frigus. *b* Vtilem aliam coniugationem reperies nullam.

b Conſule, quæ hac diri habet ingenioſe Clauiꝰ in ſua ſphæra.

797 Quid verò, quòd nonnulli reperiuntur, qui, nihil vt eſſe videretur inacceſſum humanorum ingeniorum audacię, negarunt, has qualitates dari? Omnium actiuiſſimam calorem nemo eſt, qui è medio tollat; Eſt verò, qui cenſeat, frigus nihil aliud eſſe, niſi caloris priuationem. Dicet idem, opinor, nigredinem eſſe priuationẽ albedinis, amaritiem dulcedinis abſentiam. Fabuloſum dicet quicquid horum ſomniauerit, eſt.n. in frigore poſitiua vis agendi, quæ priuationi non competit.

798 Sunt item alij, qui humorem, ſiccitatemq; inter qualitates nõ cenſent; Fatentur dari fluidam aliquam ſubſtantiam, quæ rebus illabatur, & ex hac exhauſta fieri ſiccitatem, quæ verò ſint qualitates, non vident. O pro his meliorem intelligentiæ vſum, quam oculorum. An etiam non intelligunt, vndè ſit, vt illa ſubſtantia, quæ alteri infunditur, ipſa in ſe humida ſit, vnde illa, ex qua, infuſa exhauritur, ipſa in ſe ſicca permaneat? Adde quòd & agendi vis ijſdem competit, quamuis actiuitas non tanta ſit.

799 Probat qualitatum numerus, & coniugatio, dari poſſe quatuor elemẽta. Eadem verò de facto in rerum natura exiſtere, quotus quiſq; eſt, qui non videat? Sed ratione, non ſenſu agendum eſt.

800 Inſtar verò rationis habet non contemnendæ in peripatetica doctrina, quia ſic poſtulat vniuerſi perfectio, iſq; rerum curſus, qui à rerum omnium architecto Deo ſapientiſſimè ordinatus eſt, non ab æterno, vt cenſuit Ariſtoteles, ſed in tempore.

801 Suppetunt alię rationes ex eiuſdem Ariſtotelis doctrina non reijciendæ, quamuis primo intuitu parùm firmæ videantur. *c* Vna ex his eſt inter Peripateticos celebris. Datur cœlum, quod aſſiduo rotatu in orbem agitur, ergo

c Deſumpta ex lib. 2. de cœlo. t. 18. & 19.

ergo datur terra in huius centro quiescens; datur terra, ergo & ignis; dantur terra, & ignis, ergo & aqua, & aer. Et hic est, qui quærebatur, elementorum numerus.

802 Verùm soliciti sunt *a* Aristotelici quam vim habeant hæ consequentiæ, quiq; sit ratiocinationis nexus, à cælo in terram deductæ, mox à terra ad ignem, & reliqua elementa. Ego plura, quæ huc afferri possent, in pauca confero. Probauerat Aristoteles, esse cœlum diuersæ naturæ à terra; si ergo decet illud moueri circulariter, stabit hæc grauissima in centro, vt loco pariter quodammodo distet, ac distat natura. Hæc prima deductio est.

a Albert. de Saxon. Iana. Niph. Philal. Simplic.

803 Progressus est ex comparatione qualitatum motiuarum, actiuarumq; receptoq; in Peripatetica schola principio: Quod si detur vnum contrariorum, æquum sit dari & alterum; quin imò de facto detur, quia non deficit natura in necessarijs. Hoc ergo posito si grauissimum datur, qualis est terra infernè, dabitur leuissimum supernè, qualis est ignis. hæc illa secunda deductio est à terra ad ignem.

804 Idem verò principium conficit rationem; datis.n. duobus elementis, terra, & igne, dabuntur contraria, aer, & aqua. Contrarietatem verò intellige in qualitatibus actiuis; An verò detur ignis in concauo lunæ dicam *b* infrá. Dari ignem, vbi vbi illud sit, nemo sanus negabit.

b Hoc eod. cap.

805 Insinuatum est à me paulò superiùs, primas qualitates actiuas esse quatuor. Primæ dicuntur, non dignitate, sed origine; nec primæ simpliciter, sed in corporibus corruptilibus, respondentq; tactui primo sensuum. Dicuntur hæ eædem prima contraria, & quidem competit ijsdem contrariorum definitio, allata ab *c* Aristotele, nec.n. fiunt ex alijs prioribus, nec ex alterutris, & ex his fiunt secundæ qualitates.

c Lib. 1. phys. t. 42.

806 Plures alicubi *d* Aristoteles visus est numerasse, quam quatuor. Recenset.n. calidum, frigidum, humidum, siccum, graue, leue, durũ, molle, lubricũ, aridum, crassum, tenue. Addidit idem *e* alibi rarum, & densum, addidere alij acutum, & obtusum. Sed aliud est numerare qualitates, quæ in sui origine sint simpliciter primæ, eędemq; actiuæ, qua ratione rectè solum quatuor numerantur; aliud verò persequi omnes, quæ sub tactum cadunt, siuè primæ illæ sint, siuè secundæ, siuè actiuæ, siuè secus.

d Lib. 2. de Gene. t. 8.

e Lib. 2. de Part. anim. ca. 1. lib. 8. meta. initio.

807 Auctor est *f* Galenus, primum fuisse Hippocratem, qui quaternarium hunc qualitatum primarum actiuarum numerum stabiliuit. Censeo, antè Hippocratem venisse easdem sub tactum antiquorum; nec sanè difficile est, has, tanquam primas, ab alijs, quæ originem ex his trahunt, dignoscere. De Pythagoricis traditur, parem eos qualitatum numerũ constituisse, sed non parem earundem rationem reddidere, vt animaduertit *g* Aristoteles.

f Lib. 1. Natur. fac. cap. 2.

g Lib. 2. de Gene. à t. 8.

808 Harum qualitatum singulas coniugationes paulò superiùs in singula elementa distribui. Nunc eadem elementa spectanda sunt, non qualia sunt hic apud nos alterata, & impura, sed qualia essent in suo naturali statu, si munus elementi solum exercerent in mundi compositione, non autem in generatione mixtorum. Addo igitur, ex assignatis vnicuiq; elemento qualitatibus proprijs, cõuenire vtrãq; singulis in ea intẽsione, quã habere maximã possũt.

809 Nec

809 Nec mihi obijcias ex dicto *a* Aristotelis, terram magis esse sicci, quam frigidi; aquam magis frigidi, quam humidi; aerem magis humidi, quam calidi ignem magis calidi, quam sicci. Etenim dictum hoc facilè admitto, sed longè aliter interpretor, ac *b* ij, qui singulis elementis vnam dant qualitatem in summo intensam, alteram remissam. Satis est, si ea, quæ dicitur, esse magis, sit efficacioris virtutis, vel in primarijs qualitatum effectibus, vel in secundarijs; quamuis non maioris intensionis.

a Lib.2.de Gene.t.23.

b Alex. Marsil. Foroliu. Alb. de Sax. Tolet⁹, Cōym.

810 Est ergò ignis, & summè calidus, & summè siccus, sed maioris virtutis est in eo calor, quam in quolibet alio elemento, quia coniunctus cum siccitate ea, tanquam lima, acuitur. Est terra summè sicca, & summè frigida, sed siccitas actuosior est, quam sit in igne pro coniunctione, quam habet cum frigore, & densitate, quæ ex frigore sequitur. Item terminari termino proprio, maximè competit terræ, & id siccitatis est. Pari ratione de reliquis elementis philosophare.

811 Et verè hæc ipsa est Aristotelis Philosophia, vt missos faciam eius hac in *c* re sectatores, quamuis nobiles. Si.n. in vnoquoq; elemento duæ sunt qualitates eius perfectionis, quam fert ipsius elementi natura, nec repugnat summo calori summa siccitas, summæ humiditati summus calor, summo frigori summa humiditas, summæ siccitati summū frigus; aut falsa est Aristotelis doctrina, vbi binas qualitates elementis tribuit in sua perfectione; aut vtramq; tribuit summam.

c Alb. Auer. Niph. Achillinum, Contarenum.

812 Aerem esse natura sua frigidū; *d* antiqua opinio est, nec planè antiquata, quia ex recentioribus *e* nonnemo est, qui si non frigidissimū, frigoris certe temperati esse voluit. Sunt etiam *f* qui aquam velint esse magis humidam, quam sit aer, siuè intensionem qualitatis spectes, siuè agendi virtutem. Neutra tamen sententia admittenda est, quam nullæ suadent experientiæ, nisi ex elementis, de suo naturali statu emotis petitę.

d Empedoclis & Stoicorum. apud Galē.lib. 2. de facult. med. Simpli.

e Cardan.lib.2. de Subtil.

f Galen. lib. 1. pharm. & li.1. de complex. Auic. Thom. de Garbo, & alij.

813 An vsquam detur elementum in suo naturali statu, quis certò assequatur? Non solum de totis loquor, sed etiam de partibus. Nam terra aquæ permixta est, & quorsum hæc permixtio pertineat, incertum est; Aquarum magnam notamus varietatem, dum purior alicundè exit, quam aliundè, sed puram quis vnquam hausit?

814 Aer quam multis extrinsecis inficitur, vaporibus, exhalationibus? Ignis si supra aerem sit, purus fortasse aliqua sui parte superstat, longè positus à comercio cum his inferioribus; Verum si vlla fides habeatur nouis quibusdam Mathematicorum commentationibus, qui cometas supra quorumdā astrorum altitudinem deprehenderunt, etiam de igne dubites, an vsquam purus vigeat. Hæc est elementorum natura, & status. Quis verò motus?

815 Ex triplici latione, quam distinguit *g* Aristoteles, à medio, ad medium, circa medium; duæ sunt, quæ naturales sunt elementis. ad medium simpliciter, conuenit terræ; à medio simpliciter, igni; ad medium secundum quid, aquæ; à medio secundum quid, aeri.

g Lib.1.de cælo t.5.& 6.

816 Sic feruntur, cum de sua naturali sede deducta sunt, & ea erit naturalis vniuersi compositio, vt in centro sit terra, suprá terram aqua, súpra hanc aer,

supra

ſupra aerem ignis,ſi is ad mundi compoſitionem ſit pariter neceſſarius, & ad mixtorum generationem.

817 A quo tamen actiuo principio hunc motum elementa habeant, malè aſſecutus eſt *a* Empedocles. Opinatus is dicitur, rapidiſſimo cœli motu elementa procul à mundi circumferentia extrudi, vnumquodq; longius, prout grauius fuerit,qua ratione circumacto cribro lapilli,frumento admixti,in medium confugiunt,quaſi pigeat motum circumferentię ſequi,vel quaſi pellantur,vt ſegnes,tardiq; ad motum,quia grauitas remoratur. Errat,& ſine vllo argumento motum naturalem elementis detrahit, ſolo dato violento.

818 Sunt, qui malint,vim ineſſe naturalibus elementorum ſtationibus ad ſe attrahendum,eo igitur elementa ferri, quia loci vis vocat. Diſtinctè cum his agendum eſt;nec.n.fortaſſe parem elemētis vim inferunt, ſicut Empedocles. Trahendi vis, aut ineſt loco, tanquam fini, & ſic fateor, moueri elementa, vnumquodq; ad ſuum locum,quia finem hunc appetunt. Aut illa vis dicitur ineſſe loco,tanquam principio actiuo,& hoc ſi velint, errant cū Empedocle.

819 Sentio igitur hac ego in re id, quod *b* alias dictum videri poſſit, moueri elementum vnumquodq; à propria forma, tanquam à primo motus principio intrinſeco,non ſine motus inſtrumentis, grauitate videlicet, ac leuitate; principium verò extrinſecum eiuſdem motus aſſero cum *c* Ariſtotele,eſſe generans, aut remouens prohibens, in quo ſenſu admiſi aliàs illud Ariſtotelis principium,facili inductione notum: Quidquid mouetur, mouetur ab alio.

820 Hæc diuiſio, qua motus principium dicitur aliud intrinſecum, aliud extrinſecum,*d* Ariſtotelica eſt;ex his,quę ab eo de natura diſputantur,& ſupponit id,quod ex eiuſdem ſententia aliàs *e* aſſerui, internum principium, non ſolùm paſſiuum eſſe,ſed etiam actiuum.

821 Quid,quod niſi hoc daret Ariſtoteles,non eſſet,cur Antiphontis, aliorumq; veterum Philoſophorum ſententiam carperet?Et tamen, quod nunquam ſatis mirere; Peripatetici nobiles ipſum hoc internum principiū motus actiuum in elementis non agnoſcunt.

822 Hæſitauit,opinor,in dubia quæſtione Auerroes, ex cuius ſcriptis, nec ſubtiliſſimum *f* Scoti ingenium diſpicere valuit,quam in partem ille eat. Fatetur *g* alicubi, elementa moueri à ſe ipſis, & in ſe ſui motus principium cōtinere;Ipſum hoc principium diſtinctè *h* alibi monſtrat,eſſe propriam vniuſcuiuſq; formam;nec verò intelligas, loqui eum de principio paſſiuo motus, non autem de actiuo; tum quia de hoc agebatur; tum quia paſſiua ipſa pariter materia eſt. Hic ipſe tamen ipſum hoc principium, quod aſſerit, *i* alibi negat,ità ſe in omnem partem verſat, vt non deeſſet Auerroiſtis materia lucubrationum.

823 Notiſſimæ docent experientiæ,ipſeque *k* Ariſtoteles, cum ad ſua loca naturaliter mouentur elementa,motus finem eſſe velociorem, quam principium fuerit;ſic natura non deficit,ſed vires eundo acquirit.

824 Cauſa noti effectus ignota pluribus eſt. Non placet *l* Hipparchi ſententia,qui exiſtimat,naturalis motus principium eſſe tardius,quia aliquid remanet præcedentis violentiæ. Cur non placeat eſt, quia non ſemper naturalem

a Apud Ariſt. lib. 2. de cœlo in fine.

b Hoc eodem lib. cap. 4.

c Lib. 8. Phyſ. t. 32. lib. 4. de cęlo. t. 24. & 25.

d Lib. 2. Phyſ.

e Hoc eod. lib. cap. 4.

f Vt ipſemet fatetur in 2. d. 2.

g 2. Phyſ. Cōment. 1.

h Lib. 4. Phyſ. Com. 71.

i Lib. 8. Phyſ. Com. 32.

K Lib. 1. de Cęlo t. 88.

l Apud Simpl. in lib. 8. Phyſ. & 1. de Cęlo.

lem motum præcedit violentus, & multa extra proprium locum primo genita, statim ad sua loca tendere incipiunt.

a Apud eundē Simpl. locis cit.

825 Opinati sunt *a* alij, tarditatis causam esse ipsius viæ longinquitatem, & quia hæc eundo minor restat, minorem item restare causam tarditatis. Sed quid, inquies, isthæc viæ longinquitas operatur? respondent, in motu locali scindi medium, quod scilicet, vbi multum sit, validius resistit, ne rumpatur, quam vbi exiguum. Neq; id placet, certaq; est experientia, si duo grauia cadant, vnum ex altiori loco, alterum ex demissiori, in paribus spatijs ad motus finem, non esse parem velocitatem, & medium tamen idem est.

826 Mea tandem sententia est, vbi naturalis motus incipit, incipere pariter interiecti medij agitationem aliquam, quæ necessariò fit ad vacuum replendum: Facit hic accursus aliquem externum impulsum in mobili, ergò velocius mouebitur, quam sine eo: Ad additam velocitatem fiet accursus citior, & agitatio maior; maior ergò instabit impulsus, & velocitas inerit motui maior. Hac progressione cœteris omnibus paribus, quo maior ea distantia fuerit vndè mobile discedit, hoc erit motus in procursu velocior.

827 Libet autem singula elementa inspicere, mox rursus eorundem figuras, & magnitudines intueri. Esse ignem in hoc inferiori orbe, dum habet vndè nutriatur, ignorat nemo; Sed is, quamuis in mixtorum generatione munus habeat elementi; impurum tamen elementum est, diuisum in partes, nusquā quietum, semper nouum, nouis partibus succensis, ad aliarum extinctionem. An verò in alia mundi regione idem sit, in quo maioris sit molis, naturaliter quiescat, mundumq; integret, extremæ fuere sententiæ.

b Apud Arist. lib. 1. de cœlo. & lib. 1. meteorum.
c Commen. in primū meteorum.

828 *b* Antiquissima est, amplissimum esse ignis locum suprà aerem, huiusq; densioris, illustriorisq; partes esse ipsa astra. Nec planè antiquata est hæc sententia, quam contrà Aristotelem, Aristotelis interpres, *c* Philoponus asserit, veram esse. Fallitur tamen is cum tota antiquitate, nam longè alia est astrorum, & elementaris ignis substantia, diuersiq; etiam effectus.

829 Nec verò, qui est à cœlo, astrisq; calor in hæc inferiora, ab igne est, illudq; inter multa sit argumento, quod sol, vbi nobis vicinior est in perigęo, minus calefacit, quam vbi remotior excessit in apogęum.

d Lib. 2. de Subtil. sub init.

830 Altera extrema sententia est, nullum esse suprà aerem ignem, nisi cum forte in supera parte cometæ accenduntur. Sic visum est nonnullis ex antiqua Philosophia, ideq; sentire collibitū *d* Cardano est. Fateor, vbi rationibus agatur, nullam mihi partem certo probari, & quod ignis nostras ascendat nullius argumenti mihi est, pro supero igne demonstrando. Est nimirum ignis hic nostras fumus ardens, cumq; sit fumus ex sua caliditate, & raritate leuis, sursum fertur, ignis verò eodem, quo sua materia.

831 Alia, quæ Cardanum pertraxerunt in eam sententiam, me nihil mouent; videlicet si vsquam supra aerem esset ignis, calore æstuaremus; mala esset ignis, cœliq; vicinitas; igneus etiam fulgor perstringeret oculos, & plura similia. Qui enim naturam elementaris ignis nouerit, nihil ab his argumentis timebit. Illud me solicitat magis, quod nulla, quæ hunc ignem sublunarem monstret, demonstratio est.

832 Re-

832 Retineo tamen communem ſententiam in re probabili, ſatis firmam Ariſtotelis auctoritate, Peripateticorumq; conſenſu; firmiorem etiam conſenſu *a* SS. Patrum, qui non deeſſe hanc partem ad mundi integritatem, & ſæpè, & conſtanter, aſſerũt: Vſquam verò ſi ſit, ſuprà aerem certo erit, eſt.n. ignis natura ſua leuior, quam aer, & in ſuo naturali ſtatu ſi ſit, longè rarior, ac purior erit, quam is, qui apud nos.

a S. Baſil. Hom. 3. in Hexam. S. Aug. l. 22. de Ciuit. cap. 11. S. Hiero. Epiſt. 128. & aliorum.

833 Si ignis in ſua regione ſit, ex aeris confinio patietur aliquod detrimentum, actione aeris; ſed iacturam ex eodem aere inſtaurabit, qua ratione aqua, & terra perpetuam habent de finibus quæſtionem, ac pugnam, & paribus vtrinq; viribus, nulla ingens iactura eſt, cui ſuum non reſpondeat lucrum.

834 Hac ratione elementa, quamuis natura ſua corruptibilia ſint, ex ſapiẽtiſſima Dei omnium rectoris diſpoſitione incorruptibilia dici poſſunt.

835 Diuerſa item elementaris ignis, ac noſtratis conditio eſt de hoc vera illa *b* Ariſtotelis: Duobus modis videmus corrumpi ignem, nã & à contrario corrumpitur extinctus, & ipſe à ſe ipſo marceſcens. Elementaris verò à contrario longè poſitus, & magna mole conſiſtens, aptus eſt perdurare, nec pabulo indiget, quo deficiente marceſcat, & quaſi ſenio emoriatur.

b Lib. 3. de cælo. t. 52.

836 Ignis, qui leuiſſimus eſt, ſuo naturali motu à medio ad ſupremam cœli partem tendit. Non loquor de hoc noſtro, quem ſurſum, deorſum, & in omnem partem, quaſi fames rapit, & pabulum quaqua verſum ſequitur, ſed de elementari; Is.n. ſi quo vnquã impetu de ſua ſede deijcitur, ſicut & deijci veriſimillimum eſt, rapidiſſimo aſtrorum curſu, eò recta redibit, vndè deiectus eſt.

837 Sed alium etiam motũ habeat idem ignis, neceſſe eſt, in orbem ſcilicet, quo agitur aſtrorum, aut cœleſtium Sphęrarum diurno motu, is non eſt illi naturalis, vt & ratio docet, & diſertè tradit *c* Ariſtoteles. ſed an violentus? Hærent hic, qui duo principia in animum induxerunt: Nullum violentum diuturnum: Cœli motum æternum eſſe.

c Lib. 1. de cælo. ſub. init.

838 Non placet hac in re commentatio *d* cuiuſdam, qui, violẽtum non fore æternum, interpretatur, vbi non habeat æternam cauſam; contra, ſi cauſa duret, fore; Scilicet hoc eſt, quod habet Ariſtoteles in eo principio, violentum non fore perpetuum, quia eius cauſa non eſt futura æterna; Nec, niſi is eſſet Ariſtotelis intellectus, probaret ex *e* eo principio, motum Cœli naturalem eſſe, quia æternus eſt.

d Conciliatoris Differentia 14.

e Lib. 2. de cælo t. 17.

839 Nihilo melius eadem in re philoſophatur *f* alius, qui ait, tunc violẽtum futurum etiam æternum, cum violentia non per ſe infertur, & ex agentis conſilio, ſed per accidens, vt ſi agens aliud intendat, vndè alteri violẽtia inferatur. Contrà eſt, nam vndecunq; violentia ſit, dummodò ſit violentia contrà rei naturam, aut vis externa præualebit, & natura deficiet, aut ſuperabit natura tandem, & violentia nulla erit.

f Zimar. Theorem. 19.

840 Mea tandem ſententia eſt, nullam hic eſſe ex Ariſtotelico principio difficultatem; quia, eſto motus ignis in orbem violentus ſit, nego eſſe æternum, aut futurum æternum vnquam, vt *g* ſupra aſſerui. Sed etiam ſi hic darem Ariſtoteli, æternum fuiſſe motum hunc ignis, nihil contrà alterum principium dicerem,

g Hoc eodem lib. 2. cap. 12.

dicerem, nec.n. violentus est motus, aut contrà naturam, sed solum innaturalis, & præter naturam.

841 Reclamant hic *a* aduersarij, nec medium vllum motum inter naturalem, & violentum agnoscunt: quem, inquiunt, nec ipse vnquam Aristoteles agnouit, qui *b* vbi de naturali, ac violento meminit, nihil collocat inter hæc extrema. Sed, quem hi in Aristotelis scriptis non agnouerunt, nouit *c* Auerroes, nouit, qui multo maioris est auctoritatis, & ponderis D. *d* Thom.

842 Et quidem, si vni vnum directe contrarium est, & violentia, non vtcūq; à principio extrinseco est, sed renitente passo; quid repugnat, medium quid reperiri, quod naturale non sit, quia est à principio extrinseco, nec sit idem contrà naturam, quià naturæ propensionem non tollit, nec contrà eam directè operatur? Talis est motus ignis in orbem, pariq; ratione bona pars aeris agitur præter naturam.

843 Numerat *e* Aristoteles motum circularem inter motus simplices, & re vera talis est, si purè circularis fuerit: Is tamen, quo ignis rapitur, mixtus potius dicendus est, quàm simplex, per extrinsecam.n. circumductionē sicut partes minus puræ extruduntur ad medium, ità puriores altiores feruntur à medio. Quare, dum principium extrinsecum præter naturam operatur, habet quid item operetur natura, vt ad suum, quantum licet, statum se reuocet. Hæc de igne.

844 Aeris locus infrà ignem elementarem est, supraq; hunc infimum globum, quem aqua simul, & terra integrat. Videtur hic aliquandò diuidi ab *f* Aristotele in duas regiones, vnam, in qua nubes cogi non possint, aliā in qua cogantur. Tres tamen sunt *g* eodem auctore, qui duabus in partibus non condensari nubes, perspicuè tradit, in suprema videlicet, vbi motus obstat, & in infima, quam radiorum reflexio facit esse caloris acrioris, datur ergò media, in qua congregantur.

845 Harum regionum termini pares non sunt. Maxima censetur suprema regio, eiusq; altitudinem aliquæ ignitæ impressiones indicant, quamuis non planè demonstrent. Ab igne hæc pertinet ad altissimos quosq; montes, de quibus *h* Historici tradiderūt, nubibus ingenti vertice superesse. Ab hac medium spatium datur, nubibus cogendis, quod pertinet vsq; ad confinium radiorum Solis, à terra reflexorum. Infima deniq; regio est, quam hi reflexi radij occupant.

846 Nec hi termini semper ijdem sunt; media.n. regio est in hyeme amplior, quia minus altè radiorum reflexio ascendit, eademq; est angustior in æstate, ob contrariam rationem. Sub polis semper media est amplior, quam sub zodiaco. Nec, præcisis reliquis, necesse est, pro huius effectus reddenda ratione, dare astris, sub polo positis, vim attrahendi nubes, quia ipsa syderum dispositio, & motus id satis prestat.

847 De natura aeris, quantum postulat naturalis elemēti status, dictum est à me *i* supra. Est quod hic admoneam, supremam aeris regionem sicciorem esse, quam natura ferat ob exhalationum terrestrium, quæ eo euadunt, societatem.

a Zim. loco cit.
b Lib. 7. phys. lib. 1. de cælo. lib. 3. Ethic. & alibi.
c Lib. 3. de cælo. Com. 20. 2. Meteorū ca. 2.
d Lib. 3. de cælo int. 10.
e Lib. 1. de cælo sub init. & alibi.
f Li. 1. Meteor. Sum. 1. cap. 4.
g Ibidem.
h Solinus de Atho. Plinius de Athlante.
i Hoc eodem cap.

848 Et hoc est, quod alicubi insinuat *a* Aristoteles, vbi videtur hanc regionem, quasi cum igne confundere, ei assignando igneas qualitates calorem, & siccitatem. Infima regio magnam enimuerò patitur varietatem, vel à Solis lumine, non semper pariter transmisso, vel à terrarum, mariumque vicinitate.

a Lib.1. meteor. Sū.1.c.4.

849 De media regione maior difficultas est, cur frigida sit. Sunt, qui frigus illi faciunt connaturale, aut certè valdè temperatum, ac remissum calorem, aiuntque, in suo statu permanere semper, quia nec cœli motus, qui huc non peruenit, aeris naturam alterat, nec radiorum reflexio, quæ eò non extenditur. De his tamen dixi, non probari sententiam hanc, quæ magis ad sensum videtur esse, quàm ad rationem. Et verò sensus ratione corrigendus est.

850 Sunt etiam *b* qui, vt huius aerij frigoris causam deprehendant, ad notos antiperistasis effectus confugiunt. Scilicet, circumobsistentibus duabus regionibus calidis, quæ media est se se contrà externum impetum armat, ac frigore sese induit. *c* Infrà dicam de antiperistasi: nec sanè pauci sunt effectus, qui ex ea explicantur, sed hic vix ea videtur habere locum. Nam si aer natura sua calidus est, vndè colligat frigus, quod non habet? Vbi calida calidis circumueniuntur, aut conseruatur in circumuento calor, si æqualis sit, aut intenditur, si minor fuerit.

b Apud Zabar. de region. aeris cap.4.

c Hoc eod. li.2. cap.17.

851 Nouum quid in eadem quæstione *d* nobilis Philosophus nostræ ætatis excogitasse visus est; sed vnum ponit, quod mihi non persuadet, inesse videlicet elementis calorem à lumine, & motu cœli, frigus à luminis priuatione, & motus cessatione, vel tarditate. Quid cœlum agat per lumen, & motum, suo *e* loco à me tractatum est, sed quod aeri frigus insit ab ipsa sola priuatione luminis, & motus, admitti non potest, cum natura sua calidus sit, & vnumquodq; vbi cesset extrinseca actio, vim habeat, sese ad suum naturalem statum reuocandi.

d Zabar. de regionibus aeris. cap.6.7.8.

e Hoc eodem lib.c.13.

852 Sentio igitur quicquid tandem sentiant alij; in mediam regionem magnam vaporum vim ex hoc inferiori orbe ascendere: Non tantum illis est virium, sed admiscentur vaporibus exhalationes, quæ calorem habent actiuum magis, & hac ratione facilè subuehuntur. Altius bona exhalationum pars euolat in supremam regionem; vapores verò, vt notat Aristoteles, *f* suo veluti fulcimento destituti, remanent in media regione aeris; & quia natura sua frigidi sunt, vbi in suam frigiditatem redeunt, aeri eandem communicant qualitatem.

f Lib.1. meteor. Sum.3.c.1.

853 Nec mihi obijcias, aerem natura sua calidum, vt octo, aptiorem esse ad conseruandum vaporis calorem (calidus enim vapor ascendit) quàm vt ipse à vapore aliquid patiatur. Nemo enim ignorat, quantùm obstet actiuitati caloris raritas; aer verò apprimè rarus est; Item quàm facilè aer externas impressiones accipiat. Vapor igitur densior, quam aer, in aere, etiam summe calido, ad suam redire naturam potest, & contrà ipsum aerem inualescere.

854 Ex hac explicatione intellige, non semper mediæ regionis aerē esse fri-

 gidissi-

gidiſſimum,nec in qualibet ſui parte à naturali calore deficere; Nec enim vapores omnes ad frigus intenſiſſimum redeunt, cum facti grauiores in terram ſubitò relabantur,nec quamlibet mediæ regionis partem occupant, aut occupant ſemper. Vbi ergo abſit ab hoc aere externi frigoris cauſa, intepeſcet primùm,mox etiam validiùs incaleſcet, quia vim in ſe habet ad ſuas naturales qualitates,de qua,vi dicam *a* infrà. Hæc de aere.

855 De aquis alibi mihi mentio redibit, *b* vbi de mari, & fontibus, ac fluminibus diſputandum erit. Hic addo ea, quæ ad elementi naturam, & proprietates declarandas faciunt. Sapientiſſimè autem à Deo factum eſt, vt aquæ elementum in proprio elementi ſtatu nuſquam ſit, naturalis enim eius locus eſſet ſupra terram; quam tamen ſi vndique circumflueret, nec eſſet terreſtribus animantibus locus, nec vita.

a Hoc eodem lib.2.c.17.
b Hoc eodem lib.2. cap.28. & 29.

856 Neceſſe igitur fuit, hoc elementum terræ admiſcere, idque *c* Dei iuſſu factum eſt, cum altè exurgentibus montibus, imiſque vallibus deſcendentibus, in terræ ſinum demiſſiorem receptæ aquæ ſunt, & ſtagnarunt in ampliſſima maria; amplaq; item terrarum pars ſicca remanſit, in qua homines, & varij generis animantia vitam tolerarent.

c Gen.1.

857 Sua naturali facultate, vbi demiſſior eſt terræ locus, eò aquæ prolabuntur: ſic terra in aquarum fundum ſua item virtute ſubſidet. Cumque pluribus ſui partibus terra cauernoſa ſit, eò aqua naturaliter accurrit, ſi aditus detur, non quia poſtulet eſſe infrà terram, ſed quia terra, quaſi in fornicem ſubſtructa, eò non cadit. Si fouea ad centrum vſq; effoderetur, eò aquæ deſcenderent, & naturaliter, eandem ob cauſam.

858 Cum in huius corporis ſuperficie, quod conſtare dixi ex aqua, & terra, diſtributis tractibus, interiectiſque, partim aqua appareat, partim terra, quæſitum eſt, altiùs ne alicubi mare, quam terra ſit. Sunt, qui affirment, miraculoque adſcribant, quòd mare præſcriptos ſibi fines non excedat, & in demiſſiorem terram non effundatur. Nihil hic ego cenſeo, ſuprà aquæ naturam fieri.

859 Sed nec placet aliorum placitum, altiùs videlicet mare eſſe, quam terra ſit, ſua tamen virtute ſtare, nec effundi, quia naturale eſt aquæ, ſeſe in circularem figuram corrotundare, vt videmus contingere, vel cum gutta de tegula pendet, vel cum ſuprà menſam guttatim cadit. Alia videlicet eſt ingentis aquarum molis ratio, quam pondus quaquaverſum adigeret, ſi penderet, alia exiguę guttulæ, quæ pendens rotunda eſt, dum partes omnes caſum tentant; pendet tamen, quia tantum ponderis non eſt, vt poſſit auelli. Sic aqua ſuprà menſam effuſa non excurrit, quia impedimento eſt ſiccitas, à qua eſt, vt adhuc melius corrotundetur in puluere.

860 Ne ergo rē pluribus extrahā, aio cum optimis auctoribus terram eſſe mari altiorē; Terrā cū dico, non ſolū intelligas ſūmos mōtes, ſed ipſa litora quibus mare clauditur. Hinc eſt, vt nihil opus ſit ad miracula confugere, vbi q̄rit̄, cur nō fiat maris eluuio, hinc illa guttarū experiētia minimè neceſſaria, nec ad rē. Dicā *d* infrà de aquarū, terrarūq; figura; Hic poſito, qđ vnū faciāt orbem

d Hoc eod. cap.

quorum est vnum commune centrum, dico, minorē futuram circumferentiam, quæ per marium superficiem ducitur; quam quæ per superficiem littorum.

861 Locus terræ centrum est vniuersi, idem magnitudinis, & grauitatis. Hic terra quiescit, tanquam in suo loco; *a* Quorundam verò inuenta, qui solem in centro vniuersi collocāt, circà quem terra versetur, esto aliquam mereantur ingenij laudem, veritatis certè plausum non merentur. Nec rationes afferunt, quibus probent, terram perpetuò, motuq; citatissimo moueri; Nec enim puto, *b* dimittendum esse sensum propter vllius rationis apparentiam.

a Nicolai Copernici, & recentiorum sectatorum.

b Ex Aristot.

862 *c* Pythagorici visi sunt in centro, non terram, sed ignem collocasse, ea ducti ratione, quia elementorum nobilissimo primus debetur locus, qui medius est. Reijcit hanc philosophiam Aristoteles, distinctione medij, nam alterum est magnitudinis, quale est in centro; & hoc negat, semper esse nobilissimum, alterum est naturæ, vndè vigent extrema, ipsumque totum, quale est cor in animali; & hoc medium ait, habere nobilissimum elementorum ignem, dum sit in loco suæ naturæ accommodato.

c Apud Arist. lib. 2. de cælo. t. 72.

863 Quod vero spectat ad figuram elementorum, tria esse rotunda, terręque circumposita, figuram item rotundam imitanti, *d* communis Philosophorum, & Astrologorum sententia est.

d Sic habes ex Ioā: de Sacro Boscho in sua Sphæra quid desumpsit ex Arist. lib. I. meteor.

864 Miror non *e* neminem, qui concauam orbis lunæ superficiem rotundam ponit, & ad eam accommodatè apponit sphæram ignis, igni non dare superficiem concauam, etiam rotundam, sed oblongam. Causam refert in motum raptus, sed ea nulla est; facit enim is motus velociorem agitationem ignis, qui sub æquatore est, quam eius, qui ad polos; non tamen mutat circularem figuram superficiei concauę eiusdem ignis.

e Zabar. lib. de calore cælesti. cap. 9.

865 Addo, si ea fiat Shpæræ igneę figuratio, quam is facit, habiturum ignē locū altiorē, in quem ascendat, & tamen non ascensurum, quod igni violentum est. Locus is facilè designabitur in illa oblonga superficie cōcaua; à media. n. quæ est sub ęquatore vsq; ad sūmā, quę est v. g. sub polo arctico, ascensus est, quia est à mundi parte viciniori centro, ad alteram partem remotiorem.

866 Aer item figuræ rotundę est; nam supernè conformatur ignis finibus, in inferiori verò parte aquæ, & terræ, quæ vnum globum faciunt, si minus perfectè, & mathematicè rotundum, qua terra est, certè ad rotunditatē vergentem, & rotundū physicè. De huius ergo figura quid sit dicendū constat ex figuratione extremorum, quibus clauditur.

867 Si verò figuram distributarum in aere regionū quæras, suprema perfectè rotunda est, quà contermina est igni; quà mediam tangit, oblonga ob nubium copiam, non æqualiter distributarum; infima etiam oblongā, quia radij non pari vi ex omnibus terræ partibus altè resiliunt.

868 Terram esse pyramidalis figuræ, compositam ex triangulis, asserere *f* alicubi visus est Plato; eādē. n. vult, esse grauissimā, & graue esse illud, quod ex pluribus triangulis constat. Crediderim, Platonem suo more loqui; Nimirum, quia figura pyramidalis semper stat, quęque in hanc formā eriguntur,

f In Timæo vel de Natura.

moles, æternitati quodammodo ponũtur, hoc dicto terræ stabilitatem significauit, Et verò graue est, quod plurimis triangulis constat, quia quasi pyramidale esset, non facilè e suo loco dimouetur.

869 Sed vt aliorum dicta missa faciam, qui de terræ figura, ex sensu magis, quam ex ratione philosophati sunt, dum alij planam ponunt, alij concauam; sentio cum peritissimis Geographis, & *a* Astrologis, id quod supra indicaui, ex aqua, & terra vnum fieri orbem, figuræ, si aquarum superficiem spectes, non malè rotundatæ; si terrarum, vergentis, vt dixi, ad rotunditatem, ac planè rotundæ, si physicè agas, non mathematicè.

a Ex Io: de Sacro Boscho in c. 1. suæ Sphæræ.

870 Quid sensui fidem habes, qui censes, in latam planitiem iacere campos, lacus, maria? Ea te melius ratio doceat, quod siuè ab oriente ad occidentem solem progrediaris, siuè à meridie in septentrionem, quantum tibi cœli ostenditur eunti, tantùm à tergo absconditur. Stabis ad orientem: alij post te remotiores ad occidentem; prius tibi, quam illis, orietur sol, prius tibi occidet, quam illis. Sunt ad polum arcticum incolæ, vel in frigida Zona, vel in temperata; Sunt alij sub Zodiaco in torrida; polus ijs altior est, quam his. Certa hæc sunt, & alia sexcenta, figuræ in se ipsam redeuntis, argumenta:

871 Sed & maris æquor, etiam cum venti posuere, malaciaque est, globosum, & rotundum esse, nautæ, qui ex alto prouehuntur ad portum, nunciant. Hi, si quæ sit terrarum pars sublimior, eam primum vidẽt, mox in cursu demissiores ostenduntur. Est autem hoc argumentum recursus superficiei; nã cum visio directa fiat per radios directos, si nihil in ęquore efficeret, nõ prius terræ alta, quam demissa prospicerentur.

872 Sed & verè ab *b* Aristotele demonstratum est, si vsquam aqua in plana, & æquabili ad regulam superficie stagnet, violentum fore statum, sicut de illa oblonga ignis figuratione, paulo *c* superius dictum est. Scilicet dabitur, quo deorsum excurrat, nullo impediente, nec tamen ibit. Ponit hæc ratio id, quod in mathematicis exploratissimum est, ductas omnes à circumferentia ad centrum lineas æquales esse, ponit eadem vnum esse terrarum, & aquæ centrum grauitatis.

b Li. 2. de cęlo.

c Hoc eod. cap.

873 Hoc secundum nihilo minus mihi certum est; quam si quid aliud in Physicis, vel Mathematicis certum sit. An non videmus, si altum per aerem aqua, & terra demittantur, per easdem eas ire lineas, quod argumento sit ad eundem ire terminum, nisi quid obstet? eadem semper est experientia, vndecunque tandem hęc duo grauia demittantur; Quod si centrum non esset idẽ, ex vnico tantum loco, & altero per diametrum opposito, eandem omnino lineam designarent, diuersas ex alijs omnibus.

874 Data, autem hac marium, terrarumque rotunditate, quam multa, vel in terris, vel in aquis sunt, quę incredibilia videri possunt imperitis? Nunquã ad libellam eriguntur parietes, quin magis in summo distent, quam in imo, hinc ampliores sunt ædium partes, quo fuerint altiores.

875 Planum detur ad regulam extensum, in vnico solum passu erectus stabis, pronus incedes in reliquis, si longius eas, iacebis. Idem vas plus aquę cõtinet,

tinet, si impleatur, quantum capere potest, in loco demisso, quam si impleatur in sublimi, nec mensura eadem eadem est. Vidit hæc Mathematicorum huius ætatis facilè princeps *a* Christophorus Clauius, haud ità pridem laudatissima vita defunctus, dignus planè, qui ad multos annos superesset, vt, sicut nos de antiquis, ità de nouis cœli spectaculis, institueret.

a Comment. in c. 1. Sphæræ Io: de Sacro Bosco.

876 His ego hæc addo ex principijs ijsdem. Maria omnia eiusdem sunt altitudinis à centro mũdi, excepto Caspio: quin etiam hoc ipsum, eiusdẽ est cũ reliquis, si per cœcos terræ meatus ad alia permeet. Nè ergo inferum aliud, aliud superum dicas, descripta ex centro mensura; sunt enim omnia eiusdem circumferentiæ partes, à centro æquidistantes.

877 Pauimenta, quæ ad perpendiculum æqualiter iacent, iacent inæqualiter, & ipsa illa regula, quæ demonstrat, esse plana ad oculi iudicium, probat, esse circularia, ad rectum iudicium rationis. Potest igitur ad perpendiculum esse rectum, quod circulare est, & recuruũ, quod rectum est, & sic recta curuis, quadrata rotundis permutantur.

878 Illud etiã instar habet paradoxi: posita terrarum orbis figura circulari, & grauium natura, quæ semper annuunt ad centrum, cum quis terram obambulat, plus aliquid itineris capite conficiet, quam pedibus. Neque hic me loqui arbitreris de vi discursiua, quæ in capite residens dicto citiùs maria, terrasque percurrit, loquor de capite, & hoc dico, physicè moueri velociùs in itinere, quam ipsi pedes moueantur.

879 Ex eadem terrestris orbis figuratione intellectu facile est id, quod viri, etiam docti, mente concipere difficillimè potuerunt, nimirum dari antipodas, terrarum accolas in vno hemisphærio, qui aduersis vrgeãt vestigijs accolas alterius hemisphærij. Portenti instar visum hóc est *b* Lactantio, vbi illa habet: Est ne quisquam tam ineptus, qui tradat, esse homines, quorum vestigia sint superiora, quam capita, aut ibi, quæ apud nos iacent, inuersa pendere, fruges & arbores deorsum versus crescere &c. Indiget is meliori specierum ordinatione.

b Lib. 3. Diuin. instit. c. 24.

880 Rectiùs eadem in re philosophatus est vir sanctissimus, idemq; disertissimus D. *c* Augustinus, qui raros esse antipodas, arbitratur, quia amplissimi sunt marium tractus, nec vbiq; in oppositis globi partibus accolæ accolis respondent, sed maria terris. Cœterũ, vbi antipodæ sunt, nullum est cadendi periculum, sicut nec aquarum marinarum effusionis in subiectum cœlum. Illa eleganter, & verè *d* Plinius ad Lactantij sensum. Quærente aliquo, cur nõ decidant contrà siti ratio præsto est, cur & nos non decidere mirentur illi.

c Lib. 16. de ciu. cap. 9.

d Lib. 2. nat. Hist. c. 67.

881 Quod denique spectat ad magnitudinem; Mathematicorum pronunciatum est, terrarum, aquarumque globum instar puncti habere, comparatione cœlestium sphærarum, verissimũq; id est: vsq; adeò etiam maxima decrescunt, vbi maioribus comparantur.

882 Nec verò ignoranda est hæc veritas, vt ingentes animos, si quãdo rerũ terrenarũ cupido incessit, ad grãdiora erigamus. Libet hic tantisper digredi à physicis ad moralia cũ *e* Physico historico: ergo ne mũdi punctus materia sit gloriæ nostræ, hic geramus honores, hic exerceamus imperia, hic tumultuetur

e Plin. lib. 2. Nat. Hist. cap. 68.

humanum genus,hic inſtaurētur bella?at,qui vltrà fines egerit accolas, quota tandem terrarum parte gaudet?

883 Si tamen eundem hunc orbem in ſe ipſo ſpectemus,quātus ſit, ingentis eſſe molis,nemo eſt, qui non videat. Globi menſura ex maximo circulo deſumi conſueuit,eamq; Geographi aſſequuntur, translatis in terram cœli circulis maioribus, nam *a* terreſtres cœleſtibus proportione reſpondent, habitaq; diſtantia,ex certo graduum numero in cœleſtibus,totidē terreſtriū graduum quantitas ad exactiſſimam menſuram accipitur.

a Ex Commēt. Clauij in c. 1. Sphæræ Io: de Sacro Boſcho.

884 Sed etiam vlterius mathematici progrediuntur, atq; vbi terram emēſi ſunt,aliorum elementorum menſuram accipiunt.Quædam hic arbitror certa eſſe,incerta alia. Norunt,quàm altè diſtet à terra luna,omniū aſtrorū infimum,ſiuè in ſummo cęli gradu fuerit,ſiuè in imo; Quàm altè cometæ accēdantur,etiam norunt, (quanquam varia de his ſententia eſt.) Nubium pariter altitudinem accipiunt.

885 Incerta autem eſſe exiſtimo, quæ ex his illi ſe ſcire profitentur; qui ſit vltimus cœli terminus,quà affine eſt igni; quotam vniuerſi partem ignis occupet,quotam relinquat aeri, quanta aqua ſit. Quid enim ſi infrà lunæ gradum,in quem illa deſcendit,adhuc de cœli ſubſtantia quid ſuperſit? Quid ſi cometæ,quorum ſtatio communiter cenſetur tertia aeris regio, vel ad ſummum aerem aſcendant,vel altius efferantur? Quid ſi non omnia maria nota ſunt,& incertus Platonis Tartarus? Horum dubia coniectura dubiam facit elementorum magnitudinem.

886 Viſus eſt alicubi *b* Ariſtoteles,certos dediſſe elementis fines, & agnouiſſe in collata horū magnitudine proportionē decuplā. Aſſentiuntur aliqui ex Peripateticis, audito ſolū Ariſtotelis nomine; contrà tamen inuehuntur mathematici,& nullā eſſe poſſe talem proportionē, demonſtraſſe ſe rentur; quia minor eſt aqua,quam terra; quia aer ſuprà terram non altiùs aſcendit, quàm ad millia paſſuum quinquaginta duo;demum, quia à ſummo aere ad ſummum ignem diſtantia maior eſt, quam illa proportio poſtulet, & diſtantiam metiri ſe rentur.

b Lib. 1. meteor. Sum. 1. c. 3. & li. 2. de Genera. t. 37.

887 Arbitror tamen,nec Ariſtotelis mentem intelligi,nec ſi ea ſit, quæ intelligitur, validè à mathematicis oppugnari. Quod ſpectat ad Ariſtotelē,nego,hunc certam vllam agnoſcere in elementis proportionem, ſolū informis quædam ignis immenſitas illi eſſe *c* videtur,ſi quis dicat,quicquid eſt ab imo hoc aere ſpatij ad vltimum,ſupremumque cęlum,eſſe igne plenum:ſi,inquit, diſtantiæ hæ plenæ ſunt igne, & corpora conſtant ex igne, pridem annihilatum vtiq; eſſet vnumquodq; aliorum elementorum.

c Cit. loco ex lib. 1. meteor.

888 *d* Alibi verò,cum idem Ariſtoteles ex mutua elementorum transmutatione,magnitudinis augumentum,vel decrementū,in certa menſura; ſubindicat,vt ſi ex aquæ hemina fuerint aeris heminæ decem, certam illā menſuram pro incerta vſurpat.

d Cit. loco ex 2. de Genera.

889 Quis verò ignorat, ex terra fieri ampliorem aquam, quam terra fuerit,ex aqua ampliorem aerem, ignem ex aere ampliorem? Sic etiā poſtularet ordo horum elementorum,vt,quod ſuperius eſt, magnitudine ſuperaret

inferius;

inferius;ſed ſi talis exceſſus,aut non in certa proportione ſit,aut ne ſit quidē, nihil ad Ariſtotelem, quia non ſunt elementa in ſuo ſtatu naturali, pro ſolo mundo componendo.

890 Iam quod ſpectat ad oppugnationes Mathematicorum, eſto dixerit Ariſtoteles,decuplam eſſe proportionem inter elementa, ſi in ſuo ſtatu naturali collocentur,& puram terram pura aqua circumfluat, hanc purus aer, aerem purus ignis; Quid contrà afferent Mathematici, qui quos nunc terminos elementa habeant,ignorant,vt *a* ſupra dixi,& quos habitura eſſent, ſi in ſuum naturalē ſtatū innouarentur,diuinare nō poſſunt? Hęc verò de naturalibus corporibus ſimplicibus dicta ſint; Aggreſſurus mixta,quæ ex elemētis alteratis generantur, ſequar Ariſtotelis veſtigia, qui priuſquam ad ea aggrediatur, vniuersā generationis, alterationis,ac mixtionis naturā,explicat.

a Hoc eod.cap.

GENERATIO, *& corruptio.* CAP. XV.

891 EA recepta eſt in Peripatetica ſchola generationis deſcriptio,quam ſubtiliſſima *b* ratiocinatione Ariſtoteles inueſtigauit,ac *c* protulit;cum totum tranſmutatur, non manente aliquo ſenſibili, vt ſubiecto eodem. Agnoſcis hic, quam habeat cum illa affinitatem, quam *d* alibi ex eodē auctore retuli, vbi dr̄ mutatio ex nō ſubiecto in ſubiectū.

892 Strictiùs *e* alibi eadē dr̄ prima participatio cū calido animæ nutritiuæ, vel *f* proceſſio viuentis à viuente, principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ. Sed nihil hæc nunc ad rem meam, qui de omnium naturalium corporum generatione dicturus ſum.

b Li. 1. *de Genera.à t.* 11.
c Eodem lib. 1. *de Genera. t.* 23.
d Hoc eodem lib.c. 10.
e Lib.de Iuuē. Senect.&c.
f Ex D.Th. 1. *p.q.*27.*ar.*2.

893 Conuenit autē ipſa hęc deſcriptio,nō ſolum generationi,ſed ēt corruptioni;nō quidē ijs verbis,quibus nūc vulgo vſurpatur:mutatio totius in totū,ſed ijs,quib.vſurpat Ariſtoteles:qñ totū trāſmutetur; Etenim trāſmutari

dicitur,& quod esse desinit,cuius corruptio, & quod esse incipit, cuius generatio est.

894 Totum quod transmutari hic dicitur,est illud ipsum,quod *a* alibi dicitur subiectum,videlicet compositum substantiale, quod, vel fieri, vel corrũpi dicitur ad solam formæ productionem,vel corruptionem, quicquid contrà sentiat perbene aliàs de philosophia meritus *b* Mercenarius, qui falsò supponit,formam esse totum, & quodquid esse rei.

a Lib.5. Phys. t.7.

b In Dilucid. de hac ipsa re.

895 Ità hoc totum trãsmutari dicitur,vt nullum sensibile subiectum remaneat idem. Hinc aliqui colligunt materię primę denudationem ab omnibus accidentibus,cum quid corrumpitur,& generatur; sed nulla est huius collectionis necessitas, quia subiecti nomine ipsum totum intelligitur, quod simpliciter fit.Cumq; hoc nunquam sit idem in termino à quo,& in termino ad quem,secus ac accidat in transmutatione accidentali, ideò dicitur, non remanere sensibile,vt subiectum idem.

896 Sed veretur *c* aliquis,ne fortè remaneat subiectum, cum mixta generantur,in quibus remanent elementa,vel cum animata moriũtur, in quibus eadem remanent,ossa,caro,& similia; Hinc adducitur, vt credat, definiri solam generationem elementorum, non autem mixtorum, & animatorum. Non placet hæc sententia, nec argumentum vllius mihi ponderis est; quia quicquid tandem sit illud, quod remanet non est sensibile idem, si non sit idem subiectum denominationis.

c Zimar. Theor. 20.

897 Quod autem spectat ad illam materiæ denudationem ab omnibus accidentibus,de qua modo memini,eam,& *d* multis,& nobilibus Philosophis, non solum hæc Aristotelica generationis definitio, sed aliud principium, quod item esse Aristotelicum,arbitrantur,probat. Censent, nullum accidẽs substantialis compositi inhęrere materiæ, sed ipsi substantiali composito. Cum ergo sublato subiecto,quasi fundamento, corruat superimposita moles,necesse sit;indè argumentantur,quoties generatio, vel corruptio est, toties esse vsq; ad materiam primam resolutionem. Nego verum esse hoc principium,quod assumitur; nego esse Aristotelis.

d Alb. 2. p. Sũ. de Homine. Heru. de Vnit. formarum. q. 16. & 17. & ex Tho. compluribus.

898 Et verò quis neget materiam esse subiectum primum cui illud insit, quod ex eius potentia educitur? an, dum educitur,transilit de subiecto in subiectum? Præterea in homine forma totius spiritualis est, si ergo totum nihil est ab vtraq; simul parte distinctum,si materialia hominis accidentia non inhærent materiæ,an tibi fortè videantur inhęrere formę? mihi certè non videntur.

899 His adde non leues difficultates,in quas,nullo impellente,te inijcis, dũ illud principiũ verũ putas.Etenim cum nihil generetur, nisi necessarię dispositiones pręeant,ad quid hę generationem antecedunt,vt in generatione non adsint?

900 Sed,ais,deseri hic à me,quem ferè sequor,veritatis ducem,D.Thomã. Fateor,hanc materiæ primæ resolutionem,& sępè, & perspicuè satis à D. *e* Thoma insinuari;sed cum nobilissimi Thomistarum, *f* Capreolus, & *g* Caietanus, etiam contrariam sententiam in D. Thomæ scriptis deprehenderint,

e Li. 1. de Genera. lect. 10. 1. p. q. 76. et 77.

f In 2. d. 13. q. vn. ar. 3.

g Comment. in opusc. de Ente et essẽtia q. 15

liceat

liceat mihi, cum fortè censuerit is vtranque probabilem, eam amplecti, quã censeo veram.

901 Audi ipsum D. *a* Thomã hęc dicentẽ ex probata sñia *b* Cõmẽtatoris: In materia generabilium, & corruptibilium oportet intelligere dimensiones ante aduentum formæ substantialis, quicquid autem sic intelligitur, manet idem numero in generato, & in eo, ex quo generatur.

a in 4. D. 12. q. 1 a. 2. q. 4.
b Lib. 1. phys. & de substant. Orbis.

902 Sed quod nec illud principium Aristotelicum sit, facilè quisq; dijudicet, qui vel mediocriter in eius scriptis versatus sit, si vnquam. n. perfectam, ac prædicamentalem substantiam velit esse accidentium subiectum, de subiecto denominationis loquitur; quod autem spectat ad inhęsionis, esto aliqua accidere etiam formis possint; commune tamen plurimorum est, materia prima, quę, ipsa in se neque est quid, neq; quale, neq; quantum, sed horum omnium subiectum inhęsionis, vt idem *c* Aristoteles expresse tradit, vbi omnem substandi rationem, quam habet substantia materialis, in ipsam tandem materiam refert.

c Lib. 7. meta. t. 8.

903 *d* Aristotelicum pronunciatum est: Vnius corruptionem esse alterius generationem. Plures dicti intelligentiæ sunt, mirum verò est, quam longe auctores ab Aristotelis mente digrediantur, cuius hic, & non alius discursus est. Cum detur rerum corruptio, & generatio, an fortè periculum sit, ne maiori facta corruptione; quam per generationem restauratione, naturalia corpora sensim deficiant? Periculum nullum est, ait Aristoteles, quia vnius corruptio, alterius generatio est.

d Lib. 1. de Gene. t. 17. & lib. 3. phys. t. 73.

904 Nihil ad rem facit pro Aristotelici dicti veritate examinanda, minutè quærere, quomodo sit eadem generationis, & corruptionis actio, an identicè, an formaliter, an duæ, quæ se necessariò sequantur. Quid hac egò in re sentiam, *e* suprà asserui. Aristotelis verò sensus verissimus est, quia nunquam in rerum natura aliquid corrumpitur, quin aliud, vel nouum fiat, vel de nouo denominetur; nunquam aliquid generabitur, quin aliud vel esse, vel denominare desinat.

e Hoc eodem lib. 2. cap. 10.

905 Quod si cum ijsdem auctoribus digredi libeat ad eos, quos modò dixi, sensus, aio, vbi vnius corruptio dicitur alterius generatio, veram esse propositionem in sensu identico, prout vna, & eadem actio recipit actionis, corruptionisq; nomen.

906 Addo veram item dici posse qua præeuntem corruptionem consequitur generatio. Etenim quamuis vna sit in re actio, fundamentum in eandem re est, duplicis concipiendæ, & ex duabus præire altera intelligitur, altera sequi.

907 Pręit ordine intentionis generatio, quia hæc est generantis intentio, facere aliud, quale ipsum, esto sit aliud destruendum. Pręit ordine naturæ corruptio, cum. n. generari illud non possit, nisi alterum corrumpatur, corruptione huius ad illud via fit. Quod si hic actionem generationis intelligas, vt caussam corruptionis, ex hoc intellectu præibit natura generatio corruptionem. Deniq; si de ordine temporis disseramus, nullus is est, sed in vno, eodẽq; instanti est extrinsecè corruptio, intrinsecè generatio, vt *f* alibi dictũ à me est.

f Hoc eodem lib. 2. cap. 10.

908 Si quis hic generationem cum corruptione comparet, habet, in quo hæ differant, in quo conueniant. Discrimen est, quia generatio positiuum quid est, corruptio negatiuum; generatio, si vera sit, & non sola denominatio, nunquam est sinè forma, quæ de nouo fiat, corruptio vera est, etiam forma remanente, dummodo compositum dissoluatur; generatio naturalis dicitur, quia à natura per se intenditur, corruptio violenta, quia fermè intenditur per accidens, & consequenter.

909 Generationem cum dico, ad eamq; positiuam actionem requiro; ne intelligas cum *a* aliquibus illam ipsam actionem, per quam præuia ad generationem via est; sed actionem distinctam, quæ immediatè, & per se fit ad formam substantialem, tanquam ad proprium terminum ad quem. Scilicet præuia alteratio ad qualitates est, nec magis illa quid vnum facit cum generatione, quam faciat producta per alterationem qualitas, cum producta per generationem substantia.

a Herueo. Caiet. Fonseca. Pererio.

ALTERATIO.

CAP. XVI.

910 ALTERATIONIS natura ex tradita generationis, & corruptionis ratione intelligitur, dum dicitur ab *b* Aristotele, quando aliquid manente subiecto sensibili existête transmutatur in eius passionibus, aut contrarijs, aut medijs existentibus. Quod sub vtroq; termino maneat idem subiectum sensibile, distinctionem facit inter alterationem, & transmutationem ad substantiam; quod verò hoc subiectum transmutetur secundum qualitatem, distinctionem facit eiusdem alterationis ab augumentatione, & motu locali.

b Lib. 1. de Gen. t. 23.

911 . Sed non semper alteratio in eadem proprietate accipitur ab *a* Aristotele, latè aliquandò, cum subiectum qualitercunq; quale fit; strictius verò, & magis propriè, cum subiectum per actionem tendit ad formam, quæ physicè produci dicitur de prædicamento Qualitatis. Huius productio ex generica motus ratione à termino priuatiuo est; maiorem tamen alterationis proprietatem habet, cum est à contrario positiuo.

a Lib. 7. phys. t. 12. lib. 8. t. 26. lib. 2. de Anima. t. 51. & 58. lib. 1. de Gene. t. 23.

912 In hac proprietate dicta alteratio solum est ad passibiles qualitates, quę in tertia qualitatum specie numerantur, nō autem ad reliquas, quæ in prima, secunda, & quarta specie censentur. Ità expresè habet, ac disertè *b* Aristoteles.

b Lib. 7. phys. à t. 14.

913 Sed quid illud est, inquies, quod *c* idem habet? Quod autem alteratur, cum passionibus æquiuocè dicitur, Aio, dici æquiuocè, esse, dici æqua voce, retentis in conuersione ijsdem terminis, vt ignis calidus est, aliquod calidum ignis est.

c Eodem. 7. phys. t. 15.

914 Rectè autem Aristoteles probat hoc argumento, ad quartam qualitatis speciem non esse alterationem, quia dictio æquiuoca non est, & cum dicatur: marmor statua est, non rectè dicitur: statua marmor est, sed marmorea. Duo hic nota, ex doctrina *d* Burlei; primum æquiuocam hanc conuersionem in quarta specie non fieri, si accipiatur concretum primum, & hoc accipiendum esse, non autem concretum secundum; alterum est, vbi non sit æqua conuersio, non esse propriam alterationem.

d Lib. 7. phys.

915 Sed non propterea inferri potest, si conuersio æqua sit, esse alterationis proprietatem; alia scilicet requiruntur, & illud maximè, quod ad qualitatem sit physica actio, & non de genere eorum, quæ dicuntur emanationes potius, quam actiones. Sed adhuc melius alteratio ex termino innotescet.

916 Suscipere aliquas qualitates magis, & minus, dictum à me *e* aliàs est; hic in quo sita sit hæc intensio, & remissio, tradendum explicatiùs est. Non placent *f* qui sentiunt, tunc vnam qualitatem esse remissam, cum habuerit multum de contraria admixtum, tunc intensam, cum parùm. Nam quid si nihil insit contrarij, & qualitas remissa sit? Vbi lumen fuerit, quantulum illud fuerit, nihil est tenebrarum, nihil positiui contrarij, quod nullum est, & lumen tamen remissum est. Pręterea dum qualitatum intensionem, ac remissionem quærimus, istud ipsum est, quod quærimus, vndè dicatur, de contrario aliquandò multum esse, aliquandò parùm.

e Lib. 1. cap. 3.

f Simpl. apud Gregor. in 1. D. 17. q. 3. Platonici apud Pomponat. de intensione formarum.

917 Nec item placet eorum sensus, *g* qui hanc ipsam intensionem referunt in bonam subiecti dispositionem; remissionem verò in contrariam, & minus bonam. Scilicet relabimur eodem; nam quid est, per quod subiectum melius, vel minus benè dispositum est? Quid, quod in duobus subiectis æqualiter dispositis duo agentia, intensum vnum, remissum alterum, non æqualem producunt qualitatem?

g Aegyd. Quodlib. 2. q. 14.

918 Sunt qui de eadem qualitatum intensione philosophantur, sicut *h* Aristoteles de essentijs, vbi ait, eas esse sicut numeros, quia, sicut hi additione, vel detractione vnitatum, speciem mutant, ità essentiæ additione, vel detractione graduum quidditatiuorum. Aiunt *i* hi, intendi qualitatem nihil aliud esse,

h Lib. 8. meta. t. 10.

i Goffre. Quodlib. 11. q. 3. & Dur. in 1. D. 17. q. 7.

esse, nisi data noua existentia, perfectiorem, ac perfectiorem produci. Nec sententia hæc placet, quia merè ad arbitrium ficta est; nec ex Aristotelis dicto deducitur, quod nihil spectat ad intensionem qualitatum.

a Thomistæ cõmuniter.

919 Melius his philosophantur alij, *a* qui qualitatum intensionem referunt in maiorem radicationem in subiecto factam. Quamquam etiam in his desidero, vt mihi distinctiùs explicet, p qd formaliter qualitas dicatur magis radicata in subiecto in fine alterationis, quã in principio. Si nihil addãt de ipsa entitate qualitatis, nõ pbo; si quid addant, vt re vera addendũ esse ex sẽtẽtia D. Tho. cõtẽdit *b* Caietanus, placet sẽtẽtia, & siuè, p hãc in subiecto radicationẽ rẽ explices, siuè per graduũ intensionem, idẽ dicis. nomina nihil me mouent.

b 1.2.q.52. a.2.

920 Est ergò qualitas diuisibilis, ac per partes produci potest. Sed ne proptereà intelligas, esse diuisibilẽ eius essentiam; quicquid.n. qualitatis in subiecto fuerit, tota, & integra eius essentia est, id, quod omnibus formis, tũ substãtialibus, tũ accidentalibus cõmune est. Diuiditur entitas, non solũ pro ea partiũ distinctione, quę accipit ex extẽsione in subiecto, quã habet vt forma materialis est, sed p ea, quã habet in vno, eodẽq; subiecto, quãtũcũq; illud fuerit.

921 Finita est harum ipsarum qualitatum intensio; non ex ipsa natura qualitatum, vel ex remota capacitate subiecti; sed ex finita virtute agentis naturalis, quod, siuè qualitatem producendam contineat formaliter, vt causa vniuoca, siuè eminenter, vt æquiuoca, non nisi tantam producere aptum est in subiecto priuato, quantam continet. Vbi de qualitatibus id assero, lumen excipe, quod hac in re est qualitas longè diuersæ rationis.

922 Tota naturalis intẽsio qualitatũ diuidit cõmuniter à Philosophis in octo gradus. Diuisio arbitraria est, sicut in quantitate partitio fit extensionis: si in pauciores gradus diuidas, erunt gradus singuli intensiores; si in plures, remissiores, qualitas verò integra tantundẽ habebit intensionis: sicut cũ quantitas eadem diuiditur in plures partes, sed minores, & in pauciores, sed maiores, quantitas verò tota sibi ipsa semper æqualis est.

923 Volentes hac in re omnes conueniunt; sed, an voluntaria hæc partitio fiat à primo ad supremũ qualitatis gradũ in partes omnino similes, vel in dissimiles, spectata natura qualitatis, non omnes idẽ sentiunt. Sententia mea est, hos gradus esse omnino homogeneos, siuè naturam qualitatis spectes, siuè indiuidualem rationem, quæ sicut in reliquis, ità & hic naturam sequitur, secùs ac alij censuerint, qui ad euadendas difficultates, quæ sunt à graduum similitudine, nouum indiuiduationis genus commenti sunt.

924 Datis in qualitate partibus, nõ sequitur ex eo, vt necessariò producatur successiuè; etenim si non habeat in subiecto contrariã dispositionẽ, & sit agẽs sufficienter constitutũ in actu primo, in instanti tota qualitas debitam sibi intensionẽ assequetur. Hac ratione lumen in instanti diffunditur; Sed non pariter aliæ qualitates, quæ non nisi deiecto contrario subiectum occupant, nec nisi successiua alteratione introducuntur.

c Niphus in Diluc. meta. lib.8. Disp.7. cũ aliquibus Thomistis.

925 Successiuam hanc alterationẽ intellige per vnam non interruptam intrinseci temporis durationem, quicquid *c* alij sibi persuaserint, qui eam per interiecta instantia fieri, quasi per saltus, opinati sunt.

926 Quin potius dixeris, vbi in tempore quid alteratur, nihil alterationis eſſe in inſtanti, niſi entitatiue,& materialiter,qua ratione in motu locali ità in tempore motus eſt,vt nullus in inſtanti ſit, & in quantitate ità notantur indiuiſibilia, vt nihil ſint diuiſibilis quantitatis,ſicut *a* ſuo loco aſſerui.

a Hoc eodem lib.2.Cap.7.

927 Huic ſucceſſioni alterationis, ratione durationis, reſpondet ſucceſſio formę,quę per illam producitur, & ſucceſſiuè, gradibus additis,intenditur. Aliam item habere poteſt ratione ſubiecti, cum prius vna pars quanta, quæ intrà ſphæram ſit,alteratur,mox aliæ ſucceſſiuè,quę per motũ localem paſſim aut agentis ſucceſſiue intrà ſphæram recipiantur. Minimum verò,quod alteretur, nunquam aſſignabitur maximum,non niſi per accidens.



AGERE, & Pati.

CAP. XVII.

928 MERITO requirit *b* Ariſtoteles inter agens,& paſſum diſtinctionem,nam ſi quid in ſe ipſum agere poſſit,quid tandem erit impaſſibile, & incorruptibile? Actionem tamen intellige, quæ eſt inter primas qualitates actiuas, quia ſic poſtulat Ariſtotelis diſcurſus, vt bene *c* Philoponus animaduertit; Diſtinctionem verò intellige realem,tanquam ſuppoſiti à ſuppoſito, aut reali æquiualentẽ. hæc poſterior eſt, cum vna pars in alteram agit,ſibi continuam; diſtinctio.n. eſt potentialiter realis, ratione quantitatis,actualiter ratione actiuæ qualitatis.

b Lib.1.de Gene. t.48.

c Lib.1.de Gene.in t.44.

929 Si tamen ipſum hoc dictum ad alia actionum genera extendere voluerimus,non parem habet in omnibus veritatẽ. Quod.n.ſpectat ad vitales actiones immanentes, & ad emanationes proprietatum ab eſſentijs, aut relationum,aut modorum,idem eo modo,quo agit,in ſe ipſum agit, & hoc eſt, eſſe actionem immanentem; nimirum in eo ipſo principio, à quo elicitur.

930 Diſtin-

930 Distinctio tamen est inter agendi principium, & rem productam; Et ideò spectat ad operationes vitales in his obiectum habet rationem passi,& quod maior adhuc distinctio est.

931 Sed in his ipsis excipe operationes intellectus, ac voluntatis, cum ille se ipsum intelligit, hæc se ipsam amat. Mouet in his ipsum se ipsum, & hoc illud est ex Schola *a* Platonicorum, entia abstracta à se ipsis moueri, animãq; rationalem numerum esse se ipsum mouentem. Sic Deus ipse se intelligit; eam tamen propositionem, quam quidam *b* vsurpat, non sine perspicua explicatione vnquam vsurparem: quod Deus per se in se ipsum agat.

a Dial. 10. de legibus.

b Aquar. q. meta. Dilucid. 1.

932 Actio magis propriè dicta, quam præcedentes, est motus localis. Quid ergò, si ad hanc Aristotelis doctrinam extendamus? aget ne aliquid in se ipsum, quia se ipsum localiter agit? Non est dubium, quin ea, quæ naturaliter loco mouentur, habeant in se ipsis sui motus principium, naturam ipsam suã. Est tamen aliud supposito distinctum, quod mouet, vt *c* alias explicatum à me est ex eiusdem Aristotelis doctrina. Et placet hic, quod notat *d* Scotus, non quamlibet virtutem, motiuam habere motoris, ac mouentis nomen, sed eã, quæ sit in supposito distincto ab eo, quod mouetur.

c Hoc eodem lib. 2. cap. 11.

d Lib. 8. phys. q. 3.

933 Sed præterea actio secundum qualitates videtur esse, quæ non fit ab agente in distinctũ passum. Nihil hic dico de lumine, cum repercussum, illud ipsum medium illuminat, à quo exit, nam fortasse dices, aliam esse luminis na turam, ac cęterarum qualitatum; Dico de calore, cum ab aliquo agente calido per medium diffusus retroagitur per reflexionem, & medium idẽ, à quo actiuè est, magis calefacit. Respondeo, vim hanc retroacti caloris nunquam esse, nisi pariter lumen reflectatur, & à reflexo lumine medium calefieri, non à calore redeunte. Distinctio præterea est, sicut inter partes continuas, quæ ad agendum satis est.

934 Neq; verò vspiam negat Aristoteles, inter continuas partes esse posse physicam actionem, quã rem, vel si quis negaret, satis, superq; probat experientia. Nam vbi dicit. Connatum vnumquodq; (legunt alij continuum) & vnum existens, impassibile est: loquitur de continuitate physica, quæ est ratione vnius qualitatis actiuæ, non autem de continuitate mathematica, quæ est ratione vnius continuæ extensionis.

935 Sed, vt ad eam tandem actionem redeamus, quę nostri propositi magis est propria, videtur, inquies, esse actio eiusdem in se ipsum, cum elementa alterata ab extrinseco, ipsa se rursus alterant, & redeunt ad proprium statum. Non placet *e* quorundam responsio; qui dicunt, in hoc casu emanare naturales elementorum qualitates à propria cuiusq; elementi natura. Ratio, cur id non placeat, est ex recepto principio, quod substantia actiua non sit immediatè.

e Suar. Disp. 28. meta. Sect. 7. Fonseca lib. 1. meta. c. 7. q. 3. Sect. 5. Conim. l. 2. de Gene. cap. 3. q. 2.

936 Sed addunt hãc non esse actionem, sed emanationem, nec verò nouum esse, vt ex substantia emanet accidens. Neq; hoc additum placet, emanant .n. ex essentijs proprietates, quarto modo proprię, accidentia verò communia non item; Qualitates autem elementorum, etiamsi proprię vniuscuiusq; dicantur; proprię tamen non sunt, quia si minus secundum totum, certè secundum

dùm graduum intensionem separari non possunt à subiecto, & separantur quotiès ab extrinseco alterantur.

937 Probabilius *a* alijs visum est, hunc reditum ad propriũ statum non esse ab intrinseco elemẽti principio, sed ab extrinseco. Mihi neq; hoc videtur satis probabile, nam sæpè extrinsecum hoc principium nullum assignari potest, & elementum redit nihilominus ad suas naturales qualitates. Si licet assertionis huius fundamentum ex alia petere, relege, quæ *b* suprà dixi, de qualitatibus mediæ regionis.

a Burl. lib. 2. phys. in t. 3. Tolet. Ibid. c. 1. q. 2.

b Hoc eodem lib. 2. cap. 14.

938 Ingeniosior est *c* aliorum eadem in re commentatio: quoties elementũ alteratur, non pariter in omnibus partibus alterari, complures esse, quæ suas naturales qualitates obstinatissimè retinent, his, vbi extrinseci agentis pugna cessauerit, iacturam restaurari in alijs, ac redire tandem elementum ad suum primum statum. Fauent huic cõmentationi nonnullæ experientiæ; Sed quòd hi auctores obstinatè defendunt de illarum partium obstinatione, vellem mihi firmiùs demonstrarent in aqua, quæ feruentissimè ebullit.

c Forolių. de Intensione, & remissione formarum ex Auer.

939 Sed, quicquid tandem dixerint alij, censeo, elementum, quamuis alteratum, dum retinet elementi naturam, retinere pariter proprietatem quandam quarto modo propriam de genere accidentis, & huic inesse vim reproducendi qualitates illius elementi proprias.

940 Hac ratione habes, quomodo non sit eiusdẽ in se ipsum propriè dicta actio, item quomodo substantia non sit actiua immediatè, nec emanatio qualitatum sit veluti proprietatum, sed accidentium separabilium: Simili quadã ratione ex anima emanant potentiæ inseparabiles; & à potentijs, tanquã ab immediato principio, sunt operationes ab anima separabiles.

941 Non magni facio, siuè hæ proprietates dicantur in singulis elementis binæ, vna principium vnius qualitatis, altera alterius, siuè vnica solum, à qua vtrauis desit qualitatum, resarciri possit; Est.n. actio, siuè emanatio quędam à principio æquiuoco. Sed magis placet elementis singulis binas dare. Rationẽ verò vnius proprietatis quartò modo propriæ, vnius elementi non habebũt, nisi vt binæ sunt, simul coniunctæ.

942 Quoniam ex elementis mixta sunt, & quidem actu inexistentibus, ex his ipsis philosophandum est de vi, quàm etiam mixta habent se se ad suum naturalem statum recipiendi. Tantùm adde, coerceri virtutes elementorum à forma mixti, ne operentur, vt virtutes elementorum, sed vt eius mixti propria natura postulat. Et verè par est, si elementa insunt ad mixtum componendum, ordinari eadem ad mixti perfectionem, non autem destructionem.

943 Instant aliqui: si ponantur hæ proprietates, & virtutes elementorum, primas qualitates non fore primas, quia sunt hæ virtutes primis priores, & certè de prædicamento qualitatis erunt, sicut naturales potentiæ, vel impotentiæ. Hæc instantia vim facit in nomine, & ideo vim nullã habet. Respondeo, ad hoc, vt quæ dicuntur primæ qualitates, primarum nomen retineant, satis esse, si primæ sensibiles sint, & ex quarum temperamento secundæ nascantur.

944 Alia

a Ex Bonamic. lib.5.de motu. cap.35.
b Lib.8. phys. Com. 105.

944 Alia suspicio est, ne idem in se ipsum agat in antiperistasi. Vsurpatum est aliquandò à *a* Platone hoc nomen in motu locali; & ex huius opinione magis, quam ex Aristotelica, *b* Simplicius antiperistasim describit, cum aliquod corpus à corpore expellitur, & hoc expulsum expellit aliud, donec vltimò expulsum succedat in locum primi expellentis. Nunc huius vocis vsus est in alteratione, cum contrarium, contrario obsessum fit ex ipsa obsidione validius, tantùm abest, vt expugnetur.

c Li.1.meteor. Sum.3.cap.2.
d Ibidem.
e Sect.24.Problem num.8.
f Marsil. veneti, Thien. Alberti de Sax.in 1.de Gene.Forol. in 1. Aphor. nu. 15.& 18.

945 Enim verò noti sunt effectus, vtinam, & causa pariter. Hi ex Aristotelis animaduersione: *c* Aquæ guttula non frigidissima per aerem calidum decidens riget, & conglaciatur in grandinem. *d* Partes internę terrę in æstate, cum cœlum æstuat, frigidiores sunt, in summo hyemis frigore tepidiores. *e* Thermæ feruentiores in hyeme sunt, quam in æstate. Præ manibus quotidiè sunt alia complura experimenta.

946 Subtilis hac in re non *f* paucorum ratiocinatio est, exire à contrario obsesso qualitatum species intentionales; has incidentes in contrarium obsidés retrocedere, &, quasi ab extrinseco agente venirent, producere intensiorem qualitatem in illo ipso principio, vndè primùm progressæ sunt. Ponunt hi id, quod censeo, esse falsum, actionem inter primas qualitates fieri per species intentionales. Præthereà, si vis speciebus his inest à reali qualitate, qua ratione fit, vt agant intensius, quam ipsæ qualitates sint?

947 Censeo complures antiperistasis effectus explicari, quia, contrarium contrario circumobsistente, partium quarumdam impeditur transmissio, aut fit citior euocatio iuxtà diuersam contrariorum rationem. Quædam sunt modicè calida, quia calidiores particulæ transpirant, & abeunt; Si tamen frigido obsidente non pateat exitus, quæ modicè calida videbantur, obstante frigore, calidiora fient, non à frigido, nec à se ipsis, sed à sui partibus calidioribus. Sic modicè frigidum frigidius fit euocatis partibus minùs frigidis, dum calidum circunstat.

g Fracast. lib. de Sympat.ca. 4.& 5.

948 Sed haud scio, an hęc statui possit vniuersalis causa omnium effectuum. Addo igitur, innatam esse vim contrario, vt à contrario fugiat, id quod rerũ, etiam inanimatarum auersiones, & antipathię docent. Nihil hic definio, an hæc fuga sit per aliquam qualitatem motiuam superadditam, quod *g* alicui probabile visum est. satis est mihi effectus ad nouum ex eo effectum cognoscendum.

949 Pono item maiorem intensionem per antiperistasim, cum non fit per euaporationem, vel obstructionem, vt modo dixi, nunquam fieri, nisi contrarium, quod inclusum, obsessumq; est, magnam contineat varietatem partiũ, inter se in qualitate dissimilium. His autem positis, causam reddo maioris intensionis absq; eo, quod idem in se ipsum agat, á partium magis intensarum congregatione, ex fuga contrarij; Tunc.n.hæ vnitæ validiores, sui qualitatem latè diffundunt.

h Lib.1.de Genc.t 43.

950 Neq; facere hæc, & pati possunt propriè, inquit *h* Aristoteles, quæ non est possibile, se inuicem tangere. Vera hæc sunt de physicis agentibus, inter quę distinctio est suppositi à supposito: Nimirũ distinctio esse debet, qualem

ſuprà explicaui, ſed neceſſaria nihilominus eſt in ipſa diſtinctione coniunctio, & hæc dicitur contactus. De Deo, qui infinitã agendi vim habet, an, ſi diſtare poſſet, in diſtans ageret, viderint *a* Theologi. Ego de creatis agẽtibus loquor.

951 Contactus multiplex eſt, ipſo interprete *b* Ariſtotele. Se ſe tangunt, quæ in eodem loco ſunt per contactum extremorum, qui contactus dicitur mathematicus. Phyſice item ſe ſe dicuntur tangere, quæ in eodem loco ſunt, ratione eiuſdem virtutis motiuæ, ideſt leuitatis ſurſum, grauitatis deorſum. Sed magis propriè phyſicus contactus eſt, cum vnius virtus actiua ſe ſe extẽdit ad alterum, quod patiatur. Coniunctus quandoq; eſt hic tertius cõtactus cum primo, alias non; ſemper tamen ad actionem neceſſarius eſt.

a Cum Magiſtro in 1. diſt. 37. Cũ D. Tho. 1. p. q. 8.

b Lib. 1. de Gene. t. 44. et 45.

952 Vbi tamen virtus agentis attingat paſſum, ideq; mathematicè tangat, actio dicitur ab agẽte immediato immediatione ſuppoſiti. Cũ verò eiuſdem agentis virtus ad paſſum pertinet in certa quadam diſtantia, tunc etiam actio per contactum fit, phyſicum videlicet, & eſt ab agente immediato, non immediatione ſuppoſiti, ſed virtutis per medium transfuſæ.

953 Dubium hic ſe offert, non vulgare: An; cum agens agit in diſtans, per ſuę virtutis diffuſionem actionẽ in paſſo mathematicè diſtante habeat ſimul, ac primùm incipit agere, actionem, inquam, à ſe immediatè dependentem, quamquam non ſine alteratione medij interiacentis: An potius agat ipſum in vicinam aliquam medij partem, mox medium hoc ſine concurſu agentis principalis in partem proximam, & ſic deinceps. Placet illud primum, & in hoc ſenſu concedo actionem in diſtans.

954 Sed hanc ipſam concedant, neceſſe eſt, ij, qui negant; niſi in incõmodum, fortaſſe grauius, incidere velint. Etenim, ſi, dum agens agit, incipit primùm agere in vnam partem, mox non ſua actione, ſed particulæ huius à ſe alteratę, ſuam virtutem diffundit in alias; interrogo, an immediatè ſua actione ſolam tangat ſuperficiem, per quã contactus mathematicus eſt? hoc ſi dicãt, graue enim vero incommodum eſt, & non vlteriùs progredietur alteratio, quam creſcat profunditas appoſita ſuperficiei ſuperficie: An verò pertineat agentis actio ad aliquam profunditatem? Hoc ſi dicunt, actio in diſtans eſt.

955 Sed quamuis agens immediatã ſuam actionem longè, lateq; extendat ad totam ſphæram ſimul; qualitas tamen, quæ producitur, non eſt in omnibus partibus par, ſed cum quadam difformi vniformitate intenſior producitur, & citiùs in viciniori parte, quam in remotiori. Et quamuis ſimul totum medium incipiat alterari; alteratio tamen, tum ratione durationis, tum ratione termini ſucceſſiua eſt, vt *c* ſupra tradidi.

c Hoc eodem lib. ca. pręced.

956 Habenda hic eſt aliqua ratio diuerſitatis agentium, qualitatumq;, quę ab ijs ſunt. Quædam ſunt, quorum effectus à cauſæ præſentia pendent, vt lumen à ſole, alia, quorum effectus etiam remota cauſa durant, vt calor ignis ab igne. Certior eſt ea, quam damus, actio in diſtans in illis primis, quam in his ſecundis, ſi experientias ſpectes; ſed par eſt horum, & illorum ratio, ſi attẽdas ad rationem. Experientiæ verò in ipſam naturam qualitatum, non in agendi modum reducendæ ſunt.

957 Certum eſt omnibus id, quod perſpicuè tradit *a* Ariſtoteles, vt actio ſit ab agente in paſſum, inimicitias quaſdam intercedere omnino debere à diſſimilitudine. In quo tamen diſſidium hoc eſſe debeat, non æquè eſt certũ; Sed ſicut inter eos bella naſcuntur nunquam, inter quos nullum vitę commercium eſt, licet morum diuerſitas magna ſit, ità nec actio inter agens, & paſſum, niſi aliqua fuerit in ipſa diſſimilitudine conuenientia.

958 Hoc ſi *b* Democritus velit, vera illa ſunt, quæ ab omnium Philoſophorum ſententia aliena videri potuerunt: Idem, & ſimile eſt faciens, & patiens, non.n.contingit altera, & differentia pati ab inuicẽ; ſed ſi altera exiſtentia faciunt aliquid ad inuicem, non ſecundum quod altera, ſed ſecundum quod idem aliquid inexiſtit, ſic accidit hoc eis. Sed an hæc fuerit Democriti ſententia, malo Ariſtotelis iudicio ſtare, quam meo.

959 Quæ in controuerſiam venire poſſunt in hac conuenienti diſſimilitudine actiuorum, & paſſiuorum ad inuicem, hæc ſunt. Si conuenientia fuerit in ratione qualitatis actiuę, ſed diſſimilitudo, & contrarietas in ſpecie; & gradu. Si nulla fuerit in ſpecie diſſimilitudo, ſed in ſolo gradu. Si nulla in ſpecie, nec in gradu, ſed in adiũctis quibuſdã, quibus experiẽtia docet, iuuari plurimũ actionẽ, vt in magnitudine, & paruitate, denſitate, & raritate &c. Vbi diſſimilitudo in ſpecie, & gradu ſit, certa eſt actio, ſi debitè actiua paſſiuis fuerint applicata.

960 *c* Sunt, qui pariter futuram actionem opinentur, vbi in ſpecie, & gradu ſimilitudo fuerit, & diſſimilitudo in illis adiunctis. Sic *d* flamma maior minorem deuorat. Non probo hanc ſententiã, ſed neceſſariã reor diſſimilitudinem in gradu; Adiuncta verò illa, ſi quid præſtent, facere ſolum velociorem actionem, non autem ad maiorem intenſionem, quam agens in ſe habeat.

961 Flamma maior, inquis, minorem deuorat. Sic reor, dices, à luce meridiani ſolis candelam extingui, parũ pro nihilo reputari in comparatione maioris &c. nihil ad rem præſentem. Quamquam, & minor ignis à maiori accendi poteſt, addita vi, ad particulas ſuccendendas, quæ ignem nondũ conceperunt; & adiuncta etiam ſæpè faciunt, vt ab agente actio ſit, à quo ſine debita magnitudine, denſitate, &c. nulla eſſet; Sed non eſt in his actus primus, nec ab his ſecundus.

962 Quid quod finis agentis eſt, aſſimilare ſibi paſſum? Aut non ſtabit commune hoc philoſophorũ axioma, aut vbi paſſum eã habuerit qualitatis intenſionem, quam agens, ſtabit actio. Etenim ſi porrò pergat, diſſimile fiet.

963 Ais ſimilitudinẽ fore in eo, quod agens ſi minus formaliter, virtute certè continet ex eorum adiunctorum adiumento. Sed iſtud ego mihi probari velim, contineri virtute ſuprà formalis qualitatis intenſionem hic, vbi de agẽte vniuoco is eſt, & de vniuoco ſatis diſertè loquitur *e* Ariſtoteles.

964 Hæc, quæ de agentis, & paſſi conuenientia in eſſe actiui, & paſſiui; diſſimilitudine in gradu antè actionem; ſimilitudine poſt actionem dicta ſunt, petunt, qui fiat id, quod fieri certum mihi eſt, quicquid contrà opinentur *f* nonnulli, vt accidentia producant ſubſtantiam, cum tamen diuerſa hęc toto genere ſint, & in fine nulla ſit ſimilitudo.

965 Aio cũ D. *g* Thoma, & vniuerſa fermè familia, ineſſe aliquibus accidentibus

a Lib. 1. de Gene. à t. 46.

b Apud Ariſt. lib. 1. de Gene. t. 47.

c Marſil. Niphus. Toletus in. primũ de Gene. Sotus. lib. 2. phyſ.

d Ex Ariſt. lib. 1. de Gene. t. 46. De lõgitudine & breuit. vitæ cap. 2.

e Lib. 1. de Gene. t. 51. & lib. 3. phyſic. t. 17.

f Scotus Mairo Och. in 4. diſt. 12.

g 3. p. q. 77. & 1. p. q. 45. vbi Caiet. Ferrar. 4. cõtrà Gent. cap. 66. Capr. in 4. diſt. 12.

tibus vim inſtrumentalẽ,quà ſubſtantiæ productionẽ attingunt; inſtrumenta verò cum ſint, non in virtute propria agunt, ſed in virtute ſubſtantiæ, quæ videlicet eſt agens in hoc opere principale, ſibique ſimile producit, quatenus vnicuiq; actiuo naturaliſſimum eſt,producere aliud,quale ipſum fuerit.

966 Vbi de hac inſtrumentali accidentium actione diſſeritur, venit item in diſputationem,an ſubſtantia ſit actiua immediatè,quin etiam,an vllo modo actiua ſit. Inter duo extrema,placet medium.

967 Vnum extremũ eſt *a* quicquid actione phyſica producitur,eſſe ab accidentibus, nulla, vel actualiter, vel virtualiter, ſubſtantia concurrente. Alterum extremum eſt, ab accidente nonniſi accidens eſſe, *b* ſubſtantiam verò nulla ratione ab accidente eſſe, ſed ab ſimili ſubſtantia immediatè. Medium, & in medio verum eſt, eſſe *c* ſubſtantiam actiuam, ſed non immediatè, agere nimirum ipſam, ſed vti accidentibus, tanquam inſtrumentis.

968 Inſtrumentum illud eſt, quod ab agente principali aſſumitur ad aliquid faciendum. Huius cauſalitas *d* alibi à me tradita eſt; hic addo, quod ſpectat ad actionem accidentium, qua accidens producit accidens, non eſſe inſtrumentum, ſed cauſam principalem, nec enim effectus virtutem cauſæ ſuperat, vndè non indiget, ab alio eleuari ſupra ſuas vires, quia habet virium ſatis in ſe. Quà verò idem accidens producit effectum nobiliorem ſe, ideſt ſubſtantiam, hic indiget, vt ab alio aſſumatur,& eleuetur.

969 Sed rurſus, *e* cum inſtrumentum quoddam ex natura ſua coniunctum ſit, nec operetur ſine actuali concurſu principalis cauſæ, quoddam verò ſeparatum, quod, etiam non exiſtente principali cauſa, exequitur id, quod ſemel demandatum eſt, accidentia vim inſtrumenti habent etiam ſeparati. Sæpè operantur ſubſtantia cooperante; ſed ſi hęc abſit aliquandò,operantur illa nihilominus,in virtute tamẽ abſentis ſubſtantiæ.

970 Sed quid eſt (inquies) iſthæc ſubſtantiæ virtus in accidente? *f* Opinatur non nemo, virtutem hanc eſſe qualitatem quandam, entitati accidentis ſuperadditam.Non placet,nam ſi hæc virtus accidens ſit, par eſt difficultas huius virtutis,& ipſius accidentis; Et verò, ſi quid ſit, accidens erit,nam eſſe ſubſtantiam,nemo dicat.

971 Opinantur *g* alij,in ipſa operatione recipere accidens motionẽ quãdam in ſe,vt inde aptum fiat ad ſubſtãtię productionem.Neq; id placet;nam quæ tandem hæc motio ſit,vbi nullum eſt mouens, quia ſubſtantia, cuius accidens inſtrumentum eſt,nulla adeſt?

972 Sentio igitur hac in re cum *h* Caietano;quamuis amicus non ſim eorum terminorũ,qui rem magis obſcurant,quã declarant: Cũ dicitur accidẽs agere in virtute ſubſtantiæ,conſtructio eſt(inquit ille) intranſitiua,nõ autem tranſitiua. Rem eandẽ habes verbis clarioribus; Cũ dicitur in virtute, nõ intelligas aliquid, quod à ſubſtantia tranſeat ad accidens, ſed ipſam accidentis entitatem, quæ permanenter in ſe ipſa, & à propria natura habet vim attingendi inſtrumentaliter ſubſtantiæ productionem.

a Sentẽtia Auic. in meta. & Auicemb. in lib. Fontis vitæ vt refert D.Tho.3. contra Gent.c.69.

b Ita Scotus cũ alijs.in 4.d.12.

c ita D.Tho. cum ſuis, locis cit.

d Hoc eodem lib.2. ca.5.

e Deducitur hæc diuiſio ex Ariſt.1.Polit. c.3. traditur à D.Thom. 3.p. q.62.a.5.

f Capr. in 4.d. 1.q.1.a.3.

g Apud Dur. in 4.d.1.q.4.

h 1.p.q.77. a.1.

 973 Veren-

973 Verentur hic aliqui, ne hæc ipſa ſit principalis agentis cauſalitas; Quid enim ad eam deeſt, & quid tandem haberet amplius, vel operaretur accidens, ſi non aliena virtute, ſed propria operaretur? Dico ad hæc breuiter, cum accidens in accidentis productione cauſa eſt principalis, operari prout eſt actu, & effectum attingere, aut æqualis, aut certè non maioris perfectionis; Cum verò inſtrumentum eſt, attingere effectum ſe nobiliorem, & virtualem quandam habere cum alio agente coniunctionem, qualem non habet in accidentis productione.

974 Si particularem aliquam ſubſtantiæ generationem inſpiciamus, quandam in accidentibus differentiam eſſe, comperiemus, quæ maiorem huius rei poſtulat declarationem. Cum ignis ignem ex diſpoſita materia facit, ſunt in agente calor, & ſiccitas, ſunt item in paſſo eædem qualitates per præuiam alterationem introductæ. Quæ ſunt (inquies) illa accidentia, quæ inſtrumentaliter ignis producendi formam attingent? Reſpondeo vtraque eſſe, cum vtraque adſunt, ſed quæ ſe tenent ex parte agentis non ſemper adſunt, vt cum ignis accenditur à cauſa æquiuoca.

975 Inſtant hic aliqui; ſi vtraque aliquandò concurrunt, certè non vt duo inſtrumenta totalia; nā contrà eſt Philoſophorū, Theologorumq; *a* cōſenſus, vbi agitur de effectibus naturalibus; neq; vt duo inſtrumenta partialia; nam applicatio eadem eſt, & vis ad totum, tam his, quam illis ineſt. Putat hic *b* aliquis, Deum naturæ auctorem determinare, vt vim inſtrumenti exerceant accidentia paſſi potius, quam agentis. Non video neceſſitatem huius determinationis extrinſecę, nec cur non poſſit vna ignis productio ab vtriſq; inſtrumentaliter pendere, tanquam à partialibus inſtrumentis, partialibus, inquam, non ex neceſſitate, ſed ex contingenti concurſu, qui non ſemper eſt.

976 Agens agendo repati, ſæpiùs *c* Ariſtoteles tradit, & verò certiſſimæ monſtrant experientiæ. Quod verò rem facit explicatu minimè facilem, eſt, quod agens illo ipſo tempore, quo agit, & ſecundū eandem partem, & ſecundùm eandem contrarietatem repatitur ab illo ipſo paſſo, in quod agit. Negarunt hoc *d* aliqui, ſed manifeſtas negant experientias, quas dum ſaluare nituntur, in maiores incidunt difficultates.

977 Vbi verò talis reactio concedatur, contrà adeſt Calculator, ſuo illo argumento, quo ſibi apud *e* quoſdam egregium ſapientis nomen, apud alios *f* verſatilis cauillatoris fecit; tam varia ſunt hominum vna de re iudicia. Si talis (inquit) admittitur reactio, mouebitur idem motibus contrarijs, pars nimirum repaſſa à paſſo principali, eademq; à non repaſſa, cum qua facta iam diſſimilitudo eſt per reactionem.

978 Negant *g* aliqui, duos futuros motus in parte repaſſa, quia cū huius vnitas numerica deſumatur ex vnitate temporis, ſubiecti, & termini ad quē, nihil hic deeſt ad vnitatē, duobusque eodem tempore agentibus in vnā partem, vnam producunt qualitatem mediam. Si hi mihi mediam illam qualitatem vnā probarent, non magna inter nos fortaſſe eſſet diſſenſio, ſed nego, duas qualitates primas contrarias ità miſceri inter ſe in eodem ſubiecto, vt mediam vnam faciant ſpecie diſtinctam.

a Vt videre eſt apud D. Tho. 1. p. q. 52. a. 3. & 3. p. q. 82. a. 2. item apud Scotum in 3. d. & q. 2. & in 2. d. 20. q. 2.

b Franciſcus Albert. tom. 1. Coroll. principio 2. cōcl. 4.

c Lib. 1. de Gener. t. 53. lib. 3. phyſic. t. 8. & 16.

d Marſil. q. 1. de Gener. Niph. in 3. phyſi. Io. Suiſſet cognomento Calculator.

e Cardan. li. 6. de ſubtil. vbi hunc numerat quartum inter duodecim ſapientes.

f Bonamic li. 8. de motu. ca. 44.

g Zabar. lib. de react. cap. 8.

979 Cautiores *a* alij negãt,id,quod Calculator in sua ratione supponit,nec timent duos contrarios motus in parte repassa, quia censent, nullam in eandem esse actionem à parte non repassa. Hoc si probent, difficultatem exhauriunt; sed non facile est rationem afferre, cur pars non repassa non sit debitè applicata repassæ.

980 Oratoriè,arbitror,illa dicuntur à quibusdam *b* Doctoribus, vbi causam reddunt, cur pars non repassa non agat; Quia (inquiunt) cum externo hoste ità occupatur,ad eumq; vincendum omnem vim suam confert, vt illius partis dispendium quasi dissimulet, donec parta victoria, eam in suum pristinum statum vindicet.

981 Ego duo habeo, quæ hac in re afferam. Primum est, tantum aliquandò futurum excessum agentis principalis in passum, vt quamuis passum reagat, reactio statim cesset, quia pars non repassa validior reactionem poterit impedire. Datur hic reactio, antè quam nulla est ratio, cur pars non repassa agat in eam, quæ repatitur, quia similis est, post eam verò aget pars non repassa, sed iam reactio admissa est. Nec instes, cur non prius excluditur, nam aliqua prius admittenda est, antequam excludatur, quantulacunque ea sit, eaque satis est ad reactionem asserendam; nec tamen sequitur, vt idem contrarijs motibus moueatur.

982 Alterum est, si aliquandò validior fuerit passi uis, vt reactio diutiùs duret, tunc in eandem partem acturum passum principale, itemque partem non repassam; Et nego, eos motus futuros contrarios, si contrarietas accipiatur, sicut re vera accipi debet, ex graduum pugna. Sit pro exemplo duorum notissimorum contrariorum comparatio, caloris, & frigoris. Primo gradui caloris opponitur non quilibet frigoris, sed octauus, secundo septimus, tertio sextus, & sic deinceps.

983 Nulla igitur repugnantia erit, si idem subiectum aptum in se recipere caloris, & frigoris admixtionem, idem simul calefiat, & frigefiat, dummodo mixtura non superet octauum gradum, nec ab eodem deficiat, & sanè sic fiet, quia quantum additur ab vno agente de vna qualitate, tantum ab altero tollitur de eadem per contrariæ additionem. Nec verò idem simul fit, & corrumpitur; est enim in vna qualitate materialis entitatis diuisio.

984 Alterum, quod reactionem difficilem facit *c* Alijs, est, quia actio secundùm excessum est, & à virtute, quæ præualeat, si ergo agens præualet in passum, qui fit, vt à passo repatiatur? Distingue hic cum probatis *d* auctoribus vim agendi à vi resistendi; cæteris enim paribus non est par ratio in his, & ità à sapientissimo rerum omnium ordinatore prouisum est, vt quæ est qualitas actiua magis, resistat minus. Agens ergò, quod præualet in agendo, à qualitate minus actiua pati potest, quia non pariter præualet in resistendo.

985 Resistentia triplex distingui potest, Contraria, cum quod resistit, reagit; Negatiua, cum quod resistit, extrinseci agentis actionẽ non admittit; Priuatiua, cum admittit, sed lentam, ac tardam. vndè habes contrà quosdam

a Paul. Venetus, Caiet. in 1. de Gener.

b Conimb. li. 1. de Gener. in c. 9. q. 11. a. 5.

c Burl. lib. 3. phys. t. 8. Nipho ibid.

d Alb. de Sax. Marsil. Caiet. Thien. & alijs vel in 1. de Gener. vel in particularib. tract. de reactione.

a Philosophos; resistentiam non semper esse actionem; quamuis ex nomine conceptum quendam habeat actionis: Illa priuatiua est, de qua fit comparatio inter primas qualitates pugnantes, & repugnantes.

a Apud Pompon. sect. 2. c. 5

MIXTIO.

CAP. XVIII.

986 AD mixtionem referuntur, quæ hactenus de generatione, alteratione, actione, & passione, dicta sunt. Suppono hanc dari, quam ex *b* Philosophis antiquis complures, sed leuibus argumentis, negarunt.

987 Quid verò ea sit, non pariter omnes tradunt. Vim nominis *c* aliqui spectantes, distinguunt mixtionem ex materia, vel enim humida miscentur, & dicitur mixtio, vel sicca, & dicitur crasis. Hæc tamen, de qua loquitur *d* Aristoteles ex humidis, ac siccis est, & tamen passim *e* crasis dicitur.

988 Melius mixtio hæc, non solum ab aggregatione siccorum, sed à compositione, & temperamento distinguitur. Quod spectat ad compositionem omnis mixtio compositio est, sed non contrà; nam compositum dicitur in physicis, quod constat ex actu, & potentia, & totum dissimilare, cuius singulæ partes similares fuerint; item in metaphysicis, quod constat ex genere, & differentia, ex ente, & essentia; nec tamen hæc propterea mixta sunt aut dicuntur. *f* Alicubi etiam Aristoteles compositionem á mixtione contra distinguit, quia ipsius mixtionis acceptio non vna est.

989 Temperamentum dicitur ipsa mixtura primarum qualitatum, cum calor frigore téperatur, humor siccitate. Præit hoc vt dispositio ad formã mixti, &

b Apud Alex. tract. de mixt.

c Card. lib. 5. de subtil. & Bonam. 8. de motu c. 48.

d Lib. 1. de Gener. à t. 82. & lib. 2. à t. 46.

e κρᾶσις.

f Lib. 1. de Gener. à t. 6.

ti,& in huius conseruatione sita potissimum est mixti substantialis integritas, & eius naturalis status; præit igitur ipsam formalem mixtionem, quæ in formæ mixti productione sita est; sequitur autem antecedentem quandam naturalem mixtionem, quæ est in concursu plurium elementorum, secundùm substantiam ad mixtum componendum concurrentium.

990 Mixtum ex miscibilibus est, sed vt propria huius mixtionis ratio, de qua loquor, constet, accipiendæ sunt ex Aristotele certæ quædam miscibilium conditiones, ex quibus, tum materialis mixtio, tum formalis certius dignoscatur. Conuenit (inquit *a* Aristoteles) miscibili, esse in mixto potentia, non autem actu. hoc intellige, esse partem potentialem in mixto, ideſt materialem, non actualem; quia præter materialem elementorum conuentum, noua forma necessaria est, quæ huic pręparatæ materiæ superinducta faciat formale mixtum.

a Lib. 1. de Gener. t. 84.

991 Debet præterea miscibile esse substantia: etenim, ipsaq; hæc est *b* Aristotelis ratio: si mixtum dissoluatur, debent miscibilia posse existere separata; Hoc verò non habent accidentia, sed substantiæ, vndè habes, cur temperamentum mixtio non sit: Passionum (inquit Aristoteles) nulla separabilis; Nec verò quælibet substantiæ esse debent, sed in eadem *c* materia conuenientes, vt nimirum ad inuicem agere, & pati possint.

b Lib. 1. de Gener. t. 83.

c Ibid. t. 87.

992 Quoniam verò ad mixturam hanc pars parti aptè congruere debet, debent miscibilia in minutissimas partes *d* diuidi, ideq; pro mixti terminatione, proque actione mutua, necessarium est.

d Ibid. t. 88.

993 Item pro ea diuisione, & actione simul debent eadem proportionatam quandam habere magnitudinem ad inuicem; cum enim hæc plurimum adiuuet actiuitatem agentis, si vnum ex miscibilibus reliqua suprà id, quod par est, excedat, non erit mixtio, sed transmutatio: Gutta vini (inquit *e* Aristoteles) decem millibus congijs aquæ non miscetur, soluitur enim forma, & mutatur in vniuersam aquam.

e eod. t. 88.

994 Ex parùm apta proportione miscibilium, vel in actiuitate, ac resistentia, vel in magnitudine, mixta quædam incertæ notionis fiunt, vt dubites, mixta ne sint, adeò pręualet vnum aliquod ex miscibilibus. Balbutientia dixit hæc alicubi *f* Aristoteles. & verò aptissimo translato; nam sicut in his, qui balbutiunt, linguæ vitium idem ferè sonat in incerto sono malè articulatarum vocum, ità si mixtum sit, in quo pręualeat v. g. aqua, aquã ferè sentias, incertus, an subsit alia natura.

f Eod. lib. 1. de Gener. t. 90.

995 Has omnes miscibilium conditiones primò, & per se participant prima quatuor elementa; Si mixtum ex mixtis aliquando misceatur, aut artificiale erit, ideſt aggregatum per accidens, aut si naturale, secundariam quandam miscibilium rationem ea mixta habebunt, in virtute elementorum, vt primorum miscibilium.

996 Et quamuis in ipsa formali mixtione communiter dictæ generationis ratio reperiatur, quia est mutatio totius in totũ &c. ex prærequisito tamen miscibilium concursu distinguitur à simpliciter dicta generatione hæc specialis, quæ mixtio dicitur.

a Lib. 1. de gene. t. 90.

b Lib. 4. meteor. sum. 1. cap. 2.

c Hoc eod. lib. 2. ca. 31.

997 Ex hac hactenus tradita doctrina colligit *a* Aristoteles, vel explicat mixtionis definitionem. Dicitur esse mixtio, miscibilium alteratorum vnio. Paulo distinctius id ipsum *b* alibi, habita ratione non solũ primarij effectus quatuor qualitatum, sed etiã secundarij, *c* vt infrà dicã: est, inquit, simplex & naturalis generatio, transmutatio ab his virtutibus, cum habeant rationem ex subiecta materia vnicuiq; naturæ: Virtutes appellat quatuor elementorum qualitates, ex quibus elementa fiunt proportionata materia mixtorum.

998 Sed vt distinctius mixtionis rationem accipias, plura in ea dispicienda sunt. Est elementorum congressus ad pugnã, in qua omnes primę qualitates actiuè se habent, eædemq; passiuè. Est elementorum apta quædam terminatio, in qua duæ ex ijsdem qualitatibus actiuè se se habere dicuntur, calor, & frigus, reliquæ duæ passiuè, humor, & siccitas. Est deniq; ipsa productio formæ mixti, vbi materia satis præparata fuerit.

d Emped. contra quem Aristo. multa. li. 1. de Genera.

e Mercen. Dilucid. de Mixtione.

999 Fuerunt olim, qui *d* mixtionis rationem ponerent in illo primo, sed ea præuia est, & solum materialis. Fuerunt hac etiam nostra ætate, *e* qui eandem sitam esse dicerent in illo secundo; sed illa ipsa ad mixtum præparatio est, & ex parte materię se habet. Formalis igitur mixti ratio est in formæ mixti productione (animam rationalem semper excipio) ex tali, & in tali materia, & in hac ipsa sita est formalis miscibilium alteratorum vnio.

f Scotus in 2. d. 15. cũ suis.

1000 Concurrunt ad mixtionem elementa. Mirum verò est in quæstione, quam Aristoteles, si vnquã aliam disertissimè tradidit, tantam esse sententiarum varietatem inter eos ipsos, qui sequi se Aristotelis doctrinam profitentur. Volunt aliqui, *f* concurrere, sed in conflictu tantam esse singulorum alterationem, vt corrumpantur, nec nisi materiam primam superesse. Non placet hæc sententia, quia mixtionem à simpliciter dicta generatione non distinguit, nec explicat, cur potius dicatur mixtio, cum fit ex elementis quid tertium, quam cum ex pluribus elementis elementum.

g Auer. cum suis vel in 3. de cælo vel in primum de Genera.

h In Prædic. c. de substantia.

1001 Hoc vt effugiant *g* alij, censent, manere in mixto producto elementorum formas, sed refractas. Refractionem hanc, vel diminutionem non eadem omnes ratione tradunt, fatentur aliqui, suscipere elementa magis, & minus, quia substantię sunt imperfectæ. Stare hoc nulla ratione crediderim in doctrina *h* Aristotelis, qui diserte negat, substantiam suscipere magis, & minus. Nec difficultatem effugis, vbi dicis, esse substantias imperfectas; nam vndè isthæc imperfectio, cum completæ sint, & prædicamentales?

i Insinuat Gregor. in 2. d. 15. q. 1. sequuntur recentiores.

1002 Diminutionem quandam excogitarunt *i* alij facta compositione in elementorum formis, simili illius, quæ in ipso toto est; Volunt cõstare formam ex materia, & forma, vel ex materialitate quadam, & actualitate, separarique has, vbi mixtum generatur, remanente in mixto materialitate, ratione cuius dicatur elemẽtum manere actu, amissa actualitate; Non displiceret hæc sententia, si vel vestigium appareret in Aristotelis libris, huius nouæ, ne dixerim portentosæ, compositionis in formis elementorum.

K Alex. lib. de mix. Philop. et aliorũ Grecor. in 1. de Gener.

1003 Mea igitur, & nobilissimorum *k* auctorum sententia est, manere elementa in mixto actu integra secundum substantiam completam elementi,

refracta

refracta secundum qualitates. Hoc quisquis dixerit, an non diserte dixerit illud ipsum, quod Aristoteles disertissime, esse mixtum ex elemētis tātum alteratis? An sola dicatur alteratio, si formæ corrumpantur, aut minuantur? Sed sic (inquiunt) interpretamur illud, alteratorum, idest corruptorum. Scilicet hoc non est alterare textum, sed corrumpere.

1004 In alterum extremum secessit *a* alius, qui ponit in mixto elementa, & secundum formæ substantialis integritatem, & secundum debitam qualitatum intensionem; addit tamen, elementorum uires fuisse in pugna debilitatas, & fractas. Non placet hæc sententia; nam quid est tandem debilitari, ac remitti elementorum vires, si qualitates, quæ ipsæ sunt elementorum virtutes, integræ sunt? vires ab his virtutibus insunt, & verò integræ, si virtutes debitam habuerint intensionem.

a Fernel. lib. 3. de temper. c. 2.

1005 Habes autem ex mea sententia corollarium, in vno composito substantiali posse plures substantiales formas reperiri, si sub vna totali, à qua compositum denominatur, aliæ, quæ respectu materiæ habent rationem actus, habeant respectu totalis formæ rationem potentiæ, & materialis dispositionis.

1006 Nihil nouum dicitur in hac quæstione, quod non dicatur à pluribus, & ab illis ipsis, qui elementorum integras formas ab elementis excludunt, in alia quæstione de partialibus formis animæ subordinatis. Habeo igitur ego in multorum sententia exemplum pro formarum multiplicatione in eodem subiecto, quod aduersarij non habent pro earundem formarum refractione, aut imminutione.

1007 Diuersa tamen ratio esse potest, has partiales formas in mixtis admittendi; videlicet, vel vt singulæ insint in qualibet parte mixti, vel vt facta in minutissimas partes elementorum diuisione retineat quælibet particula suam formam partialem, & vnica sit forma mixti in omnibus illis partibus dissimilaribus. Non probo illud primum, sed hoc secundum.

1008 Quare mixti materia eterogenea est, simili quadam ratione, ac materia animæ; homogenea tamē rectè dicitur, quia sensu percipi non potest formarum varietas, secus, ac accidat in animatis, in quibus partium dissimilitudo sub sensum cadit.

1009 Exclamant hic aduersarij, doctrinam hanc esse minime Aristotelicā, quæ mixta agnoscit, alia homogenea, alia eterogenea; Quid plura? ex professo *b* Aristotelem contrà Empedoclem argumentari, improbando eam elementorum iuxtà positionem. Sed, amo, cessent á clamoribus, & à præiudicijs, quæ animum occuparunt. Similarium, ac dissimilarium distinctio ea est, quæ ex Aristotele habetur; ex hoc ergo si semel habuero, manere integra elementa in mixto, similare illud esse, quod ad sensum tale fuerit, non ego, sed ipse dixerit Aristoteles.

b Lib. 1. de Gener. à t. 86.

1010 Illa contrà Empedoclem sint, qui sola iuxtà positione mixtionem explicabat; aliam nullam superiorem formam addebat. Hoc improbat Aristoteles, hoc & mihi nunquam probabitur: Non est in minima diuisum esse, neque compositio idem, quod mixtio, inquit Aristoteles contrà Empedoclem;

doclem; Idem ego superiùs dixi, & contrà eundem, & contrà nostrates quosdam imitatores, qui rationem formalem mixtionis non in ipsa formæ mixti generatione collocant.

a Lib. 3. de cælo.t.32. lib. 1. de Gener.t.84.

1011 Sed quid ad ea dico, quæ sæpiùs in *a* Aristotelis scriptis repetuntur, elementa in mixtis non esse actu, sed virtute? Dico, quod ipse dicit Aristoteles de miscibilibus, & paulo ante retuli, manere secundum quoddam esse virtuale, & potentiale; quia non retinent elementi nomen, nec rationem totius, sed partis; quia, quantũuis integra maneãt, manẽt, vt partes materiales.

b Ita contrà Scotum Marsil.venetus, Saxon. Philop. Buccafer. & alij in 1. de Gener.

1012 Deniq; ad mixtum hac ratione componendum, ac miscendum, plura *b* miscibilia necessaria sunt, ex quorum entitate mixti materia suppetat, & ex quorum qualitatibus mixti temperamentum fiat.

1013 Non requiro in singulis mixtis concursum quatuor elementorum secundùm substantiam; etenim, vel si duo solidioris substantiæ fuerint, in pugna facilè possunt aliquæ particulæ transmutari in tertium, vel in quartum; prout actio fuerit, & mixti natura postulauerit. Sed neq; placet id, quod asserit *c* Cardanus, ex duobus tantum elementis misceri omnia, aqua videlicet & terra.

c Lib. 5. de subtil.

1014 Ex vnico elemento fieri mixtum aliquando poterit, si extrinseca agentia ità illud transmutent, vt aliquæ partes illius elementi naturam retineant, aliæ in alia transmutentur. Facta videlicet hac trãsmutatione, nihil repugnat, illa diuidi, misceri, in certo aliquo temperamento stare, quod alicuius mixti proprium sit. Sic multa generantur imperfecta mixta, sed & perfecta aliquandò.

MIXTORVM imperfectorum Generatio.

CAP. XIX.

1015 EXPLICATA generatione, ac mixtione in vniuersum, ad ea ipsa, quæ ex elementis generantur, ac miscentur aggredior. Sequar autem naturæ ordinem, quæ exorditur ab imperfectis, vt ad perfectiora progrediatur. Mixta imperfecta alteratione potius, quam vera generatione fiunt, nec substantialiter accepta verè mixta sunt, sed potius simplicia, ipsa videlicet elementa, sed quia per alterationem valdè distant à naturali elementorum statu, mixta dicuntur cum addito.

1616 Horum mixtorum causa efficiens ex communi *a* Peripateticorum consensu est cœlum, & si de his loquamur, & ijs meteorologicis impressionibus, quæ ex his fiunt, accipi vniuersaliter potest illud *b* Aristotelis dictum de coniunctione, quæ necessario esse debet inter hũc inferiorẽ mundum elementarem, & superiorem cœlestem, vt omnis virtus indè gubernetur, vndè enim motus principium omnibus inest, illa causa putanda est prima.

1017 Sed quamuis hæc actio cœlo tribuatur, potissima tamen Sol est, & cum sole luna. ex quibus illum patrem, hanc matrem, horum sublimium effectuum, eleganter *c* aliquis appellauit.

1018 Materialis eorundem imperfectorum mixtorum causa, sunt elementa. Vbi de materiali causa mẽtio est, fere duplex distinguitur, remota, & proxima; Hic in simili distinctione æquiuocabis, nisi prius duplicẽ elementi transmutationem accipias. Prima est per alterationem, ex qua est vapor, & exhalatio, altera est per ipsius vaporis, aut exhalationis transmutationẽ, à qua sunt meteorologici effectus. Mixta imperfecta dicuntur, tum vapor, & exhalatio, tum

a Ex Arist. li. 1. Meteor. sũ. 1. cap. 2.

b Eod. cap. 2

c Pontanus in Meteoris.

tum effectus,qui ex his sunt;horum materia remota sunt elementa, proxima vapor,& exhalatio;vaporis verò ipsius, & exhalationis elementa sunt materia proxima.

1019 Sed quot sint effectus illius primæ transmutationis, non omnes pariter censent. Visus est *a* Plato vnicũ posuisse; substantiã videlicet aqueã,calidam,& humidam;calidam autem,& siccam non agnouit; Nam hæc terra esset, *b* terram verò is censuit,esse intransmutabilem,vndè eius partes, quæ in mixto latent, ignis ad agendum validissimus nunquam destruit, sed in cineres restant. Non placet hæc Platonis sententia, quia ex falso fundamento deducitur,terramq; esse transmutabilẽ, satis, superq; experientiæ probant.

a Vt refert Arist. lib. 1. Meteor. sum. 2. cap. 1.

b In Timæo vt refert Olympiodorus in 1. Meteor.

1020 Sunt, *c* qui hos effectus numerant quatuor, substantiam videlicet calidam,& siccam,frigidam,& siccam,calidam,& humidam,frigidam, & humidam; Sed hæc est ipsorum elementorum enumeratio,prout naturalis eorum status postulat potiùs,quam mixtorum imperfectorum, ex quibus effectus meteorologici sunt.

c Albertus. 1. Meteor. tr. 4. cap. 1.

1021 Nec verò ex eo, quod effectus alij frigidi, & sicci sunt, alij frigidi, & humidi,sequitur,vt eorum proxima materia pares obtineat qualitates; fit.n. à primis mixtis imperfectis ad hos effectus transmutatiò, aliquandò secundũ qualitates, aliàs etiã secundũ substantiã, vt cũ terreus halitus accenditur.

1022 Sentio igitur mixta imperfecta, quæ proximè ex elementis fiunt, & ex quibus extant meteorologici effectus, duplicis tantùm esse generis. Ità Aristoteles,qui de nomine minus, quàm de re solicitus, & numerum,& rem sic tradit; *d* Duæ sunt species exhalationis,hæc quidem humida,illa autem sicca;vocatur autem hæc quidem vapor, illa autem secundùm totum quidẽ innominata est, eo autem quòd in parte vtentes: necesse est vniuersaliter appellare ipsam veluti fumum.

d 2. Meteor. sum. 2. cap. 1.

1023 Ratio huius numeri est, quia meteorologicorum effectuum materia proxima calida esse debet, cum calore verò duplex tantum coniunctio est, humidi nimirum,& sicci.

1024 Hinc habes, vndè hæc duplex materia effectuũ meteorologicorũ immediatè fit.Ex elemẽtis vulgò dici solet, & quidẽ sic ipse loquitur *e* Aristot. quia simile veri est,partes quasdã aereas esse admixtas halitui illi,qui calidus, & humidus est, igneas aliquas alteri, qui calidus,& siccus est. Propria tñ sedes, vndè halitus humidus eleuatur,aqua est,vndè siccus,terra. A cęlo maximè per calorem,qui à lumine,& à motu est,operante,hæc duo elementa altẽrantur,decussoq; frigore,retinent illa reliquas qualitates, vndè attractus in altum halitus duplex est.

e Lib. 1. Meteor. sum. 1. c. 1. & 2.

1025 Propria horũ mixtorum imperfectorũ nomina,quæ iam vulgò à Philosophis vsurpantur,sunt Vapor,& Exhalatio: ille dicit halitum calidũ,& humidũ ex aqua calore cęli subleuatum; hęc dicit halitũ calidum,& siccum,ex terra,calore item cęli in superiorem partem euocatum.

1026 Differre hęc duo mixta accidentaliter proprię vniuscuiusq; demonstrant qualitates,& quamuis vtrunq; calidũ sit, exhalationis tamen calor uegetus magis est,quam vaporis pro coniunctione,quam habet cum siccitate.

1027 Diffe-

1027 Differentia etiam est inter eadem duo mixta essentialis, Est enim vapor substantialiter aqua, exhalatio substātialiter terra, idq; satis monstrat, quę vtriq; proprietas inest, sese ad suū statum reuocandi, nisi alterius agentis vis, id quod contingit in pluribus meteorologicis effectibus, quorū materia exhalatio est, in aliam naturam transmutauerit.

1028 Illud *a* Aristotelis: vaporē esse potētia aquā, exhalationē potētia ignē, nihil habet contrà hanc conclusionem, nam dicitur potentia aqua etiam id, quod actu aqua est, quia in aqueā impressionē trāsmutabitur: potentia ignis, quod actu terra est, quia in impressionem ignitam. Nunc horum eorundem effectuum communiores causas persequor.

a Lib. 1. meteor. sum. 1. cap. 4.

1029 Causam materialē ex dictis nouimus. Dixi etiam de efficiente, quę cęlum est, efficit hoc vapores, & exhalationes, ipsorum vero effectuū, qui ex his duobus halitibus transmutatis sequuntur, alia efficiens causa reddēda est, scilicet, vel ipsius elementi natura, si transmutatio fiat per reditum ad naturalē statū, vel aliqua extrinseca causa, quā ipse effectus facilè indicabit. In his quæ succēduntur, communiter aut motus, & agitatio materię, aut antiperistasis, aut vicinitas cum igne elementari efficit meteorologicum ostentum.

1030 Formalis eorūdem effectuum causa, propria est vniuscuiusq; forma; Sed non consueuerunt hic Philosophi hanc assignare; attendunt potius ad figuram, vel ad accidentarias quasdam proprietates, ex quibus his effectibus nomen impositum est, siq; aliundè patentiorem non habeant distinctionem, etiam distinguuntur. A loco dicti sunt meteorologici, quia qui in aere fiunt, vel plures sunt, vel magis noti, vel portentosi magis.

1031 Finalis causa multiplex dari potest. Ordinantur. n. à natura hi effectus ad mutuam permutationem, quæ est inter elementa; aliquandò ad mixti perfecti generationem, sæpissimè ad impuræ materiæ consumptionem, ad terræ fœcunditatem, aeris sanitatem, plurimosq; tum humanæ vitæ vsus, tum aliorū, quæ in hoc mundo elementari sunt, & ad ipsius hominis bonum, & ad bonum vniuersi. His ipsis aliquandò Deus mundi rector vsus est præter naturalem rerū cursum ad exterrendum, commonendum, puniendum hominem.

1032 Vt distinctè magis horum effectuum loca cognoscantur, videndum quorsum tendat eorum materia, vapor, & exhalatio, & vbi consistat. Sunt qui succensas exhalationes supra lunæ altitudinem vidisse se nunciant, sed id nouam postulat philosophandi rationem, in quam non ità facilis annuo. Hactenus creditum est, summum exhalationis locum esse supremam regionem, sed sit ne is summus, an secus, certum est, eò posse non exiguam copiam peruenire.

1033 Vapor tam altè non se effert, sed in media regione consistit, in qua aliquid item exhalationis remanere certum est. Idem dico de regione infima; tum vapor, tum exhalatio locum in hac habet.

1034 Intra terram plurimum item exhalationis clauditur, item ex maris fundo multæ extrahuntur, quæ sese aquis admiscent; In terra igitur, & in mari locum habent ijdem effectus, etiamsi sublimes non sint. Instar vaporis habet etiam aer, ad aqueas impressiones, si intrà terram inclusus frigore concrescat,

crescat,& à propria transeat ad aquæ naturam. Cum verò, vti dixi, duplex tãtùm materia sit, fumida,& vaporosa, dabis Lector, vt ad hæc ipsa duo capita referam, quæ de his effectibus assero, immutato maioris compendij gratia nonnihil ordine Aristotelico.

COMETAE.

CAP. XX.

1035 SI magna exhalationum copia in supremam aeris regionẽ deuenerit, vel etiam altius, vt quidam volunt, ibique succensa diutius tenuerit incendium, Cometa dicitur. Circumagitur hæc diurno cœli motu, & hoc ipso per attritionem succendi verisimillimum est: Figurã verò præfert non semper eandem, nam crinitus aliquandò globus videtur, aliàs barbatus, caudatus aliàs, nonnumquam etiam stellæ figuram reddit, vt ex hac ipsa figuræ varietate, varia item nomina consequatur.

1036 Creditum à recentioribus philosophis est, eas stellas, quas sine ullius instrumenti vsu hæc nostra ætas sæpius vidit in signo Cassiopeiæ, Cygni, & Sagittarij, quæque dato ad aliquod tempus nouo spectaculo nunquam amplius apparuerunt, Cometas esse, non stellas veras: Cur his fides non magna habita sit, fecere suis instrumentis Mathematici, qui altius eas constitisse, quam vulgares cometæ soleant, videlicet in stellato cœlo, deprehendisse creduntur. Nunc redit illa ipsa sententia, si vllus ibi sit exhalationibus locus, vt non *a* nemo ex Mathematicorum secta confitetur.

a Tycho lib. de stella noua anni 1572. & lib. de cometa ann. 1577.

1037 Sed posthabeo longiorem de stellis commentationem. Cometæ in sublimi ardent, crescitque, vel decrescit incendium, diutiùs durat, vel minùs

nus diù, prout pabuli copia fuerit, vel inopia. Debet hoc esse benè densatū, & crassum, vt sustinere diù incendium queat, & lumen ex loco etiam longinquo ad nos transmittere, quod vix appareret, si tenuis, ac rarus esset. Materiã hanc cometarum didicit *a* Aristoteles, quia ferè, cum hi ardent, venti, qui ex eiusdem materiæ abundantia nascuntur, hęc inferiora exagitant.

a Lib. 1. meteor. Sum. 2. c. 4.

1038 Ex materiæ item densitate est, vt cometæ criniti, barbati, caudati videãtur. Cum enim illa exhalationum massa fuerit in medio crassior, in extremis rarior, ipsa materiæ raritas inæqualem facit luminis partitionem in circumferentia, & hi crines sunt. Cauda, vel barba est ab aliquo longiori tractu materiæ rarioris, & inæqualiter adiacentis.

1039 Aliquando eandem apparentiam ardẽtis ignis reflexio facere potest; fit etiam interdum, vt longior sit succensæ exhalationis ductus, sub aliquo astro ità collocatus, vt astri caudam referat. Sed hæc apparentia non vbique terrarum eadem erit, nec diù eadem, etiam ijsdem spectatoribus.

1040 Locus ipse, quem cometę habent in sublimi ferè, vt *b* Aristoteles testatur, est extrà tropicos Cancri, & Capricorni; ad septentrionem videlicet, vel ad austrum. Causa ea est, quam idem reddit: Solis, & astrorum motus, non solum segregans calidum, sed & disgregans, quod consistit. Recole hic, quæ *c* aliàs dixi de motu ignis in orbem, is, itemque suprema aeris regio ità cœli cursu rapitur, vt velocior sub æquatore moueatur, ampliori facto circulo, quam ad polos, circà quos fiunt circuli minores. Hæc ergo maior velocitas obuias exhalationes, aut dissipat, aut in locum minus agitatum reijcit.

b Eodem li. 1. meteor. Sum. 2. c. 3. & 4. in fine.

c Hoc eodẽ lib. 2. cap. 14.

1041 Aptum tempus generationi eorum cometarum, qui ex hac inferiori materia succunduntur, siquando succenduntur, est autumnale, cum scilicet transmissarum exhalationum copia suppetere potest. Etenim in Vere non tanta est caloris vis ad eas copiosè euocandas; in hyeme aut minor, aut nulla; in æstate nimius ardor consumit, aut nonnisi rariores ire patitur. Sed quis legem ferat tam varijs anni tempestatibus? Fatetur *d* Aristoteles, Aristeo imperante cometas apparuisse in hyeme, in summo gelu.

d Lib. 1. meteor. Sũ. 2. c. 3.

1042 Mouentur, vt dixi, cometæ diurno motu ab oriente in occidentem, nec ignoratur causa, quia diurno cęli motu ipsa, in qua est, regio circumuertitur. Visi aliquandò sunt moueri ijdem ab occidente in orientem; sed hic verè in ijs nouus motus non est, sed tarditas ipsius motus raptus, qui vel à distantia oriri potest, cum cometæ non altè succenduntur, vel à materiæ concretione, quæ quasi in globum coacta, trahenti resistit.

1043 Moueri ijdem videntur aliquandò ad polos, vel ab ijsdem recedere. Accessus causa reddi potest; quia sicut in agitato mari ligna natantia spontè secedunt ad aliquam partem, vbi minor fuerit agitatio, ità credibile est, congeriem illam exhalationum secedere ad polos, ad quos dixi, motum raptus esse tardiorem. Recessus à polis causa est materiæ, quę de nouo succenditur, dispositio, quę versus polos à motu disijcitur, dumq; ignis ei obuius est, videtur cometes à polis recedere.

1044 Ex Cometis pręsagia quędam sunt, sed incerta; indicant enim aliquam

inferioris

inferioris mundi à superioribus lationibus intemperiem, quæ sit senibus, virisq; Principibus, qui vitæ incommoda minùs tolerant, sæpè exitialis. Sæpè planè casualis est cometarum cum similibus euentibus cõiunctio, non secus ac ambulante aliquo coruscauerit. Indicia denique à cometarum coloribus esse possunt pro materiæ copia, & qualitatibus eiusdem, ex quibus de naturaliter adnexis coniectura sit. Apparent etiam aliquandò Cometæ, qui fausti, ac benè ominati dicuntur, quia propitias, & commodas complexionibus qualitates habent.

MINORES IMpreßiones ignitæ.

CAP. XXI.

1045 PARTIM in suprema regione aeris, partim in infima tot sunt ignitarum impressionum monstra, vt numerum non facilè ineas. Vna omnibus materia est exhalatio, sed situs varius, differentia in magnitudine, & paruitate, in figura, in densitate, & raritate, in motu, & horum similibus, varia fecere nomina, quæ ab antiquis imposita retinuit *a* Aristoteles, vbi de his disserit, & his plura recentiores indidere.

a Lib. 1. meteor. Sum. 2. c. 1.

1046 Vna ex his impressionibus est flamma ampliori materiæ applicita, vt ardere in ampla area stipulæ videantur. Rara est, aptèque disposita materia, vndè est, vt ex facili motu ignem arripiat. Si diù duraret incendium, aut altiorem locum sortiretur, cometam diceres; si autem inquit *b* Aristotiles, ipsa hæc materia secundum longitudinem disposita sit solummodò, vocantur Trabes, Capræ, sydera, indito videlicet nomine à varijs apparentijs, quæ in hac ipsa longitudine esse possunt.

b Eodem lib. 1. Sum. 2. cap. 1.

1047 Tra-

1047 Trabes dicuntur, cum materia in longum quasi æqualiter iacet, & pro materiæ situ æqualiter etiam incendium producitur. Has, seù trabes dixeris, seù faces, seù iaculum, seù sagittam non tanti facio. Omnia hæc vocabula hac in re vsum habẽt apud meteorologicos; et si meum interponere sensum liceat, Trabes dixerim, cum tota simul in longum, & æqualiter flamma micat; Iaculum, Sagittam, cum eadem flamma ipsa hæc in extremis imitatur; Faces cum sublucida est tota exhalatio tenui igne, ob materiæ raritatem, in summo verò splendet magis, quia eo maior exhalationis copia ascendit. Multùm facit hac in re, & huius similibus exigua rei variatio, multùm etiam facit imaginatio, quæ sæpè eandem rem non in eadem imagine omnibus monstrat.

1048 Cur capra dicta sit ab Aristotele alia impressio, quæ Capræ figuram non refert, miratur *a* Seneca. Ait is, esse globosum hunc ignem lunari magnitudine, qualis bellum gerente Paulo aduersus Perseum in cęlo visus est. Sed nego, talem esse eum, quem describit *b* Aristoteles, & capram vocat: Si maior (inquit) sit succensus fomes secundum longitudinem, quam secundùm latitudinem, quandoquidem quasi exscintillat, simul autem ardens id, quod fit, quoniam per partes quidem exiguas, sed cohærentes principio incendatur, capra vocatur. Capra ergò dicitur, quia in scintillatione, quæ fit in exiguis partibus cohęrenter succensis villi caprini videntur esse.

a Lib. 1. natur. qq. cap. 1.

b Lib. 1. meteor. Sum. 2. c. 1.

1049 Stellę cadentes dupliciter generantur. Primò cum exhalatio in longitudinem distenta iacet inęqualiter, ad modum funis per interualla nodosi, aut mœnium ciuitatis per interualla turritarum. Aliquandò etiam dispersa iacet, quasi in globos seriatim positos; Si ergò ignem conceperit in vna parte globosa exhalatio, videtur esse noua stella; Mox quia materia tenuis facilè exuritur, transmittitur ignis in globum proximum, & sic deinceps, vt eadem stella loco moueri videatur. Sic surgit incendium, cum lucerna superior accendit inferiorem fumantem; sic tua res agitur, paries cum proximus ardet.

1050 Secundò simile volantis, vel cadentis stellæ spectaculum datur, cum globosa exhalatio vi frigoris ex media regione deorsùm extruditur; sicut inquit *c* Aristoteles, ex digitis excluduntur nuclei, ità succensa, vel per motum, vel per antiperistasim hæc exhalatio paulò solidior, ac densior in terram, in mare cadit, & noctu, & per diem serenitate existente. Primum stellarum modum dicit idem fieri per exustionem, secundum per segregationem, quę ab expulsione est.

c Ead. Sum. 2. cap. 1.

1051 Ratio, cur hæ cadentes stellæ, dum deorsum feruntur à frigore mediæ regionis repulsę, declinent ferè ad latus, est illa ipsa, quę facit, vt lapides antè proiecti circulariter in terram cadant; videlicet antè adigit impetus datus, deorsum grauitas, & miscetur quodãmodo ex duobus motibus vnus circularis. Ità motus extrusarum stellarum, vt plurimũ, inquit Aristoteles, ad latus est, propterea quod duabus fertur lationibus, violẽtia quidẽ deorsum, natura autem sursum; omnia enim secundũ diametrũ feruntur talia, idest in *d* transuersum; quod & in alternatione pedum, quam in suo motu faciunt

d Vt interpretatur Vicomercatus.

a Ex Arist. lib. de Animal. incessu & 2. de Hist.

a quadrupedia,& in laborantibus paralisi notare est ob eandem causam.

1052 Alia ignitæ impressionis figuratio dicitur ignis perpendicularis: pyramidalis figuræ ardet, vel columnæ ad perpendiculum erectæ. Huius ostenti causa indè est, quia in inferiori parte crassior, ac densior exhalatio est, materia suo pondere subsidente, in superiori rarior, & leuior, & ideo pro portione raritatis, & leuitatis pyramis formatur; qualem eandem ob causam flammæ omnes formant, dum sui materiam fumum ità formatum sequuntur.

1053 Quæ est causa huius configurationis in hac impressione, est eadem causa situs, non iacentis, sed erectæ pyramidis, aut columnæ.

1054 Numeratur etiã inter has impressiones ignis fatuus. Huius natura est, sequi fugientes viatores, fugere sequentes. An fatui nomen acceperit ex hoc veluti intempestiuo ludo, an aliundè? Ratio motus illa est. Est hæc exhalatio subtilis, ac tenuis in infima regione; hic aut per motum, aut per nocturni frigoris obsistentiam facilè accenditur; pro tenuitate facillimè etiam ad motum aeris agitatur; ergò dum aliquis hunc ignem à tergo habet, quia post euntem mouetur aer ad vacuum replendum, euntem sequitur etiam ignis; si verò ignis præeat, propulso aere, propelletur.

1055 Ignis lambens insidet hominum aliquandò capitibus, aliàs iumentorum, vt discas, quam vanum sit auspicium regni, cum hinc petitur. Nec mihi dormientem in cunis *b* Seruium Tullum cites. Potest Deus natura vti, ad sua consilia hominibus pręmonstranda: Vim aliquam ad illudendum per eandem habent etiam mali dęmones.

b Ex Liuio lib. 1. Rom. Hist.

1056 Cæterùm, quæ natura accidunt in huiusmodi à summo demisis ignibus, naturalia sunt, & nullius pręsagij. Scilicet materia eadem succensa ex ijsdem causis sæpiùs assignatis, prout huc illuc agitur, in caput, in summam hastam, in nauis malum, in antemnam incidit, & quiescit.

1057 Hinc habes, quæ de fabulosis nominibus Castore, Polluce, Helena, adhuc restant in ijsdem impressionibus. Castor, & Pollux dicuntur flammę, cum geminæ nauigantibus apparuerint, aut ad instar lambentis ignis, sese malis, aut antemnis imposuerint; Helena dicitur, cum vnica apparet. In duobus geminis salutare signum accipiunt nauigantes, in solitaria Helena exitiale; etenim prosperum illi nauigationis cursum prænunciant, hæc iactationẽ, & naufragij periculum. Et hinc opinor nomen his impressionibus factũ est, per allusionem ad priscas fabulas, siuè historias.


1058 Causa naturalis huius mali ominis est, quia geminatæ faces indicio sunt, exhalationes per aerem spargi raras, & malè compactas; solitaria verò cum est, & benè cohærens, indicat præparatam venti materiam, futurasq; ab ijs vndarum agitationes, ac turbulentias, ex quibus maiora mala timerè nautæ possint, quàm ex aduecta Troiam Helena. Sed de his indicijs philosophare, sicut de reliquis paulò antè monui.

1059 Dracones etiam volantes meteora monstrant. Ignita pariter impressio est à draconis figura, quàm exprimit, appellata, dum flectit se se inspiras sinuata draconum, vt *c* quidam cecinit. Huius formationis causa ea est: Ascendit non inops exhalationis copia, veluti fumus, euasura

c Pontanus in suis meteoris.


si

ſi poſſit, in ſupremam aeris regionem, ſed non tantum eſt virium; Vbi ad mediæ regionis fines deuenerit, reſtat, quia nubes, vel regionis intemperies obſtat; dum primæ partes retrocedunt, pergunt deinceps aliæ, & ad obſtaculum in ventrem draco creſcit; erumpit aliundè caput; ampla trahitur ex oppoſito cauda ſi ſuccendatur, volantem draconem contemplabere. Ex his verò facilis tibi eſt lector de alijs compluribus impreſſionibus ignitis coniectura.



VIA LACTEA, ET colorata in aere imagines.

CAP. XXII.



1060 VIAM lacteam, illuſtrem poetarum carminibus, vix quiſquam eſt, qui non viderit, apparentiæ verò cauſa latuit ad hanc diem, & haud ſcio, an ſit hodie notior, quam ſuperioribus ſeculis fuerit. Dictum eſt *a* Ariſtotelis, opiniones non ſemel, aut iterum variari, & antiquis ſuccedere nouas, poſt nouas obliteratas redire iterum antiquas, ſed in gyrum quaſi perpetuum has cum illis ire. Hoc ſi vlla in re verum ſit, in via lactea veriſſimum videri poteſt. Referam primò ſententias, mox, quam habuerint eædem viciſſitudinem.

a Lib. 1. meteor. Sum. 1. c. 3. & lib. 1. de cælo t. 22.

1061 Antiquiſſima eſt Pythagoręorum, viam lacteam eſſe eam, quā ſol ſuo curru aliàs triuerit, vel per quam aberrans Phaeton non exiguā cœli partē ambuſſerit, & incendij veſtigia, quaſi relicti cineris, candorem eſſe. Improbat hanc ſententiam *b* Ariſtoteles, quia ſi ſolis curſus, vel rotarum, vel incendij veſtigia relinquit, qua ſemel iter fecerit, multò magis detrita, & ambuſta eſſet via ſub Zodiaco, per quam & Sol, & errantia omnia ſydera iter habent, nullum autem ſub eo eſt tale itineris veſtigium.

b Lib. 1. meteor. Sum. 2. c. 5.

1062 Altera opinio fuit *c* Democriti, & Anaxagorę, viam lacteam in cœlo,

c Apud eundē Ariſt. cit. c. 5.

esse stellularum vnionem, coniunctionemq;. Viam diceres constratam stellis, dignam, quam cœlites perambulent. Addidere ijdem candoris causam, quã nisi adderent, fortasse melius philosopharentur: nitere hanc viam candore quodam subobscuro, non autem illustriori eo lumine, quo reliqua sydera, quia de suo lumine albicant, non de lumine Solis, qui, cum hæc via supernè apparet, sub terra est ad oppositum hemisphærium, neq; has stellulas directè aspicere potest. Contrà hoc etiam pluribus agit Aristoteles; redijt tamen ex parte hæc sententia post improbatam à posteris ipsam sententiã Aristotelis.

a Li. 1. meteor. Sum. 2. cap. 6.

1063 Mitto reliquos. *a* Aristoteles sentit, viam lacteam ab exhalationibus designari in suprema aeris regione; In hanc vult perpetuò attrahi à syderibus ingentem exhalationum copiam, eaq; ratione succendi, qua cometas; in locum consumptæ materiæ suffici nouam, eundemq; semper habere situm, quia eundem pariter habent in cœlo stellæ, à quibus hæc materia attrahitur, & sustinetur. Improbant hanc sententiam Mathematici non contemnendis demonstrationibus, quibus probant, quicquid illud sit, quod via lactea est, altius esse, quàm sit suprema aeris regio, & in cœlo esse. Sed quid si eadem hæc opinio ijsdem Mathematicis auctoribus reuocata sit, vel integra, vel saltem in parte.

b In 1. lib. meteor.

1064 Redordior à prima. Ea, quę Pythagoræ fuit, ab ipso Aristotele reuocata est, si Phaetõtis fabulam cũ *b* Olympiodoro allegoricè interpretemur. Phaeton solis filius exhalatio est, vi solis ex terra genita, & in suum currũ imposita, dum cœlesti calore ei datum est in altum ferri. Si ergò vera est Aristotelis sententia, quæ viam lacteam exhalationibus signat, hæc ipsa Pythagoræorum est, qui volunt, eandem viam fuisse Phaetontis erroribus descriptã.

1065 Altera Democriti, & Anaxagoræ, quæ dicit syderum coniunctionẽ, vera ad hanc diem habita est, post sententiam Aristotelis explosam; Nam quamuis stellarum loco posuerint aliqui solidioris, ac densioris cœli partes; visi tamen ijdem sunt, posuisse stellas; qui enim cœlum solidum esse putant, volunt, stellas non esse nisi eiusdem cœli solidiores partes. Eandem sententiam confirmat plurimum nouus Tubulus ad prospectandum concinnatus, etenim certiùs is indicat stellularum dispositionem, quibus ij viam lacteam constratam esse, voluerunt.

c Li. 1. meteor. Sum. 2. cap. 5.

1066 Illud verò in hac sententia nondum probatur, quod de candore dicebatur, & validè hoc Aristoteles impugnat ijs verbis: *c* Semper idem in ijsdẽ est astris, apparet enim maximũ esse circulũ, à sole autem quę non aspiciuntur, semper altera sunt, quia non in eodẽ manet loco, oportebat igitur, cũ transfertur sol, transferri & lac. Addit his id, quod etiã Mathematicis demonstrationibus verissimũ creditur, solem esse maiorem terra, & quam terra emittit vmbram, non posse ad stellatum cœlum pertinere.

d Ita Tycho, Kepplerus, Cornelius Gẽma, & alij.

1067 Sed quod deniq; spectat ad sententiã Aristotelis, ea non videtur improbanda, si vera sunt, quę recenter notata traduntur, *d* scilicet exhalationes materiam cometarum suprà errantium syderum altitudinem euadere, vel ex elementari materia enasci, quam Deus cœlesti substantiæ admixtam esse voluerit, ad vim cœli in hæc inferiora temperandam. Da mihi cometas

intrà

intra liquidi cœli substantiam generari, & ego experimenti gratia sustinebo, circuli lactei apparentiam ex exhalationibus, vel succensis, vel Solis lumine illustratis, stare posse. Occurrit hic admonendum, stellas, quæ superioribus annis ad tempus apparuere, omnes in via lactea visas esse. Tute expende, quantum hoc sit exhalationum, eò loci degentium argumentum. vide, an cometæ verius fuerint, quàm stellæ.

1068 Sed ne diutius differar in incerta; id, quod probabilius mihi est de via lactea, est, esse stellarum chorum, in lucis societate degentium, euntium pariter in gyrum pro bono vniuersi, sicut à Deo sapientissimè dispositum est. Candor est albicantis lucis, siuè hæc astrorum natura sit, lucem à Sole recipientium, per modum recipientium, siuè à nostrorum oculorum infirmitate, in tanta rei visibilis distantia, & quantitate. Non ergo est via lactea meteorologica impressio.

1069 Rectius ad meteorologica spectant colores quidam, qui de nocte in aere apparent. Apparent, inquam, nec enim sunt ex illis *a* realibus, & veris, qui in re colorata resultāt ex temperie quatuor primarum qualitatum in solo corpore mixto, & terminato, sed ex ijs, quæ apparentiam quandam habēt ex varia luminis reflexione. Redibit iterum mihi assertio de aliquibus ex his *b* infrà, vbi de Iride; hic, quia solius exhalationis effectus recenseo, satis sit de illis dicere, de quibus *c* Aristoteles. Hi sunt (inquit) veluti hiatus, & foueæ, & sanguinei colores, quibus causa eadem est.

a De quibus Arist. lib. de sensū, et sensili.

b Hoc eod. l. 2. cap. 27.

c Lib. 1. meteor. Sū. 2. c. 2.

1070 Hiatus, seù fouea, est cum serena nocte inter aspectum nostrum, & cœli nitorem interuenit densior aliqua exhalatio; Nigra, quamuis æquè distent, ac alba, distare videntur magis, & hæc est causa, cur pictores, vt colorata emineant, nigrum pro vmbra apponant; In amplo igitur nitentis lucis campo faciet nigra propter densitatem exhalatio veluti hiatum profundiorem, aut foueam. sanguinei colores erunt, cum per exhalationem rariorem lucis nitor ad oculum peruaserit.



VENTORVM MATERIA, Numerus, Motus.

CAP. XXIII.

1071 VENTORVM materiam aliam alij posuerunt, plurimi aerem, sed hoc meritò improbat *a* Aristoteles; plurimas enim habemus aeris agitationes, in quibus ventus nullus est. Tertia regio aeris motu raptus circumuoluitur, sine vllo tamen ventorum flatu. Hic etiam apud nos tot sunt aeris commotiones, quot sunt causæ condensationis, & rarefactionis eiusdem, quæ passim fiunt, & tamen illi, qui volunt, ventum esse aerem exagitatum, fatentur, non esse ventum semper, cum condensatio, & rarefactio est.

a Lib.2.meteor. sum.2.c.1.

1072 Pluribus verò argumentis concludit Aristoteles, & sanè efficaciter, ventorum materiam esse exhalationem calidam, & siccam, quæ per aerem vagatur, si venti aerij sint, vel per terræ cauernas, si subterranei. Indicant hoc annorum varietates; nam quidam humidi sunt, ex abundantia vaporum, alij sicci, ex abundantia exhalationis, & in his venti regnant, non aũt in illis. Idem monstrat, cum eodem tempore alicubi pluuium est cœlum, alibi ventosum, quia pro situ Solis, est hic vndè educatur exhalatio, illic, vndè vapor, sed præstat in eiusdem rei argumentum, quod ventorum materia exhalatio sit, ventorum signa capere ex *b* Theophrasto.

b Opusc. de Ventorum signis ex translat. & commentatione Bonau.

1073 Si sol in ortu minùs nitentes radios emittat, & calorem ex radijs feruentiorẽ, venti præsagiũ est, quia idem aduectæ in aerem exhalationis est argumentum. Sunt radij hebetiores ex obiectu huius halitus; est eorundem feruor, quia per eundem halitum calidum, & siccum peruadunt.

1074 Concauus aliquandò vr̃ esse exoriens sol. Habes quæ *c* afferui de coloribus

c Hoc eod. li. 2. cap. præced.

loribus in aere; illa ipsa obiectio nimirũ exhalationis causa est apparentis in sole cauitatis, mox verò ex dissolutis exhalationibus ventum expecta.

1075 Non æquam aliquandò sol aduehit lucem, æquis licet oculis aspiciat hemisphærium, sed facta radiorum partitione, ad Austrum, ad Aquilonem dirigit, medius vix nitet, licèt serenus sit. Aliquid certè interiacet, tametsi rarum. Non ille vapor est, quia solis vultum faceret tristiorem, sed exhalatio, in quam inæqualiter disiectam incidentes radij inæqualiter disijciuntur, sed quam tunc non vides, non multò post venti demonstrant. Quod si eam radiorum diuisionem aliquandò non exhalationes, sed vapores efficiant, signũ hinc habes pluuiarum.

1076 Rubicunda astra ventorum, obscura pluuiarum indicium præstant. At puniceus color, inquit *a* Aristoteles, tunc apparet, cum per igneam materiam lucis candor transmittitur. Ignea materia exhalatio est, ergo habes exhalationis indicium, sed isthæc ipsa astra rubicunda ventos nunciant, eadem igitur ruboris, & ventorum causa exhalatio.

a Lib.1. meteor. sum.2. c.2.

1077 Nec verò repugnat à rubicundo cœlo etiam pluuiarum, vel serenitatum esse præiudicia, quia ijdem venti aliquò pluuias vehunt, aliundè auferunt adactis, vel abactis nubibus, quæ est materia pluuiarum.

1078 In luna ventorum signa maximè apparent, cum interiectio exhalationum non solum colorem in illa mutat, sed etiam figuram; Habet aliquandò vtrunq; cornu obtusum, aliàs alterum tantummodo; illud, quod ad Austrum est, in indicium est Austrini venti, quod ad Aquilonem, in indicium Aquilonaris. Sic variæ stellæ, quæ nullam in se habent diuersæ apparentiæ causam, sed in medio, pluuias aliquandò nunciant, aliàs ventos, prout apparitionis diuersitas, vel in vapores, vel in exhalationes refertur.

1079 Sed quod miremur magis, temporum mutationes priùs bruta animalia percipiunt, quàm homines. Hæc habes ex *b* Theophrasto, & ex ipsa sensuum fide. Mergi, Anatesq;, pēnas rostro purgantes, alasq; excutientes, ventos te docent. Fulicæ tempestatum, ventorumq; amantes, eas adeunt regiones, quæ mox ventis agitandæ sunt. Canes, cum se se per terram sæpè euoluunt, ventorum item indicium dant. Horum ratio, aliorumq; sexcentorum ex veritate philosophica facilè deducitur. Viget maximè sensus tactus in animalibus, & ideò aeris mutationes, quæ à vaporibus, & exhalationibus fiunt, subitò percipiunt, eoq; naturali ductu, quem habent, ad tactus commoda operantur id, quod ad indicium mutati aeris satis sit intelligentibus.

b Libello de ventorũ signis.

1080 Iam quod spectat ad numerum vētorum; Nulla est orbis terræ pars, quæ ventis aliquandò non agitetur, siuè ex ea ventorum materia nascatur, siuè aliundè in eam deueniat, & quoquouersum aspicias, nullum est cœli pũctum, ex quo ventus aliquis aliquandò non perflet. Hinc est, vt ventorũ numeratio diuersimodè facta sit, quia cum ventus vndiq; perflet, totum cœli ambitum alij in pauciores partes diuiserunt, ad eas reuocantes vicinas, alij in plures, notantes distinctiùs, vndè quisq; adueniat.

1081 Antiquissimam ventorum partitionem fuisse factam in duas classes, refert *c* Arist. in Boreales videl. & Australes. Australes appellabāt omnes, qui

c Lib.4. Polit. cap.3.

ad dexteram sunt aspicientis orientem solem, Boreales alios, qui ad sinistrã eiusdem. Sic aliquando Respublica in duas partes diuisa est, popularium, optimatumq;, cum tamen in ea semper plures fuerint, sed quia ad harum alterutram accedebant, in alterutra comprehensę sunt.

1082 Amplior posteà numerus factus est à posteris, & quatuor venti à quatuor primò descriptis mundi partibus indicati, dictiq; sunt, Orientalis, Occidentalis, Borealis, Australis. Etiam hi in his quatuor nouerunt alios, à lateribus positos, sed laterales ad hos quasi directos reuocarunt.

1083 Sic deinceps alij additi sunt, quod si aliquandò non æquo numero appositi fuerint, sed plures ad Boream, quàm ad Austrum: Fecit, vt ait *a* Aristoteles, hanc diuersitatem maior notitia, quam nos accolę magis ad Boreã, quàm ad Austrũ, de hac regione habemus, quàm de opposita.

a Lib. 2. meteor. sum. 2. c. 3.

1084 Exactissimè tandem is ipse numerus initus est a nostratibus nautis, qui ventos numerant triginta duos; Et verò numerandi fuere; nam ex quo tempore frequentiores nauigationes esse cœperunt, hominumque vita ventis commissa est, exactior pariter ventorum notitia necessaria fuit, à quorum momentis vitæ hominum momenta pendent.

1085 Retinuere *b* hi illos quatuor primarios, Borealem à polo arctico, quẽ Septentrionalem, Aquilonem, & alijs nominibus appellarunt; Australis est huic oppositus, dictus Auster, Notus; Orientalis ab æquatore dicitur Subsolanus, Apelliotes; Huic deniq; oppositus occidentalis Zephyrus est, seu Fauonius. Inter hos in singulis quadrantibus interposuere septenos, medio tanquam duce, in ipso quadrantis medio constituto.

b Ex recentioribus scriptoribus in lib. 2. meteor.

1086 Medius inter Borealem, & Occiduum, nunc vulgo Magister dicitur, olim alij Argestem, Corum, alij Trasciam dixere. Habet is ab vtroq; latere ordinatè dispositos, ad boream tres ab extremorum vicinitate, situq; dictos, Magistralem ad boream, Borealem magistralem, Borealem ad Magistrum; totidem ad occidentem, quibus item nomen est inditum à situ, Magistralem ad occidẽtem, Magistralem occidentalem, Occidentalem ad magistralem.

1087 In altero quadrante medius inter Occidentalem, Australemq;, Garbinus vulgò dicitur, Africus, Lybs, Lybonotus dicebatur olim. Habet is pariter ab vtroq; latere ternos, ad occidentem Garbinum ad occiduum, Occiduum Garbinum, occiduum ad Garbinum; ad austrum verò Garbinum ad meridionalem, Garbinum meridionalem, Meridionalem ad Garbinum.

1088 Medius inter Australem, seù Meridionalẽ, & Orientalem est, qui nũc vulgò dicitur Syrocus, olim Vulturnus, Eurus, seù Phœnicias dictus est; Habet ad meridiem ternos, Syrocum ad meridionalem, Meridionalem Syrocũ, Meridionalem ad Syrocum; totidem ad orientem, Syrocum ad orientalem, Syrocum orientalem, orientalem ad Syrocum.

1089 Deniq; dispositio est eadem in vltimo quadrante, & à medio pari ordine dispositi laterales appellantur; Medius ipse, qui nunc vulgò Græcus dicitur, olim Cœcias, Meses dictus est.

1090 Habes aũt, si hos vẽtos in tabula disposueris, vndè cognoscas, qui pugnent

gnēt inter ſe,qui ſimul cōſpirent.Pugnare dicuntur,qui è regione ſunt poſiti, & maximè diſtant.Dicuntur hi,nunquam ſpirare ſimul,non quia re vera non ſpirent,ſed quia neuter ſpirare videtur, dum neuter præualet,& incertis flatibus virgulta, plantę nunquam ſibi conſtante motu, excutiuntur.

1091 Sed nec illud prętermittendum eſt,hos,quos enumeraui ventos,à notis in cœlo punctis fuiſſe deſcriptos,appellatoſq;,ſed habendam eſſe prętereà rationem ſitus terræ, & zonarum, in quibus degimus. Ea igitur deſcriptio ad noſtrum vſum facta eſt, qui zonam temperatam, inter torridam,& frigidam ſeptentrionalem ſitam, incolimus, auſtraliſq; ventus nobis non eſt à polo antarctico, Auſtralis tamen dicitur, quia Boreali oppoſitus eſt. & pari ratione de reliquis philoſophare, vt noſtræ ętatis diſertus *a* philoſophus præclarè tradidit.

a Franciſcus Piccolom. lib. vnico meteorum.

1092 Terra item inſpicienda eſt, non ſolum in quo ſitu iaceat ad cœli motum, ſed quà æqua, vel iniqua ſit, altè exurgentibus alicundè montibus, altè cadentibus alibi vallibus. Multum hoc facit ad ventorum varietatem, & quidem hinc eſt, vt quoſdam ventos aliquę regiones non patiantur; aditu videlicet interclusõ,quibus aliæ,nec longiſſimè diſtantes, patent.

1093 *b* Cęcias non altè à terra ſpirat; hinc fit, vt in montes facilè impingat, mox ipſe contrà ſe ſpiret, obuiaſq; nubes in ſe agglomeret.

b ex Ariſt.lib. 2. meteor. Sum. 2. cap. 3.

1094 Medium item,per quod venti feruntur, alias facit ventorum qualitates,quam inſint ex natura materiæ: Etenim materia calida, & ſicca eſt,modico humore admixto, vt benè cohęreat, ventos tamen experimur alios alijs calidiores,aliquos ità frigidos, vt vix aliquid frigidius reperiatur. Ratio conſtabit, ſi vndè aſpirent, & quà tranſeant, contempleris. Corripit quicquid obuiam fuerit citatiſſima exhalatio, cumq; multum aduehat aeris, ex regionibus frigidis frigus, ex tepentibus teporem, ex humidis humorem colliget. Hinc benè ventorum qualitates à *c* philoſophis diſtinguuntur in natiuas, & additas,ſeù aduentitias.

c Lege Cōymbr. Tract. 6. meteor. cap. 5.

1095 Quod ſpectat ad motum eorundem ventorum; difficile explicatu eſt, qua tandem vi, tanto impetu ex ſuis regionibus afflent. Auget difficultatem illa ipſa, quam cum Ariſtotele aſſignaui,materia ventorum; Etenim exhalationis motus ſurſum eſt; nam quamuis terreę ſubſtantiæ ſit,ex calore tamen facta leuis mouetur ignea quadam leuitate ſurſum; qui ergò tam violenter agatur in tranſuerſum? Non placet ſententia *d* Auerrois, qui tranſuerſum hunc motum putat eſſe naturalem;nec.n.natura ad tantam varietatem,contrarietatemq; propendet.

d 8. Phyſ. Cō. 36.

1096 Sed qui tandem dici naturalis queat, docet Theophraſtus,cuius ſententia eſt, exhalationi, quæ ventorum materia eſt,ineſſe vaporis non parum, agi illam ſua ignea leuitate ſurſum,ſed hunc oneri eſſe,& ideò ſimul agi tranſuerſam mixto quodam motu ex ſurſum, & deorſum. Equidem admixtum eſſe aliquid vaporis exhalationi, Theophraſto facilè do; nec ex mea ſolum, ſed ex *e* Ariſtotelis ſententia, qui ſæpius de hac vaporis, & exhalationis coniunctione meminit. Nego tamen, hanc mixturam eſſe ſatis ad tantam ventorum violentiam in tranſuerſum.

e Li. 1. meteor. Sum. 3. cap. 1. lib. 2. Sum. 2. cap. 1. & paſſim.

1097 Sunt,

1097 Sunt,qui arbitrentur, ſententiam eſſe Ariſtotelis, principium motus ventorum eſſe à motu cœli, ſcilicet dum illud aerem rapit,corripit etiam exhalationes,ventorum materiam,ijſq; circumeũtibus,vagantur venti. Hæc ſi ſit Ariſtotelis ſententia,rectè contrà eũ obijcit Alexãder, ituros omnes ventos in eandem partem ab oriente in occidentem,futuros eós ſolùm in ſuprema regione aeris,non autem in media,vel infima, quia motus raptus huc nõ peruenit, & alia plura horum ſimilia. Sed ipſe tamen Alexander errat, dum aliter de Ariſtotelis ſententia ſentit,ac tradatur ab auctore.

a Li.2.meteor. Sum.2.cap.2.

b In locũ hunc ipſum Ariſt.

1098 Ipſum *a* Ariſtotelem audi: Latio ipſorum obliqua eſt,circà terram.n. flant,cum fiat in rectum exhalatio,quia omnis, qui in circuitu eſt,aer, conſequitur lationem.Audi interpretem *b* Olympiodorum,non eſſe ex mente Ariſtotelis, quòd aeris raptus ipſas rapiat exhalationes; ſed quod hoc raptu impediatur altior exhalationibus, pręſertim craſſioribus, aſcenſus; vndè eſt, vt huc ad nos reſiliant in obliquum, ac in tranſuerſum, quia repulſio deorſum agit, leuitas ſurſum.

c Eodẽ cap. 1. Sum. 2. lib.2.

1099 Fateor,vix eſſe ſatis hanc cauſam ad tantũ ventorum impetum,quantum ſentimus, ſed primũ aliquod huius motus principium *c* Ariſtoteles indicat,quod vult eſſe à ſuperiori mundi parte,aptoq; ſimili mox docet, aduenire alias motus cauſas in ipſo motu, ex quibus citatior fiat,ac violentior. Simile eſt à fluminibus,quorum fontes tenues ſunt,mox quia accipiunt in curſu nouas aquas, eundo creſcunt, & habent ex incremento vires. Simili igitur ratione eſt deſuper cauſa, cur exhalationes in trãſuerſum redigantur inferius, ſed nouę deinceps adſunt violentiæ cauſæ.

d Lib. 3. meteor. tract. 1. cap. 1.

1100 Vnam ex his cauſis citatioris motus notat *d* Albertus, ipſam illã exhalationum copiam, quæ aditum ad ſuperam regionem non habent,obſtante motu,deorſum agi à frigore mediæ regionis,minimèq; nouum eſſe,ſi contrarium fugiat à contrario,ex naturę inſtinctu.

1101 Alias alij addunt, & verò accommodatè ad rem:à ſole attenuari congregatas exhalationes;ex attenuatione raritatem ſequi, & obſtantium partiũ expulſionem: incidentes in montium altitudinem eaſdem exhalationes reijci violenter;accurrere ad motum aerem,& qui facit velociorem motum in his, quæ ex alto cadunt,facere non parùm in ventis adigendis.

1102 Et quidem cœli lationem non eſſe adęquatam cauſam agitationis vẽtorum,in Ariſtotelis ſententia tam certum eſt, quam eſt certiſſimum, ſupernam illam lationem intrà terræ cauitatem non penetrare,cum terra in mundi medio ſuo nixa pondere ſtet.

1103 Quare cum intrà terræ cauernas, fabuloſum Aeoli regnum, maximè diſcurrant venti, aliquod certè habent principium motus. exitum, inquies,naturaliter quærunt. Sat habeo, ſed quia exitum non reperiunt, quia calor materiam attenuat, quia reijciuntur retrò,quia pars parti alliditur, & plurimum aeris in terra incluſi illo eodem motu inuoluitur, paria fermè habes,& in ſubterraneis,& in aerijs ventis,vndè aſſeras,& tranſuerſum,& rapidiſſimum motum.

IGNES

IGNES SVBTERRA-nei, & Terræ motus.

CAP. XXIV.

1104 MIRVM eſt, quam altè in terram deſcendat aſtrorum vis, penetrat in imas terræ partes agendo, id, quod mixtorum complurium generatio apertè docet. Ergo hac ipſa virtute credibile eſt, excitari exhalationes, non ſolum ex terræ ſuperficie, quæ in aerem ſubuolant, ſed ex intimis terræ partibus, quæ admirandorum operum materia ſint. Quantum verò illud eſt, quod terra eiectet in cœlum ignes? quod ingentibus aliquando motibus excutiatur?

1105 Quod ad ignes ſpectat, ardent illi intrà terram, ex qua ruptis caminis aliqui exeunt; alij ſpiramine occultiore contenti intrà terram latent; omnes tamen tamdiù durant, quamdiù pabulum ſuppetit. Quare cum aliquibus in locis perpetuo ardeant, perpetuum adſit pabulum, neceſſe eſt. Hoc ergo exhalationes præbent, ex quibus ſulphur, bitumen, & alia ſimilia alimenta terræ pinguioris admixtione generantur.

1106 Sed quis, inquies, facem admouet ad materiam hanc incendendam? facilis ea eſt ad ignem concipiendum, & ex tenuiſſima ſcintilla tantum excitari poteſt incendium, quantum Aethna euomit. Prima igitur ſuccenſio ſatis eſt, vel leuem habeat cauſam, & hæc ex exhalationum attritu, ex antiperiſtaſi adeſſe poteſt.

1107 Quod ad terræ motum ſpectat, qui tantum incutit mortalibus terrorem, quia nullum datur, niſi in terram perfugium, vndè imminet ipſum periculum, is item ab exhalationibus eſt, dum exitum ex terra quærunt, nec peruium habent. Cœco primùm carcere fremunt, mox vim pati neſcientes, effracto carcere, in apertum prodeunt. Mira eſt vis, quam hæ ſupra terram habent,

habent, cum ædificia venti deijciunt, cum arbores altissimis firmatas radicibus conuellunt, sed ea maior, quam eædem habent infrà terram ad ipsam terræ molem excutiendam.

1108 Vis *a* eadem apertis terræ rimis viam aliquando nouis fluminibus aperire potest, antiquis interscindere cursum, montes aliò transferre, integras haurire regiones, dilatantur aliquando ædificiorum parietes, mox iterũ committuntur, emotæq; è suo loco trabes in eundem situm se se paulo post aptissimè collocant. Noui etiam terrarum tumuli, noui sæpè montes enascuntur, in mari nouæ insulæ. Omnia hæc inclusus spiritus præstat, & tantis motibus causa hæc satis est, cum magna agitur violentia ob illas ipsas causas, quas dixi rapidissimum ventorum aereorum motum efficere.

a Ex Arist. lib. 2. meteor. Sum. 3. cap. 2. ex Plinio. lib. 2. à cap. 80. Seneca lib. 6. naturalium quæst.

1109 Præit motum terræ mugitus eiusdem, & cœcus fremitus; preeunt alia etiam signa, quę indicant eandem terræ motus causam, videlicet violenter inclusam exhalationem. Puteorum aquę turbidę fiunt, & terrum aliquandò odorem reddunt, maximè sulphuris, nimirum exhalationum copia, dum peruagatur, aquarum venas inficit. Crescunt item in puteis aquæ, ipsaq; hæc tumoris causa est exhalatio aquis admixta, cui calidę eam facere ebullitionem facilè est. Idem in mari videre est, in quo aliquando non ordinarius æstus prænunciat terræ motum.

1110 Diuturna aeris tranquillitas, & præter ordinarium anni statum, indicio item est futuræ succussionis terræ. Nimirũm cùm astrorum virtutes continenter operentur, indicat illa tranquillitas, exhalationes non prodire, sed intrà terram cogi. Sic in bombardis arctè cogitur puluis pyrius, vt applicito tandem igne cum ingenti motu sonitus, & ictus exeat.

1111 Huiusmodi tranquillitatis indicium est, cum nubecula aliqua, quasi in filum extensa, diù durat; etenim leuis est materia, quę, si ventus vllus esset, facilè dissiparetur, & *b* ideò hinc sæpè sumitur indicium terræ motus.

b Ex Arist lib. 2. meteor. Sũ. 3 cap. 2. Plinio lib. 2. cap. 81.

1112 Non tempus quodlibet aptum est terræ motibus, nec regio quęlibet. Tempora magis congrua sunt Ver, & Autumnus, cum tantus non est calor, qui exhalationes dissoluat, tantusq; est, qui eas possit congregare.

1113 Anni tempestatibus respondet quodammodò naturalis dies, in quo vicem Hyemis de nocte habet, Veris sub ortũ Solis, Aestatis meridiè, Autũni in vespere; sed non respondet hæc partitio temporibus terræ motus, etenim verum est, quod *c* Aristoteles habet; terrę motum de nocte fieri, quia nocturnum frigus per antiperistasim exhalationes magis rarefacit, itemq; in meridie, quia idem, quod frigus præstat, præstat etiam validior calor.

c Eodem lib. 2. meteor. Sum. 3. cap. 2.

1114 Regiones autem expositæ terræ motibus ferè cauernosę sunt, & permeabiles sub zona temperata. Nam sub frigida, esto cauernosa terra sit, non tanta est cœli vis, quanta sit satis ad magnam exhalationum copiam cogendam. Sub zona torrida sunt item rariores hæ excussiones, quia caloris vis nimia est. Insulæ verò maximè quatiuntur, vt notat, *d* Aristoteles de Sicilia, Eubœa, & circà Hellespontum, & circà Achaiam: circà quę loca, inquit, terrę motus fiunt maximè propter angustiam; spiritus enim factus vehemens propter multitudinem maris, quod multum affertur, repellitur iterum

d Ibidem.

rum in terram, qui natus erat eflare ex terra.

1115 Ex his habes, quam malè de terræ motu philoſophati ſint ij, de quibus meminit *a* Ariſtoteles. Anaxagoras Clazomenius cenſuit, terram ab aere ſuſtineri, & aerem intrà incluſum hunc motum facere, quia ſurſum tendit, exitum verò non habet, quia terræ ſuperficies imbribus denſata eſt. Ait ad hunc Ariſtoteles, valdè ſimpliciter fuiſſe philoſophatum; nec enim eam facit elementorum diſpoſitionem, quam periti faciunt, ac pueriliter ſibi perſuadet, terram in ſuo loco ab alio ſuſtineri, cum eam ſuſtineat innata grauitas.

a Li. 2. meteor. Sum. 3. cap. 1. & ae ijsdem Plutar. lib. 3. de plac. ca. 15. Senec. lib. 6. nat. qq. à cap. 4. & alij.

1116 Errauit etiam Democritus, qui terræ motus cauſam in aquas retulit, ſiuè voluerit, eam aqua plenam commoueri ad pondus aquę pluuialis, quam capere non poteſt, ſiuè voluerit, eandem plus iuſto exiccatam aquas aliundè attrahere, & ex aquarum curſu motum fieri.

1117 Nec verò cenſuit Ariſtoteles, eſſe hanc ſententiam refellendam. Quis.n. ignorat, in ſiccitatibus maximè fieri terræ motus? aut quis capiat, tantam eſſe illam aquarum attractionem, quæ terram quatiat, quam ingentes maris motus nec leuiter mouent?

1118 Denique etiam Anaximenis ſententia inter falſas habenda eſt, dum vult, terræ motus cauſam in ipſa terra eſſe, quatenus eius partibus, præ nimia ſiccitate fatiſcentibus, ipſa ruina motum facit, non verò motus ruinam. Contra eſt, ait *b* Ariſtoteles, quia ſæpè excuſſio fit, & nulla ruina, vel ſi quandò ruina eſt, ſequitur ea motum, non pręit; cauſa igitur non eſt, ſed effectus. Præterea vbi ſe ſe tandem terra compoſuerit, grauibus eius partibus extrà locum poſitis in ſua loca deſidentibus, nulla erit terræ motus cauſa, ſi in ipſa terrę grauitate principium habeat.

b Eodem lib. 2. Sum. 3. cap. 1.



TONI-

TONITRVA, CORVSCAtiones, Ecnephiæ Typhones, Præsteres, Fulmina.

CAP. XXV.

1119 HOS etiam effectus præstat exhalatio, quamuis non sine vaporũ concursu. Retuli ex *a* Arist. attrahi à cœlestibus causis duos halitus, vtrunq; calidum, sed alterum siccum, humidum alterum, hosq; vix vnquam puros, ac impermixtos ascendere, sed vaporis coniunctione fieri benè coherentem exhalationem; exhalationis etiam societate fieri aptiorem vaporem ad ascensum; Vapor ergo dicitur, cum de exhalatione minus est, exhalatio, cum de vapore minus habet. Diffidium fit in media regione, in qua bona exhalationum pars deorsum reijcitur à frigore, bona item euadit in partem superiorem; sed non semper disgregatio talis est, vt in ipso vapore nihil exhalationis remaneat.

a Li. 1. meteor. Sum. 3. cap. 1. lib. 2. Sum. 2. cap. 1. & sæpe in his libris.

1120 Hæc aũt, quæ remanet Tonitruum causat corruscationẽ, Fulmina, & alios violẽtos, & sępè ignitos aeris effectus, ad admirationẽ simul humani generis, ac terrorem. Ità explicatè tradit *b* Aristoteles, ità & me asserere par est.

b Li. 2. meteor. Sum. 4. cap. 1.

1121 Quod spectat ad Tonitrua, sonum hunc facit exhalatio, dum, intrà nubem clausa exitum sibi facit. Et est, cur faciat; sensim. n. nubes densatur, eiusq; frigus calidiori exhalationi ità aduersatur, vt dissoluere societatem debeat exhalatio, nisi malit extingui.

1122 Non idem semper est Tonitrui sonus, quia nec semper par exhalationis impetus, nec semper est eadem nubis densitas, ad quam allisio fit. Numerare hic tonitruum species, multum esset; numerant tamen *c* philosophi, pręcipuos eorum modos notantes; Vel igitur est cõtinuatus quidã fremitus, dũ nõ validissimo, sed cõtinẽti motu exhalatio fugã quęrit, & inuenit; Vel plures sũt, quasi p interualla ictus, cũ, vno rupto repagulo, aliud disrũpẽdũ dat;

c Sen. lib. 2. nat. qq. ca. 30.

Vel deniq; vnus eſt ictus,cum nubes,quaſi inflata veſica,ſemel rumpitur.

1123 Quod ſpectat ad coruſcationem,illa ipſa exhalatio,quę exitũ ex nube quęrit, aut quaſi ex digitis nucleus excluditur.(non.n. minor eſt vis vni contrario ad fugam, quam alteri ad eijciendum) illa, inquam, exhalatio in curſu accenditur, & accenſa corruſcat. Vt aſſimiliter maiori minor paſſio, inquit *a* Ariſtoteles,accidit hic quod in ardentibus lignis.ſępè in his ſpiritus latet,qui, non per antiperiſtaſim,ſicut in nube accidit,ſed ob externum ignem magis, ac magis incaleſcit,calidus eiectat ſe foras, & in crepitantem flammam exit, qui Vulcani,ſiuè ſeù Veſtæ riſus dictus eſt ab antiquis.

a Li.2.meteor. Sum.4.cap.1.

1124 Pręit ſonitus coruſcationem;nos verò prius corruſcationẽ videmus, quam ſonitum audiamus. Ratio,cur ſonus præcedat,eſt, quia fit in nubium ſciſſura;flamma verò ſequitur,quia exhalatio,vel non accenditur, antequam exeat,vel,ſi accenditur,nobis certè apparere non poteſt,niſi poſtquam emiſſa eſt,& in curſu,in quo ea eſt,quæ dicitur coruſcatio.

1125 Cur verò,dum hęc ipſa ad ſenſum veniunt, citiùs perueniat lumen ad oculos,quam ſonus ad aures, eſt inquit Ariſtoteles, quia viſus anticipiat auditum,vt habemus ex remigatione, in qua cum ſecundò ſursùm feruntur remi,primus ſonus auditur.

1126 Sed negandum non eſt, vt benè adnotat *b* Vicomercatus, quin poſſit aliquandò ſonus priùs à nobis accipi, quam lumen, aliquandò etiam ſimul. ſæpè fit, vt diu luctetur exhalatio, dum viam ſibi facit,non autem ſubitò, ac eruperit accendatur,hæc ſonitus diuturnitas, & mora ignis facilè efficiet, vt auditus viſum antecedat. Contingit etiam,nubem eſſe vicinam aliquandò,& quia auditus tarditas maior, vel minor eſt pro maiori, vel minori diſtantia, non erit tardus, vbi diſtantia non multa ſit.

b In lib.2.meteor. ad finem.

1127 Meritò ex his,quæ certam habẽt veritatem, deridet *c* Ariſtoteles ſentẽtias veterum,qui tonitrum,coruſcationemq; in alias cauſas fabulosè retulerunt. Viſum eſt Empedocli,ſolis radijs in aere ignem accendi,& coruſcare, dum diſcurrit. Anaxagoræ viſæ ſunt eſſe partes ignis ętherei,quæ pariter per aerem illuſtri curſu ferantur. Vterq; conſentit,ſonitum,qui poſt lumen auditur, eſſe lumine poſteriorem,dum accenſus ignis in nube extinguitur.Multas alias his fabulis admiſcent, præſertim Anaxagoras; ſed allata ex Ariſtotele veritas eſt horum errorum confutatio.

c Eodem lib.2. Sum. vlt.ca.2.

1128 Cur hæ in nubibus incluſę exhalationes vt plurimùm deorsùm ferantur, cauſa eſt, quia intrà nubem agitatę per rarefactionem, eo ſe ſe dirigunt ſuo impetu,quò detur exitus, impetuq; eodem retento ab eadem parte rectà,vel quaſi rectà feruntur in apertum.

1129 Exitus ferè eſt à parte inferiori, quia ſuperior nubes denſior eſt; maioris vero denſitatis ratio eſt; quia illa ipſa pars citiùs deſeritur ab exhalatione in ſuperam regionem abeunte, quam inferior, atq; ità citiùs ea poteſt ad naturale frigus redire, quam inferior.

1130 Ex variò huius exhalationis ex nube exitu, varij ſunt ex eadem materia effectus,qui varia nomina ſortiuntur. Ecnephia dicitur ipſa hæc exhalatio, prout ex inferiori nubis parte non accenſa, ſed in ventum rectà tranſmittitur,

tur, veluti exclusus nucleus in terram.

1131 Violentus est huius casus motus, & Procella etiam dicitur alicubi ab *a* Aristotele, simul cum flatu vim subitarum aquarum ex nube discissa trahés. Ferè hæ aquę vitiatæ sunt ipsius, vt reor, exhalationis admixtione.

a Sect. 26. Probl. nu. 15. item. 3. meteor. Sum. 1. cap. 1.

1132 Typhon dicitur, cum exhalationes in quęrendo exitu conglobantur, non secus, ac fluminum aquæ, cum ad sinuosas ripas alliduntur in cursu, desi-gnatoq; circulo, ipsæ in se redeunt, & vorticem faciunt.

1133 Simili quadam ratione vorticosum motum init in nube exhalatio, quę erumpit, ex eodemq; impetu in spiram descendit in terrã; quicquid arripue-rit corrotatura. Hic Typhon dicitur, inter ventos numerandus, cum hæc ex-halatio nõ accẽditur, sed perflat. Quod si accẽdatur, hæc ipsa est Præster.

1134 Ille etiam est mortalium terror, nec inter vltimos, Fulmen. Huius ma-teria exhalatio est, intrà nubem coacta, & per antiperistasim incensa; illa ipsa quæ materia est Coruscationum, Turbinum, Procellarum; sed ad ignem retinendum, ac feriendum aptior, quia magis cohęret, & solidior est.

1135 Deorsũ sæpè hæc cadunt, eandẽ illam ob causam, quam retuli ex *b* Ari-stotele, vbi ait, ad cõtrarium spissitudinis esse necessariũ fieri extrusionem ve-lut nuclei, ex digitis exiliẽtis, etenim hæc pondus habẽtia feruntur sæpè sursũ.

b Li. 2. meteor. Sum. 4. cap. 1.

1136 Credunt vulgares, fulmina lapidea esse, vel alicuius similis durę mate-riæ; Mirum, ni sibi etiam persuadeant id, quod in fabulis traditum est, Vulca-num ea in Aethnæ ferraria fabricari, vbi etiam, Brontesq;, Steropesq;, & nudus membra Pyragmon operi insudent. Non nego, quin durum aliquid, siuè illud lapideum sit, siuè metallicum, possit in nubibus, vel perfici, vel in-choari à causis naturalibus, quod exhalationis impetus secum trahat; sed ne-go, ea esse, quæ communiter emittuntur è nubibus fulmina.

1137 Compositum verò fulmen ex ea materia, quam Aristoteles assignat, vt distinctius adhuc cognoscatur, sic describi potest: Esse igneum halitum, tenuem ad penetrãdum, copiosum ad impetum, beneq; cohærentem ad du-rationem, ex nube violenter extrusum.

1138 Non semper attingit terram; nihil.n. repugnat, vagari tantisper per aerem, & materiam interim absumi. Nec censeo necessarium, vt semper versus terram feratur, licet feratur, vt plurimum; quia si contingat in aliam partem scindi nubem, indè in eandem exibit.

1139 Fulminum cursus, quaquaversum sit, sinuosus, & erraticus ferè est; causa est *c* eadem, quæ erroris fulgurantium exhalationum, & repulsio, si in terram, vel aliam partem allidantur. A motu fulminum species aliquando distinctę sunt; nam alia rectiùs eunt alijs, & recta dici possunt; alia magis er-raticè, & dicuntur obliqua.

c Assignata hoc eod. cap. et 23. eiusdem libri.

1140 Alij partitionẽ faciunt ab effectibus fulminũ, nec.n. parẽ vim ad eosdẽ habẽt. Quędã, ait *d* Seneca, terebrant, quędã excutiunt, quędam vrũt. Docet ipsa res; nam sæpè res fulmine ictę perforantur; sæpè loco mouentur solùm, ac procul disiectantur; sæpè amburuntur solũ. Ab effectu etiam *e* Aristoteles partitionem aliquam indicat, vbi habet, quędam fulmina *f* Argita fuisse di-cta à Poetis, quia clara sunt, rara videlicet, ac tenuia, apta ad penetrandum

d Lib. 2. natur. qq. cap. 40.

e Li. 3. meteor. Sum. 1. cap. 1.

f ἀργῆτα

magis,

magis,quam ad impellendum,vel vrendum, quod conuenit fulminibus materiæ solidioris.

1141 Ex materiæ diuersitate multorum effectuũ reddi ratio potest, qui fermè fidem superant. Clypei (inquit *a* Aristoteles) æramentum liquefactum aliquandò fuit, lignum verò nihil passum fuit. Cur ità? eam esse causam dicit idem,quia cum fulminis materia tenuis est,ea, quæ sunt rariora, facilè penetrat,ac peruadit,& ideo nõ comburit,quæ verò densiora sunt,comburit, aut liquefacit,quia ipsa densitas ignitam materiam detinet, & datur combustioni locus, & quod satis est temporis.

a Ibidem.

1142 Ex eadem fulminis tenuitate sunt similes effectus, quos ex varijs auctoribus,factoq; ipso referunt *b* meteorologici: ictum fulmine gladium,vagina conditum,fuisse consumptũ igne,vagina integra:quod erat argenti,ærisq; colliquatum fuisse in crumena sine vllo incendij indicio, quod in ea appareret:appetitum aliquem fulmine,stetisse exanimem sine vllo vulnere,aut vstulatione:in cineres aliquandò ossa fuisse conuersa fulminis vstione,integris tamen carnibus.Hæc præstat materia tenuis;pinguior si sit,in raris adhęrescet, eaq; comburet,relictis solidioribus.

b D. Thomas, Albertus Vicom. & alij cõmuniter in lib. 3. Meteor.

1143 Refert naturæ miraculorum enarrator Albertus, dolium vino plenũ tactum fuisse fulmine,dolioq; cõbusto,stetisse in seipso vinũ aliquãdiù. Contrarios effectus alij narrant, exhausto vino sine vlla læsione remansisse doliũ. Fides sit penes auctores. Si veræ tamen historiæ sint,non malè philosophabe ris ex materiæ diuersitate. Vbi ea tenuis sit, ac benè sicca, porosum dolium facilè penetrabit,& verò exhauriet,cõsumpto humido per siccã, sitientemq; exhalationem. Vbi eadem pinguior sit,dolium conflagrabit, obductumque crassiori pinguedine vinum stabit,quasi in uitro.

c In 2. Meteo. tract. de tonitr. cap. 22.

1144 Quæ fulmine tanguntur,esculenta, vel poculenta si sint, non semper sine periculo mortis,aut insaniæ, aut alterius morbi in cibum,aut potum sumuntur. Inficit exhalatio rem attactam, easq; qualitates communicat,quæ noxiæ,& venenatæ sunt.Hinc etiam grauis odor ex his, quæ fulmine periere, è que ipso aere,per quem fulmina transmissa sunt.

1145 Sed venenatis morbis dicuntur aliquandò fulmina fuisse remedio,scilicet quia nulla mala qualitate affecta, ignea vi morbidam morbi qualitatem exurere potuerunt.



PLVVIA, NEBVLA, Ros, Pruina, Nix, Grando.
CAP. XXVI.

1146 HACTENVS ea persecutus sum, quæ ex halitu sicco generantur, restant, quæ ex humido: nec verò minus hęc illis aut admiranda visu sunt, aut scitu iucunda. De pluuia disputat *a* Aristoteles, & materiam facilè assignat, itemq; locum, & generationis modum ijs verbis: cum caliditas, exhalatio videlicet, quæ vaporem sursum duxit, eum derelinquit, & abit in superiorem locum, vapor extinguitur, suspēsus in medio aere, cogiturq; iterum infrigidatus, & fit aqua, facta autē iterum fertur ad terram

a Lib. 1. Meteor. summ. 3. cap. 1.

1147 Addit non minus eleganter, quam verè, circulum aquarum fieri virtute solis, dum vapor ex aqua hauritur, qui mox in aquas relabatur, accipitq; aer aquam ex imo, vt hanc rursus inferiores partes recipiant ex alto. Sic sese elementa inuicem iuuant, mutuamq; operam præstant, atq; in quo sint hominibus documento fidem in dato acceptoq; seruant.

1148 Certam esse pluuiarum materiā vaporē, potest quisq; hic discere ex signis, sicut ventorum materiā ex ventorum signis *b* suprà tradidi. Etenim eadem futuram pluuiam præmonstrant, quæ sunt præsentium vaporum argumenta. Cum sol solito maior exurgit, & lucem subobscuram dat; cum nubes tetriores sunt, cum lunæ facies tristis, ac tetra. In eiusdem cornibus vētorum, pluuiarumq; indicia insident, prout noua forma nouam aeris mutationem indicauerit, vel ab exhalationibus, vel à vaporibus.

b Hoc eodem lib. 2. c. 23.

1149 Vapor autē, qui ex humentibus terrę locis, & potissimū ex mari eleuat̄ tenuis primum est, quia calidus; mox verò vbi ad mediam regionem venerit, sese sensim recipit in suum statum, ac densior fit. Ipsa hæc est nubis generatio, quæ medium quendam statum habet inter vaporem, & pluuiam,

dum

dum intercepto quodam tempore ex vapore pluuia fit. Quare si dixeris, materiam pluuiæ proximam nubem esse, dixeris id, quod res est; si dixeris, esse vaporem frigidiorem, dixeris idem.

1150 Ipsa hæc materia pluuiarum materia est nebulæ, seu caliginis, roris, ac pruinę, & generationis modus nō dissimillimus: est videlicet ꝑ infrigidationē.

1151 Sed in quantitate materiæ, vel in tempore, quo hæc fiunt diuersa effectuū ratio est, & ideo diuersorum nominum impositio. Ex quo fit nebula paucis, ac diserte habet *a* Aristoteles: Caligo (inquit) nebulæ decidētia eius, quæ in aquam concretionis. Dum ex nubibus aqua pluuia defertur, vaporum reliquiæ, nondum benè concretæ, comitatur, & hæ in infima regione, terræ incubantes caliginem faciunt.

a Lib. 1. Meteor. summ. 3. cap. 1.

1152 Ex nebula serenitatis indicium capit *b* Aristoteles; est enim modica materia, quę vi solis facilius in aerem transmutatur, quam sua vi concrescat in nouuam pluuiam. hinc eadem dicitur sterilis nubes.

b Ibidem.

1153 Dubitant hic *c* aliqui, an hæ nubium reliquiæ sint veluti nubis fęces densiores, quæ in aquā ire non potuerint, sicut cineres in ignē nō eunt, an verò rariores. Placet hoc secundū; nam video nebulam in aerem exigua etiam vi solis transmutari, quod est non postremum raritatis argumentum.

c Vicom. in Meteor.

1154 Aliter etiā nebula generatur, non per nubium dissolutarū reliquias, huc ad nos de media regione dilapsas, sed per ascēsum vaporum crassiorum, quibus non tanta vis est, eundi ad mediam regionem. Halitum hunc incubantem fluminibus, lacubus, & locis paludosis facilè aduertas.

1155 Sæpè is calore solis exoriētis dissoluitur, & in aerem abit, aut rorē, vel pruinam, vt mox subijciam. sæpè additis exhalationibus, factoq; calore intensiore additur vis ascendendi altius, vbi congregetur in nubem, & depluat in guttas. Itaq; hic secundus caliginis modus nō semper serenitatis signū est.

1156 Ros, & Pruina non differunt materia; est enim illa ipsa caligo, quę, vel ex media regione huc dilabitur, vel ex terra ascendit. Sæpè hæc in aerem dissoluitur, vt dixi, & fortasse tota dissolueretur, si copia tanta non esset, aut esset diurni solis cursus longior.

1157 Cum verò noctū frigore transmutatur id, quod eius caliginis reliquū est, fit Ros, aut Pruina ea ratione, quam ita diserte tradit *d* Aristoteles, vt liceat ipsum audire: Pruina fit, quando vapor congelatur, prius quam in aquā concretus fuerit iterum, fit autem hyeme, & magis in hyemalibus locis. Ros autem fit, cum concretus fuerit in aquam vapor, & neque sic fuerit tepor, vt exsiccetur sursum ductus, neq; sic frigus, vt congeletur vapor ipse, propterea quod, aut locus tepidior, aut anni tempus sit.

d Lib. 1. Meteor. summ. 3. cap. 1.

1158 Fit ergo ros in vere, & æstate, pruina sub autumnum, & in hyeme, fiuntq; hæc frequentius in locis demissis, quam in montibus, & locis editioribus; tum quia in his cauitatibus facilius hæ reliquiæ asseruantur, seque à diurni solis vi defendunt; tum quia minus expositi sunt ventorum flatibus. Ea potest esse temperies huius materiæ, ex qua ros fit, vt ex ipsis roscidis guttis concrescat manna, quæ species quædam est melliti roris, defluat etiam mel, quod lentore quodam differt à manna.

a Eod. cap. 1. sum. 3. lib. 1.

1159 Ex vaporibus in mediam regionem delatis niues fiunt, quas ait *a* Aristoteles, proportione quadam habere se cum pruina, sicut pluuia se habet cũ rore; Conueniunt .n. hæc oĩa in materia, vel eadem, vel nõ multũ dissimili.

1160 Sed variare multum effectus possunt externæ causæ, quę in his meteoris valdè operantur, ideſt calor, & frigus. Qua ergo ratione differt pruina à rore, quia ros suapte natura redit ad statum aquæ, pruina vi frigoris prius, quã fiat aqua, densatur in nitidos globulos: ità differt nix à pluuia, quia hæc per se redit ad aquæ naturam, nix sicut lana cogitur, & spargitur.

1161 Non qualecunq; frigus satis est ad niues generandas, sed tantũ, quod præualeat contra nubem continentem in se cum vaporibus non exiguam calidarũ exhalationũ copiam. Et in hoc differt à pruina nix; nã in pruinã vapor tenuis, & fermè destitutus exhalatione cogitur, ad quã rem modicum frigus satis est; In niuem verò nubes ipsa, in qua (inquit *b* Aristoteles,) adhuc inest multum calidum residuum ignis, qui euaporare fecit ex terra humidum.

b Ibidem.

1162 In hac subita nubis densatione porrò multũ aeris intercipitur, qui intrà nubem contentus eadem illa frigoris vi remanet intrà niuem. Hæc verò potissima est causa niualis candoris, quam esse eandem scimus in spumis aquarum, vndè enim agitatæ aquæ candorem habeant, nisi ex aeris admixtione? Nix verò veluti quædam spuma est, ob quam conuenientiam, alteram cũ altera pro huius eiusdem rei exemplo coniungit aliquando *c* Aristoteles. Cãdoris etiam causa frigus est, vt meritò nitidissima dicatur nix, quæ duas candoris causas præcipuas habet.

c Lib. 2. de Gener. anim. cap. 2.

1163 Albicantes in aere nubes indicio niuis futuræ sunt: Subobscura tamẽ earum albedo est; tum quia nondum perfecta trãsmutatio est, semperque ea etiam facta, aliquid crassioris vaporis remanet; tum quia inter oculũ, & obiectum vaporum copia est, quæ officit.

1164 Rubescere aliqñ niues testatur *d* Arist. vetustiores tamẽ, cum partes aereæ aliquãtulo calore extractę sunt, & per admixtionem terrei halitus quodammodo putrescunt. Et hoc est, quod idem Aristoteles, indicat vbi subdit, vermes etiam ex vetustioribus niuibus nasci.

d Lib. 5. de Histo. anim. c. 19

1165 Grandinis generatio in multis differt à generatione niuium, quamuis in materia conueniat, quæ item vapor est. Differentia est, quia grando non solum frigore, sed magis calore conglaciatur. Vndè est, vt fiat aliquando in ęstate, sæpius in autumno, & in vere, rarius in hyeme.

1166 Prætereà antequam fiat conglaciatio, fit conuersio vaporis in aquæ guttas, mox guttarũ in globos ferè rotundos, quia attritione per aerem rotũdantur; grandiores verò, cum ex vicino loco decidunt; minores, cum ex altiori. Quã etiã ob causam aquę pluuiæ guttæ maiores aliqñ sunt, aliqñ minores.

1167 Differẽtia etiã in loco est; Niues .n. in media regione cõcrescũt, grãdo vt plurimũ in infima, immò semp, qđ hac rõne benè probat *e* Arist. Incõueniẽs (inquit) est cõgelari aquã in eo, qui est sursũ loco, neq; .n. congelatũ esse possibile est, anteq̃ facta sit aqua, neq; aq̃ vllo tpe possibile est manere eleuatã.

e Lib. 1. Meteor. summ. 3. cap. 2.

1168 Obijceret fortasse aliquis, fieri minutissimas aquæ guttas in media regione, & ibidẽ cõsistere posse, quia pro paruitate leues sunt, & quasi supernatant.

tant. Respondet idem Aristoteles, tantas esse guttas, quantus est grandinis globulus.

1169 Quod grando in vicinis terræ locis fiat, & in ipsa infima regione, illud etiam argumentum est, quia in altiores montes rarò decidit, in demissiores sæpius. Ex quo multò certius reijcitur *a* Anaxagoræ sententia, qui dicebat, eleuatum altè vaporem ad aerem frigidum conglaciari. Scilicet summi montes communiter frigidiores sunt vallibus, vndè, & niuibus abundant, & tamen grandine vix quatiuntur.

a Apud Arist. cit. sum. 3. cap. 2.

1170 Celeriter fit grãdinis coactio, quia vapor, ex quo aqua fit, calidus est, & ex eo aqua exprimitur adhuc tepens, ideſt magis apta ad transitum in glaciem, quam si præcalefacta non fuisset; Quapropter (inquit *b* Aristoteles) multi cũ aquã infrigidare citò voluerint ad solẽ ponunt primò; Et qui circà Pontum cum in glacie habitacula faciunt, ad piscium venationes, venantur.n. intercidentes glaciem, aquam calidam arundinibus circumfundunt, propterea quod citiùs congelatur, vtunturque glacie, tanquam plumbo, vt quiescant arundines.

b Eodem cap. 2. sum. 3. lib. 1.

1171 Ratio huius effectus reddi potest, siuè cõglaciatio fiat à frigore, siuè à calore per antiperistasim. Cum fit à frigore, aqua calida est magis apta ad impressiones, agentis frigidi recipiendas, quam si nõ teperet, & ideò citiùs conglaciari potest. Cum fit à calore circumobsistente, circumsistens is materiam tepentem euocat subtiliores, calidioresq; illius partes, quibus abeuntibus, crassiores, ac frigidiores, quæ remanent, vim habent maiorem ad sibi totam illam materiam assimilandam. Recole *c* quæ suprà asserui de antiperistasi.

c Hoc eod. lib. 2.

1172 In his, quæ gelu durãtur, siuè sit grando, siuè glacies, siuè nix, siuè pruina, certa aliqua materiæ dispositio necessaria est; Nec.n. aqua in suo naturali statu dura esset, sicut glacies, & alia, quæ modo recensui, & tamen frigidissima esset, vt octo. Est hæc dispositio admixtio terrenæ siccitatis, quam hi meteorologici effectus habere facilè possunt ex ea societate, quam sæpius dixi, esse inter vaporem, & exhalationem.



HALON, VIRGAE, *Parelia, Iris.* CAP. XXVII.

a Hoc lib. 2. cap. 22.

1173 DIXI *a* suprà, interiectu exhalationū inter nostrum aspectum, & cœli oculos, varios exprimi colores, & rerum imagines. Simile quid vapores præstant. Halon dicitur, siuè corona, cum eorum copia inter nostrum aspectum, & Lunam instat, non in ea densitate, quæ possit officere, sed in modica raritate, per quam diffundi Lunæ lumen queat. Vestitur tunc noua luce vapor, & lunæ auream, siuè argenteam circumponere cornonam videtur, latè fulgentem.

b Lib. 3. Meteor. summ. 2. cap. 1.

1174 Simile quid accidit in sole, sed rarius, vt notat *b* Aristo. viget. n. solis calor magis, & materiā non densissimā facilè disijcit, alia etiā astra coronantur aliquando, & quasi auri splendorē latè vibrant. Nō tamē semper vndequaq; is circulus astrum ambit, materia, opinor, deficiente, vel ventis eam alio dissipantibus. Et hinc igitur ventorū aliquandò, alias pluuiarum præsagia sunt, nōnūquā etiā serenitatis, cū vapor modicus fuerit, ac totus dilabitur in aerē.

1175 Circa solem virgarū, & pareliorū apparentiæ sunt. Virgæ dicūtur, cum in omnibus nubis partibus par densitas, & raritas non fuerit; Transmittūt. n. rariores lumen, refrangunt densiores, & color varius apparet ex refractione. Virgarum nomen hæ partes habent à figura, quam imitantur, in longum sitę, vix vnquam suprà solem, aut infrà, sed ad latera.

1176 Virgarum numerus incertus est, sicut & colorum, quia nō eadem semper materiæ dispositio est, nec idem cœli situs.

c Sen. lib. 1. natur. qq. Plin. lib. 2. & alios.

1177 Parelia dicuntur, cū sibi speculum Sol ex nubibus facit, ac lumine reflexo, plures sui imagines ostendit, quasi sol amplius solus non sit. Apud *c* scriptores sæpius reperias binos aliquandò, vel ternos illuxisse soles: excepit videlicet vnius imaginē nubes in fundo dēsior, & opaca, mox reddidit; Quod si

ea, quæ

ea, quæ redditur, ab alia simili nube excipiatur, quæ pp opacitatẽ apta sit reddere, erit secũdũ speculũ, & tertius sol, & similiter plures poterunt apparere.

1178 Accidit hoc in sole, nec raro, cũ nubes vicinę sunt, à qua vicinitate parelia dicta sunt; Nam si nimiũ distent, vel propter ineptũ situm, vel propter distantiam ipsam, continget id, quod in speculis; imago nulla erit. Fit item hic effectus ferè oriente, vel cadente sole; nam in meridie, aut non facilè, si vlla reddatur, imago poterit à nobis conspici, aut nulla omnino reddetur, quia solis radij validiores nubis opacitatem aperient. Nihilominùs tamen refert *a* Aristoteles, plures aliquandò soles fuisse exortos, plures pariter ad meridiem ascendisse, & cecidisse in occasum.

1179 Parelia de die fiunt, quia plurima circà solem, immò quia solum circà solem, vt notat *b* Aristoteles: Sed simile quid contingere posse circà lunam, vt videlicet eius lumen ab aliqua nube accipiatur, ac reddatur, nihil repugnat. Quin etiam fuisse aliquandò uisas plures *c* lunas memoriæ proditum est, nube caua referente aliam sub imagine formam, ut *d* quidam cecinit. Hoc si quandò accidat, credibile est, frequentius ad exortum, uel ad occasum lunæ accidere, quam cum luna sublimior est.

1180 His mundi oculis Soli, ac Lunæ respondent proportione quadam in homine microcosmo duo, quæ gerit in fronte, lumina, à quibus imitatione quadam quasi parelia fuisse facta, testatur *e* Aristoteles, ubi de quodam meminit, cui suum præibat simulacrum, quod semper gerebat antè oculos. Si hunc non delusit imaginationis error, ità res potest explicari. Humores, qui huic ex oculis exibant, nubis instar habuerunt, & in ijs collectę uidentis ipsius species ad oculum redibant, ipsumq; uidentem ostendebant.

1181 Inter multa, quæ dantur in aere, spectacula, cœlestis arcus tanta colorum varietate vestitus eam sui admirationẽ fecit, vt *f* Thaumãtis proles dictus sit. Quid verò sit, longo studio quæsitum est. Certum tamen sit apud peritos id, quod disertè ab *g* Aristotele traditum est, eandem esse materiam Iridis, quæ effectuum modo explicatorum, Halonis, Virgarum, Pareliorum, videlicet vaporẽ cũ lucis repercussione. Eadẽ (inquit) omnibus cõgruit ratio.

1182 Quæ de luminum, & colorum apparentijs in aere explicari hic solet, facilè inuoluunt aliam quæstionẽ, an visio fiat per extrà missionẽ, an per intrà susceptionem. Supponit Aristoteles sententiã quã *h* alibi reprobat, per extrà missionem, quia vulgata illis tẽporibus, & quia alterutra supponatur è duabus, nullũ facit in re momentũ. Vidit hoc & palam *i* edicit, quia nihil refert, permutari, quod videtur, aut permutari visum; vtroq; .n. modo idem euenit.

1183 Experientia etiam ponenda hic est, quam non prætermisit *k* Aristoteles, vbi in speculis aliquod visibile per reflexionem specierum, seù radiorũ cernendum sit, debere speculum esse iustæ alicuius magnitudinis, vt rei visibilis figuram repræsentet; Si verò speculum minus iusto sit, nec figuram repræsentet, repræsentare rei colorem potest, quia ad hoc minor etiam speculi magnitudo satis est.

1184 Ratio facilè inuestigatur: Est enim figura terminus quantitatis in certa aliqua distantia sitæ; Quare etiam in imagine proportiona-

a Lib. 3. Meteor. summ. 2. cap. 1.
b Eod. c. 1.
c Ex Plin. lib. 2. nat. Histor. cap. 32.
d Pontanus in Meteor.
e Lib. 3. Meteor. summ. 2. cap. 3.
f Ex Platone in Theetæto, vel de sciẽtia.
g Lib. 3. Meteor. summ. 2. cap. 2.
h Lib. de sensu, & sensili.
i Lib. 3. Meteor. summ. 2. cap. 2.
K Eod. 3. Meteor. summ. 2. cap. 3.

tam terminorum distantiam exposcit, quam non poscit calor.

1185 Colorem cum dico in re præsenti, intellige verum, & realem; non tamen illum, qui sequitur ex admixtione primarum qualitatum, sed qui ex varia luminis positione, & habitudine *a* ad illud corpus, in quo colores apparent, sicut suprà asserui de coloribus, in aere apparentibus, ex obiectu exhalationis. Nec magni facio, an dixeris apparentes, dũmodo de illis non sint, qui ex solo imaginationis errore habent apparentiam, vt in delirantibus contingit.

a Hoc eod. lib. 2. c. 22.

1186 Cæterùm aliquam viam aperiunt, ad cęlestem arcum cognoscẽdum, multæ viciniores nobis apparentię, quarum causa exploratior est: Has affert *b* Aristoteles; Iridis colores videre sibi videntur, qui humidos oculos habẽt, horum.n.visus (inquit) citò propter debilitatem refrangitur. Humidus cũ fuerit aer, apparet circà lucernę flammam coloratus; cõmunicat.n.humido aeri quandam opacitatem lucernæ fumus, & speculũ quoddam fit, vel quasi paruulorum speculorum coniunctio, vndè colores varij referantur, similia his sunt, quæ de coloratis remis, de lucernis Thermarum referuntur.

b Lib. 3. Meteor. sum. 2. c. 3

1187 Iam vt ad Cęlestem Iridem ex his deueniam, fit hic mirabilis naturæ effectus, dum soli directè opponitur nubes, nondum in aquam transmutata, nec planè sub statu nubis, sed humido quodam rore conspersa, ità vt fiat ex opacò, & perspicuò in ipsa cauitate compositio, qualis in speculo, vel potius quædam quasi minutissimorum speculorũ iuxta positio in vnius cõcaui corporis configuratione. Vbi sol directè hanc nubem oppositã habuerit, in eoq; statu ea sit, in quam nos à tergo solem habentes directè aspicere possimus, ex radiorum repercussione fit Iris.

1188 Cum hæc nubes magis aquea sit, quam illa, ex qua fit Halon, magisq; à sole distet, colores habebit obscuriores, quam Halon habeat. Tres hi cõmuniter numerantur, quos eosdem *c* Aristoteles agnoscit, puniceus, seù citrinus, viridis, purpureus.

c Lib. 3. Meteor. sum. 2. c. 3. & 4.

1189 Numerant alij quartum in connexione punicei cum viridi, & est rubor quidã in vtriusq; confinio; sed debilior hæc apparẽtia est, & ideò ab Aristotele prętermissa, qui magis gaudet ternario numero. Dispositio eorundem est, vt extimus ductus puniceus sit, huic proximus viridis, intimus purpureus.

1190 Vnicus ferè Cęlestis arcus, sed & geminus non raro, ità vt vnus interior sit, & minor, alius exterior, & amplior. Plures his dicuntur fuisse aliquãdo uisi, quamuis fortasse non viderit Aristoteles, nec audeo repugnare, quia non video repugnantiam, neq; cur fieri non possit apta ad hunc effectum materiæ collocatio.

1191 Cum hi arcus geminantur, oppositi sunt colorati tractus, & in circulo, qui includitur à maiori, ea est colorum dispositio, quam retuli; scilicet extimũ locũ habet color puniceus, mediũ viridis, intimũ purpureus; In maiori autẽ cõtrà, extimus color purpureus est, medius viridis, intimus puniceus.

1192 Pro hac colorum varietate explicanda, tria principia ponit *d* Aristoteles, quæ vera sunt, notisq; experientijs certa. Primum est; Id, quod splendidum est, si in nigro, seù per nigrũ conspicitur, puniceũ videri, sic flamma, quę ex

d Lib. 3. Meteor. sum. 2. ca. 3. & lib. 1. sum. 2. ca. 2.

ex viridibus lignis acceditur,quia ſplendet in fumo,punicea eſt. Secundũ eſt; Quæ longius diſtant debiliori viſu videri,quam quæ viciniora ſunt. Siuè rem explicas per extramiſionem ex oculis, ſiuè per intus ſuſceptionem, facilè eſt intelligere,quaſi venientem elonginquo ictum.Tertium eſt.Vbi aſpectus negatio ſit,ibi nigrum apparere,qua ratione clauſis oculis tenebras vides.

1193 Ergo in Iride punicei coloris cauſa eſt, quia nitidiſſimus Solis radius per nubis partes atras diffunditur,ac reijcitur; ſunt verò hæ partes atræ, vel quia nimis humentes,ac denſæ, vel quia longè poſitæ, & quidẽ quod attinet ad diſtantiam,dupliciter hæc facit ad nigredinem, vel quia debilior ad eã uiſio peruenit,vel quia minuitur quodammodo quantitas,vt non facilè ſenſum moueat,in qua priuatione quædam quaſi viſio nigredinis eſt.

1194 Adde hic pro differentia huius apparentię ab apparentia aliorum colorum,referri puniceum colorem ex ſplendido,& nigro,quia radij ex obiecto reſiliunt vegetiores,& viſio item vegetior fit.

1195 Ex infirmiori viſione,pro ſitu nubis, ex languore radiorum reſilientium,apparet ex ſplendido, & opaco,color viridis,& ex adhuc magis infirma purpureus. Nam viſus imbecillitas, quaſi nigri viſionem facit ex priuatione, vt modo aſſerui ex tertio illo principio; Pro menſura ergo imbecillitatis, niſi fortè tantæ fuerit,vt obiectum nullo modo aſſequatur,illi colores apparebũt, qui de nigro magis habent; Inter hos tres,maxima nigri participatio in purpureo eſt,proxima in viridi,minima in puniceo.

1196 Cum duo apparent arcus,principalis cenſetur is, qui interior eſt, & minor;diuerſa autem eſt colorum ratio,non ſolum quia,qui ſunt arcus ſuperioris,languidiores ſunt,ob radiorum, & viſionis languorem, ſed etiam quoad colorum diſpoſitionem,quæ oppoſita eſt, vt modo dixi.

1197 Iridem facere etiam luna poteſt,cum pleno micat orbe, & ſanè erunt colores candidiſſimi,vt loquitur *a* Ariſtoteles,ideſt puniceus benè, & perſpicuè puniceus;viridis,benè viridis,purpureus,benè purpureus,quia ipſius noctis obſcuritas iuuat illum effectum,qui in his coloribus à nigredine eſt. Et verò multum refert,in coloribus ad proſpectum proponendis,quem cui appoſueris,qua in re accuratè agunt, tum qui penicillo pingunt,tum qui acu,tum qui gemmis.Plura de Iride Perſpectiuis examinanda relinquo.

a Lib. 3. Meteor. ſum. 2. c. 3

MARIS NATVRA, Motus, Sapor.
CAP. XXVIII.

1198

PErtractatis his, quæ ex duplici halitu generantur, in poſtremam effectuum meteorologicorum partẽ conijcio ea, quæ de aquis dicenda pollicitus ſum *a* ſuprà. Et verò multa in his operatur ſol, ac cœleſtis calor, ſiuè vaporum opificium ſpectes, ſiuè exhalationum effectus, vt in ipſo aſſertionum mearum curſu conſtabit.

a Hoc eod. lib. 1. cap. 14.

1199 Primam Maris originẽ cum antiquis exquiro; contrà quos primùm aſſero in vniuerſum, irritum fuiſſe conatum in huius origine inueſtiganda potiùs, quam aliorum elementorum.

1200 *b* Orpheus, Homerus, Heſiodus viſi ſunt ex fõtibus mare deduxiſſe, ſed cũ dixerint, maris fontes ex ipſo mari eſſe, ſicut dixere ijdẽ terram ex ſuis radicibus naſci, ipſum hoc eſt, quantũ ego cenſeo, nullos maris fontes aſſerere. Si tamẽ eſſe velint, audiant ad homines hac de re ratiocinãtẽ *c* Ariſtotelẽ: Omnis aqua, quę in terra eſt, aut fluit, aut ſtat. Si fluit habet fontẽ, vbi guttatim generetur, collectaq; exundat, & fluit. Sed exploratum eſt, mare eſſe ex aquis ſtãtibus, non ex fluentibus.

b Apud Ariſtot. lib. 2. Meteor. ſum. 1. c. 1

c Eod. lib. 2. ſum. 1. c. 1. ex interpretatione D. Tho. Alex. Niphi, & aliorum.

1201 Si verò aqua ſtagnet, aut id habet, quia naturaliter iacet in aliqua terræ cauitate, in quã ſpontè deuenerit ex ſuperiore aliqua ſcaturigine, aut quia artificiosè collecta eſt. Nec verò mare de his eſt; nuſquã.n. videmus ingẽtes fontes, ex quibus tantũ aquarum in mare deuehi poſſit; quod mare Caſpium, littoribus circumquaq; clauſum facilè demõſtrabit. Quod ſi hi fontes dicãtur eſſe flumina, quę aquas in mare exponunt; Hoc non eſt, mare habere fontes intrà ſe, ſed extra, ipſiq; antiqui id non admitterent, quia ex ipſo potiùs oriri flumina, opinabantur.

1202 Errarunt etiam, *a* qui primam maris originem duxere à sole; aiebant extitisse aliquandò humidam terram, humorem exhaustum deinceps fuisse à sole, terramq; exsiccatam aperuisse hiatus, in quos id, quod erat humoris reliquum, desedit, ac in maris amplitudinem stagnauit. Benè contra hos Aristoteles ait id, quod à sole subducitur aquæ dulcissimum, ac rarissimum, redire iterum in pluuias.

a Anaximander, & Diogenes apud Aristot. lib. 2. Meteor. sum. 1. c. 1. & 2.

1203 Fuere, qui maris originem ex Tartaro petiuere. Tartarum dicebant esse locum, in imis terræ partibus abditum, concauum, amplum, in quo ingens aquarum copia contineatur. Sed non eadem ratione eas aquas in terræ superficiem deriuabant, ad mare generandum. Censuit *b* Empedocles, vi solis calefactam terram exsudare humorem, quem intus habet, & ex sudore mare colligi. Contrà (inquit Aristot.) poeticè hoc melius dicitur, quã philosophicè, cũ nõ sint eædem calefacti hominis, & calefactę terræ, sudoris causæ.

b Apud Ale lib. 2. Meteor.

1204 Explicatior Tartari descriptio, marisq; ex eo deductio à *c* Platone tradita est: Voluit is, cauernosam esse terrã, aquis, ac spiritibus peruiã, in cẽtro amplissimã patere cauernã, in qua immensa aquarũ vis perpetuò fluat, ac refluat, quia non habet, vbi quiescat, hoc fluxu effundi fluuiorum, ac marium aquas, tum in nostrum, tum in oppositum hemisphærium, per peruios meatus, mox per eosdem, vel alios, in Tartarum redituras, perpetua, stabiliq; vicissitudine. Do hic Platoni, antiquissimam esse de Tartaro sententiam; sentio autem cum Aristotele, nullam esse huius ponendi necessitatem pro marium, fluuiorumque origine.

c In Phędone, siue de Anima.

1205 Quid lateat in terræ centro, haud scio, an vllis argumentis cognosci queat; nulla enim naturalis experientia docere potest, an ibi sola terra stet, an spatium aqua, vel etiam aere plenum. Etenim nihil repugnat, esse huiusmodi antrum circà quod terra paribus vndequaque ponderibus circumsistat, centrum verò ipsum non obtineat, quia antri concameratio, ac fornicatio partibus descensum prohibet; sed non omne, quod non repugnat esse, est, nec propterea Tartarus erit.

1206 Mare, quod suprà terram est, itemq; fluuiorum cursus, non indicant, esse sub terra Tartarum, cum longè alia fluuiorum origo sit, de qua *d* infrà; maris verò nulla sit, cum sit ille proprius elementi locus, in quo aquæ naturaliter quiescunt.

d Hoc eod. lib 2. cap. 29.

1207 Quam benè Philosophatus est Aristoteles, vbi contrà antiquos, nullam esse primam maris originem in genere causæ materialis, disseruit; tam malè philosophatur *e* deinceps, vbi contrà eosdem, ex suo falso principio de mundi æternitate, statuit, æternũ fuisse mare à prima causa. Carpat, quantum vult Democritũ, in eo, quod exhauriendũ esse olim mare, vel ab ipsa terra absorbendũ, arbitratur: Certè sapientior idẽ est ipso Aristotele, si primã aliquã, & maris, & mundi creationem fuisse à Deo, non ignorauit, quam non fuisse ignoratam à compluribus, ipse *f* Aristoteles attestatur.

e Lib. 2. Meteor. summ. 1. cap. 3.

f Ibid. eod. ca. 3. & lib. 1. de cælo à t. 101.

1208 Sentio igitur mare fuisse à Deo, rerũ oĩum conditore, creatum, ac duraturũ, quamdiù idem rerum oĩum auctor, & cõseruator, durare voluerit. Sic habet *g* sacra historia, quę mentiri nescit. Deus videlicet, cuius potentia infinita

g Gen. 1.

a Ità interpretantur D.Basil. Hom.2.i Hex. Beda ibid. D. Damasc. 2. de fide cap. 5.

nita eſt,& ideò ſola potens,ex nō ente aliquid facere,in principio, *a* id eſt in vltimo non eſſe temporis,& ſucceſſiuę durationis huius mundi, creauit ex nihilo cęlum,& terrã,ideſt,& ſuperiorem mundi partẽ cęleſtem, & inferiorem hanc elementarem. Creauit primum,mox diſtinctius res creatas collocauit, atq; diſpoſuit,tandem ornauit.

b Has tres actiones in hoc opere diſtinguit S.Th.1.p.q.65 & q. 70.a. 1.

c Hoc eod.lib. 2.cap.14.

1209 Sed maris,de quo loquor,diſpoſitio illa eſt,quę facta dr̃ tertia die: cõgregentur *b* aquę,quę ſub cęlo ſunt in locũ vnũ,& appareat arida,& factũ eſt ità,& vocauit Deus aridã,terrã,cõgregationesq; aquarum appellauit maria. Confuſa erant prius oĩa ſimul elementa. Si vnũquodq; in ſuum locum, Deo iubente,vel natura duceſecederet, ſtaretq; in ſuis naturalibus qualitatibus, nõ ſeruirent elemẽta homini,vt memini me *c* alibi aſſerere,atq; ideo ea rerũ diſpoſitio facta eſt,quę durat adhuc ad hominis bonũ,ſatorũ,natorũq; oĩum.

1210 Durabit in hoc ſtatu mare,quãdiù Deus voluerit; Et verò ſi nulla futura eſſet rerum mutatio; duraret magis, & magis in infinitum, alteratũ quidem,vel á reliquis elementis,vel à cęlo;ſed permanſurum nihilominus, quia quamuis ſecundum partes corruptibile ſit,corrumpi ſecundum totum,ſtante hac rerum diſpoſitione,non poteſt.

1211 Quod ad motũ maris ſpectat,duplex eſt eius agitatio; vna incerta, cum huc,illuc ſine lege fluctuat ventis verſantibus;altera,quę certã habeat legem, & cauſam:& hęc ea eſt,de qua Philoſophus ſpeculatur.Nõ vnus eſt hmõi regularis motus,ſed hic eum ſequor,quẽ eſſe á Septentrione in Auſtrũ, tum in mari Mediterraneo,tum in Oceano,teſtatur *d* Ariſtoteles, & horum etiam temporum nauigationes docent;mox dicam de reliquis.

d Lib. 2. Meteor. ſumm. 1. cap. 1.

e Ibidem.

1212 Meotis(inquit *e* Ariſtoteles) in Pontum influit,iſte autem in Aegęũ. Porro Meotis palus comparata cum Ponto Euxino ſeptentrionalis eſt,& ab hac per Pontum ad mare Aegæum, ad Mediterraneum, & littus Aegyptiacum deſcenſus eſt verſus Auſtrum.

f Eod. cap. 1. ſum.1. lib. 2.

g Hoc eod.lib. 2.cap.14.

1213 Oceanum item habere curſum aliquem à ſeptẽtrione in Auſtrum ab antiquiſſimo tempore aĩaduerſum eſt; & credidere cõplures, de quibus meminit *f* Ariſtot.terram ſub polo arctico eſſe altiorẽ,ac proptereà indè aquas ad nos deſcendere.Sed quod ſpectat ad hunc motum in Oceano,cauſa in terrę altitudinem referri nulla ratione poteſt,cum ſit rotunda,vt *g* alibi aſſero.

1214 Et verò,ſi rotunda non eſſet,deſereretur tandẽ ab aquis illa terra eminentior,eędemq; ſuo pondere in inferiorem terrã collapſæ ſtarent,ac proindè iãdiù ceſſaſſet is motus. Niſi fortè aliquis vellet,eſſe in illa altiori terra perennem fontem,vndè aquę perpetuò huc defluerent.Sed hoc eſt redire ad alteram quæſtionem,modò tractatã, an mare primum aliquem fontẽ habeat.

1215 Pono igitur,terrã vergere ad rotunditatẽ, id quod ſyderum aſpectus demonſtrat,vt alias dixi,facitq; illud ingenioſum problema, quod aliquibus aliqñ incredibile viſum eſt: Si duo viatores diſcedant ex eodẽ loco,alter orientem verſus,alter verſus occidentem, & pari vterq; velocitate ambulet; peracto terræ ſemicirculo conuenient in puncto oppoſito illi loco vndè primum diſceſſerunt & non eodem die,quaſi citiùs eo peruenerit,qui verſus occidentem progreſſus eſt,quam qui verſus orientem. Aliundè igitur illius motus à

ſepten-

ſeptentrione cauſa aſſignanda eſt, quam ex terræ figura.

1216 Duæ verò ſunt cauſæ, quantũ ego cenſeo, quę ſimul iunctæ effectum hunc conſpicuũ reddunt, vtraq; nota, vtraq; apta ad hunc effectũ cauſandũ. Primò ſub polo arctico in regionibus ſeptẽtrionalibus frequentiſſimę pluuiæ ſunt, niues altiſſimæ, aquarũ copia ingens, & cauſa horum oĩum perpetua, eſt ſol ipſe, qui eo, quẽ tenet, curſu, mediã aeris regionem facit imminere ampliorem, & impreſſionibus aqueis fęcundiorẽ. Eſt ergo, cur excreſcentes ibi aquæ verſus æquatorem dilabantur ſuo naturali motu; nam ſemper aquæ, dum locus pateat, deſcendunt.

1217 Secundò, dum idem ſol circà terrã agitur, Zonã torridam vehemẽter vrit, quęq; in eadẽ ſunt maria attractis vaporibus, & ſi parum ad ſenſum, in re tamen, vt effectus monſtrant, non parum imminuit. Deficiunt igitur maria in Zona torrida, creſcunt eadem in Zona frigida; nihil ergo mirum, ſi ex frigida in torridam accurrãt ad implendum locum, & hic ipſe oceani motus eſt à ſeptentrione in Auſtrum, ideſt in oppoſitam partem.

1218 Audio hic obloquentẽ aliquẽ: hę ſi ſint cauſę huius motus in Oceano, pariter motũ ſimilẽ futurũ à Zona frigida, quę eſt ſub polo antarctico, ad torridã, quia credibile eſt, ex eiuſdẽ ſolis curſu, etiã illam Zonã, quæ ſub polo antarctico eſt, abũdare aquis, nõ ſecus, ac abundet illa, quę ſub arctico eſt. Hãc difficultatẽ *a* aliqui, vt euadãt negant, parẽ eſſe rõnẽ auſtralis, & ſeptentrionalis terræ, quia ſub ſeptentrione terra altior eſt. Sed re vera non effugiunt, quia hæc terræ altitudo nulla eſt, & etiam ſi eſſet, effectum hunc nõ pręſtaret; ſicut ſi aqua in vaſe iaceat, cuius vnum labrum alio altius ſit.

a Conymbr. tract. 8. Meteor. cap. 1. ex ſententia Niphi.

1219 Reſpondeo igitur, concedendo, parẽ eſſe rõnem vtriuſq; frigidæ Zonæ, quoad cęli curſum, aeriſq; temperiem, in quantùm præciſè pendet à cęli curſu; ſed cum de ea terrarum regione, quæ ſub antarctico iacet, nullam ad hanc diem notitiam habeamus, neq; adhuc conſtet, an re vera ſit talis motus ab Auſtro verſus ſeptentrionem, quia eo vſq; nec antiqui, nec noſtrates nautæ progreſſi ſunt, hoc puto eſſe philoſophi, agnoſcere, parem eſſe vtriuſq; terræ rationem ex cœli curſu.

1220 Quod ſi aliquando is motus deprehendatur, habemus iam cauſam. Si verò deprehendatur non eſſe, tunc philoſopho, ſpectatis cauſis magis immediatis, facilè erit dignoſcere, in quo terra à terra diſſideat, non tã quoad ſitũ, qui nihil ad id facit, quam quoad defectum aquarum, qui ex ventis, ex aſtris, & alijs ſimilibus cauſis oriri poteſt.

1221 Quod verò ſpectat ad eundem motum, qui in Mari noſtro, vt dixi, deprehenſus eſt, diſertè magis *b* Ariſtoteles huius cauſam aſſignat, quã alterius, qui in Oceano eſt (noſtrũ appello cum *c* Ariſtotele Mediterraneum, comprehendendo Aegæum, Euxinum, ac Męotidẽ paludẽ) Plurima nimirũ flumina, nec leui aquarum pondere onuſta, in Męotidem, Pontum Euxinũ, ingrediũtur, cũq; horũ mariũ nõ ampla capacitas ſit, congeſtæ in anguſtũ aquę refunduntur in Mediterraneum, & hic ipſe motus eſt à ſeptentrione in Auſtrum.

b Lib. 2. Meteor. ſumm. 1. cap. 1.
c eod. cap. 1. cit.

1222 An non ingens fluuiorum accurſus? influit in Męotidem Tanais, cuius curſus Europã ab Aſia diſterminat, confluunt eodem ex Europa ſex alij

fluuij

fluuij,ex Aſia ſeptem,non ignobiles. In Euxinum Danubius, ſiuè Iſter,procurrit. quantùm hic aquarum apportet, accipe ex *a* Plinio : Ortus hic in Germaniæ iugis,multis vltra Alpes millibus, ac per innumeras lapſus gentes,immenſo aquarum auctu, ſexaginta amnibus receptis, medio fermè numero eorum nauigabili,in Pontum vaſtis ſex fluminibus euoluitur. Sic etiam in mare Aegęum multa flumina incurrunt.

a Lib.4. Nat. Hiſt.ca.12.

1223 Capacitas verò horum marium par non eſt. Etenim męotis palus lõgitudinem habet ab oriente in occidentem graduum circiter decem, latitudinem à ſeptẽtrione in Auſtrum graduum ſex; Anguſtè communicat Ponto per Boſphorum Cymmerium.

1224 Pontus verò quamuis mare maius hodie dicatur, longitudinem ab oriente ad occidentem habet graduum circiter octodecim, latitudinem à ſeptentrione ad Auſtrum circiter quinque. Deſcenſus eſt per Boſphorum Thracium in Propontidem anguſtiſſimum mare, per tres tantùm gradus à ſeptentrione in auſtrum, longum, per duos ab oriente in occidentem, latum.

1225 Per Helleſpontum tandem ad Aegæum mare deuenitur, quod latitudinem habet ab oriente quinque graduum, longitudinem à ſeptentrione octo. De his ipſis teſtatur *b* Ariſtoteles, non altam habere profunditatem.

b Lib.2. Meteor. ſumm. 1. cap. 1.

1226 Mare autem Mediterraneum,vel quà in ſinum Adriaticum ex parte deducitur, vel quà ad Grade extenditur, amplioris eſt ambitus. Hoc antonomaſticè Mediterraneum dicitur, longitudinemque trahit à Columnis in Palęſtinam graduum quinquaginta, & eo ampliùs, latitudinem ab ingreſſu ſinus Adriatici vſque ad remotius Africæ litus, graduum ſeptendecim.

1227 Addit *c* Ariſtoteles, altam etiam eſſe profunditatem; ſemper (inquit) adhuc profundius videtur eſſe mare, & Męotide quidem Pontus, hoc autem Aegæum, Aegæo autem Siculum; Sordonicum,& Tyrrhenicum profundiſſima ſunt omnium.

c Eod.cit.c.1.

1228 Nec verò Ariſtoteles aliter aſſignat huius motus cauſas in Mediterraneo, ac ego hactenus aſſignauerim, ſed cauẽdum eſt,ne anceps ſonus contextus aliter perſuadeat Hoc(inquit)propter fluuiorum multitudinẽ accidit, & propter breuitatem profunditatis.Si ſolum hoc ſecundum accipias, non eſt idonea huius motus cauſa. Nam eſto, vaſis fundus inæqualis ſit, aquæ ſuperficies æqualis ſtabit,vbi vas ſemel impletum fuerit. Necte igitur duas cauſas,& ex fundi inæqualitate capacitatem non parem intellige.

1229 Alius motus maris eſt ab oriente in occidentem. Notior iam is eſt, hac noſtra, quam fuerit *d* Ariſtotelis ętate, quamquam alicubi etiam ab Ariſtotele indicatur is,qui in Mediterraneo eſt,quia frequentes per hoc fuere ſemper nauigationes. Deprehendunt autem hodie hunc motum in Mediterraneo,qui à Palęſtina nauigant ad Columnas, mox per eundem curſum redeunt in Palęſtinam;itus.n.adiuuante motu maris citior eſt, quam reditus motu retardante.

d Lib. 2. Meteor. ſumm. 1. cap. 1.

1230 Similis eſt in Oceano, quem ij deprehendunt, qui ex Hiſpania ſoluunt ad Indos occidentales, quiq; ex Indis oriẽtalibus veniunt ad Africę promontorium, appellatum caput Bonę ſpei; Citiora .n. ſunt hęc itinera, quam cum retro itur.

1231 Fuere, *a* qui hunc marinũ motum attribuerunt motui diurno cęli: videlicet arbitrati ſunt, trahi aquas motu raptus, ſicut rapi bonam aeris partẽ communiter omnes ſentiunt. Non placet hęc ſententia, quia nõ eſt veriſimile, motum cęli ad aquas pertinere, etenim non ſolum ſumma regio aeris, ſed fermè totus aer circumuerteretur, eiusq; motum etiam nubes ſequerentur, puppi, atomiq; pari itinere procederent, idemq; motus non ſolum in Oceano, & Mediterraneo appareret, ſed in mari Caſpio, in lacubus, ſtagnis, fontibus.

a Gaſp. Contarenus lib. 2. de Elem. Vicom. in 2. Meteor. Borrus Dial. de fluxu, & refluxu, & alij.

1232 Recurrunt *b* alij ad aſtrorũ virtutem, aiuntq; imminere aliqua ijs marium tractibus, in quibus hic motus eſt, quę vim habeant ſorbendi, ſuoq; ſuctu aquas trahere, quę ſi minus ad aſtra perueniant, aſſurgant certè, quaſi conentur peruenire. Ego eam virtutem aſtris tribuo, quam effectus indicant. Hic nego eſſe neceſſarium hunc recurſum ad aſtra, per vim attrahendi.

b Card. lib. 2. de ſubtil. Conymb. tract. 8. Meteor. ca. 3. Thiennenſis, et alij in 2. Meteor.

1233 Habet ſol notam omnibus vim attrahendi vapores ex aquis, quibus aeream quandam leuitatẽ indit. Et hoc mihi ſatis eſt ad hunc motum ab oriẽte in occidentem explicandum, quamquam huius eiuſdem alia cauſa eſt in mari Mediterraneo, quæ alteri adiuncta motum faciat velociorem.

1234 Quod ergo ſpectat ad Mediterraneum, recipit hoc, vt dixi, cadentes à Męotide palude aquas in ampliorem alueum diffundendas; Cum ergo huius ab oriente ad occidentem producatur, eo aquæ ex Męotide redundãtes, naturaliter accurrent. Huic adde aliã cauſam, quam modo ſignificabã. Suo curſu diurno ſol vapores attrahit ex eodẽ mari, deeſt ergo aliquid, quaſi in fuga, à ſole raptum è marinis aquis; accurrent igitur aliæ, & quaſi prælibantem ſolem conſequentur, qui ipſe motus eſt ab oriente ad occidentem.

1235 Poſterior hæc cã ſimilẽ motũ efficit in Oceano, & illud argumento, quod is motus velocior ſit in partibus, quæ ſub torrida iacent, quam quę ſub alijs. Scilicet maior vaporum copia ſubducitur ſucceſſiuè verſus occidẽtem, eoq; accurrunt aquæ, quæ ex ſeptentrione deſcendunt ad implendum locũ, qui motus erit ab oriente in occidentem.

1236 Nec verò dixeris, parem eſſe rõnem Caſpij maris ſinus perſici, arabici, lacuũ, ſtagnorum, fontium; Quod .n. ſpectat ad hæc exigua aquarum conceptacula, non tantum eſt, quod ſol exhaurit, vndè conſtare motus poſſit, parum verò exhaurit, quia non ampla eſt ſtagnantis aquæ ſuperficies. Quod verò pertinet ad eos ſinus, & ad mare Caſpium, deeſt in illis ille impulſus, quem aquis dant cadentes à ſeptentrione aquæ; ſi quid ergo exhauritur, illud flumina ſine ſenſu ſupplent.

1237 Sed præter hunc motum ab oriente in occidentẽ, alium docuit *c* nauigatio per mare Mediterraneum, & ſinum Adriaticum. Dixi in his, progredi aquas ab oriente in occidentem. Etiam retrogradum curſum ab occidente in orientem compererunt nautæ, quibus legentibus Illyricum litus, dum

c Ex Contareno lib. 2. de Elem.

Venetias,ad illum omnium deliciarum portum,nauigant, peruium iter est, aquis sponte deuehentibus;in reditu verò, si nauigẽt ad idem litus Illyricum, difficile est iter, secus verò accidit,si redierint legentes Italicum litus.

1238 Pari ratione in Mediterraneo, cursus aquarum est versus Gades per litus Italicum,recursus versus Palęstinam per litus Africum.

1239 Causa huius motus est ille ipse,qui est ab aquarũ impulsu, descendẽtium ex palude męotide,& alijs Gręci maris tractibus.Effunduntur hæ aquę, quà datur aditus,& versus Columnas,& Venetias versus;sed ad summum sinum vbi peruenerunt,regrediantur,quasi in orbẽ, necesse est per aliud litus, quia exitus nullus est.Sic illę,quæ feruntur ad Columnas, angustũ ibi fretum offendunt,& quia non plus vltra propter freti angustias, regrediuntur per litus Africum.

1240 Caue hic lector, ne hos regulares maris motus cum irregularibus cõfundas,aut cum regularibus etiam, sed alicuius loci proprijs, qui sui causam habeant ex terræ situ.Magnus est aquarum impetus ad Bonæ spei promõtorium,in freto Magellanico maior;quia maiores terrarũ angustiæ sunt,in quibus agitatum,vel regulariter, vel irregulariter mare motus varios facit quacunq; potest. Ego non solum de regularibus, sed etiam de magis vniuersalibus hæc asserui.Restat maris æstus.

1241 Difficilis est de maris æstu disputatio diù discussa, & haud scio, an ad hanc diem difficultates omnes excussæ sint.Exclamat hic *a* aliquis his verbis: Quod vbiq; clamare soleo,nos parum scire, maximè conuenit huic disquisitioni,quæ maris æstum tractat; animi tamen gratia exerceamus nos,idq; sine culpa sanè,quemadmodũ & sine ambitione. Amo ipsum hoc mearũ hac de re assertionum exordium.Non ascribetur opinor culpæ,si me ipse hic exploro,nec laudem affectasse videbor, qui profiteor operæ precium futurum, si vituperationem euasero.

a Scalig. Exercit.52.

1242 Difficultatem hac in re auget silentium Aristotelis,qui nihil, quod ego sciam,de æstu scripsit,cum tamen antè ipsius ætatẽ quæstio dudũ agitata sit ab *b* antiquioribus Philosophis,Heraclito,Pythia Massiliensi,Timæo,Platone,Seleuco Mathematico,& alijs.Credibile est,hominem cordatum missam fecisse hanc quæstionem, quia nondum liquebat. Licet hac ętate aliquid amplius audere.

b Ex Plut.lib. 3.de plac.c.17

1243 Esse in mari æstum, motum scilicet intumescentium aquarum, mox desidentium, hasque vicissitudines statis, certisque vicibus alternantium, discere quisque potest, vel ex sensibus, vel ex historijs. Fluxus vulgo dicitur, ac refluxus, sed verè æstus ratio in causa est potius, quam in hoc effectu fluxus, & refluxus, scilicet in quadam efferuescentia, & ebullitione aquarum, à qua sequitur accessus ad litora, & quædam ex litoribus eruptio, & in cessatione huius ebullitionis, ex qua item naturaliter fit, vt aquæ sese intrà suos fines recipiant, ac retrocedant.

1244 Aestum hunc eleganter *c* quidam descripsit,esto causam non nisi remotè indicauerit: Attollente se,inquit,cum luna mundo, aquæ intumescunt mox à meridiano cęli fastigio vergente in occasum,resident,rursusq; ab occasu

c Plin. lib. 2. nat. Hist. cap. 97.

çasu subter cęli ima,& meridiano contraria accedente inundant,hinc donec iterum exoriatur, se sorbent.

1245 Possum eundem ego effectum breuius definire, eum, qui dicitur fluxus,ac refluxus maris,aquarum tumorem esse,ac residentiam,vtrunq; certa horarum periodo comprehensum.

1246 Mira verò est huius motus varietas, vt *a* viri docti tradiderunt. Quod spectat ad duratione͂,tenet fluxus, & refluxus simul spatium duodecim horarum,& ferè sex horis fluxus fit,totide͂ refluxus,mox modicissima quiete interposita,iterum fluxus,iterum refluxus,paribus semper horarum periodis.Ne longè hinc abeas, vicissitudinem hanc in sinu Adriatico minutissimi quique cymbularij norunt,& ad suos vsus obseruant.

1247 Alibi verò intrà ipsum spatium duodecim horarum alternatio non est par. *b* Mare Aethyopicu͂,quod Ginęgæ vocatur,bis in die fluit, ac refluit, sed fluxus est quatuor horarum,refluxus octo. Oceanus Aquitanicus Garu͂næ fauces facta irruptione intrat septenis horis,mox recedit quinis. Sic alibi durationis varietas est, sed nec vbiq; par ebullitio est, alibi altiùs intumescit mare,& ex alto magis præceps est fluxus,alibi non tantùm est fastigium,nec ità insolens accessus.

1248 Iàm verò huius æstus causa inuestiganda est,& vt de ea,quam veram esse censeo, certius constet,assero prius,quas ce͂seo falsas. *c* Seleucus Mathematicus aiebat,moueri terram motu contrario circulationi Lunæ, & ab aere inter hæc duo corpora coarctato causari hunc motum aquarum.Censeo, cuiq; sobrio certum esse posse,terram immobilem stare.Sed etsi moueretur, nego,ea͂ posse esse causa͂ huius effectus,quoad oe͂s varietates, quę in eo sunt.

1249 *d* Timęus opinatus est,marini æstus causam esse ex incursu fluuioru͂, ex montibus in mare procurrentiu͂, nimiru͂ facta aquaru͂ additione,fit æstus, mox,quà se aquæ componunt,resident in plano,ac refluunt.Interrogo,cur si flumina hunc motum causent,non causent vbiq;? An no͂ plurima irruunt in mare Mediterraneum?& tamen in *e* hoc nullus ęstus adhuc deprehensus est. His adde, quod flumina pari semper ratione currunt,& si quando copiosiores aquas porte͂t,aliàs tenuiores,no͂ propterea mutatio vlla est in ęstu maris.

1250 Aliter hac in re *f* Plato philosophatus est, qui, vt supra retuli, aquaru͂ voragine͂ in mundi centro collocauit, perpetuo agitatam. Ex hac is eiectari aquas in mare, mox recipi opinatus est, & hanc esse causam ebullitionis per eiectationem,residentiæ per receptionem.

1251 Hinc illę natę sunt fabulę: *g* Mu͂du͂ esse magnu͂ animal,huiusq; nares in Oceani profundo sitas esse,per quas emissi anhelitus,vel reducti,modo infle͂t maria,modo reuocent.Placeret hæc sententia,si mihi Tartaru͂ esse,probaretur,sed incerta de eo assertio est,vt *h* suprà dixi.

1252 Alij *i* huius æstus ortu͂ referunt in motu͂ cęli:rapi videl. aquas à litore orientali ad occidentale mox per allisione͂ retroagi,& hac vicissitudine fluxu͂, refluxu͂q; alternari.Memini me alibi negare,cęli motu͂ ptinere ad hęc,quæ ĩ media͂ regione͂ aeris sunt. Nimis ergo remota est causa,qua͂ quę valeat marinum æstu͂ attingere.

1253 Addo,etia͂si cœli motus ad mare perueniret,

N non

a Card. li. 2. de subtil. Scaliger exercit. 52. Co͂taren. lib. 2. de elem. Borrius de fluxu, & refluxu. Vicomerc. et alij interpretes in 2. meteor.
b Ex Cardano, Scalig. Vicomercato.
c Apud Plut. lib. 3. de plac. cap. 17.
d Apud Plut. ibid.
e Ex Contareno li. 2. de ele͂.
f Apud eunde͂ Plut. & legi ipse Plato pote͂st hac de re in Phædone siue de anima.
g Apud Vico͂. in 2. meteor. & alios.
h Hoc eod. cap.
i Aegyd. in 2. d. 14. q. 2. dub. 1. Laterali.

non rectè assignari causam, nam periodus fluxus, & refluxus eo breuior esset, quo minor esset distantia litoris à litore, quod tamen verum non est, nam vbique est duodecim horarum.

a Buccafer. in 2. meteor. lect. 18. vbi tribuit eandem sententiam Burid. Picol. & alijs.

1254 Referunt *a* alij eundem motum in situm terræ, in qua mare, velut in vase, iacet: Ea, inquiunt, natura aquæ est, vt in locum demissiorem descẽdat; si ergo maris fundus inęqualis sit, eo aquæ accurrent, & sic refluxus est à litoribus, mox conueniunt in altum multæ, & allisæ repellẽtur, erit ergo aquarum reditus ad litora, & fluxus. Nõ placet hęc sentẽtia, quia naturalis aquarũ cursus est in locũ demissiorẽ, si ille iã plenus nõ sit; vbi vero plenus fuerit, quæcũq; sit fũdi inęqualitas, stabit, & in naturali quiete, nisi aliud sit, quod impellat.

1255 Placet alijs, eundẽ hunc effectum alicui occultę virtuti tribuere, quæ valeat ad se aquas attrahere, simili quadã ratione, ac magnes ferrũ trahit. Tribuũt ex his aliqui hãc virtutẽ terrę. Sed hoc probabile nõ est, nã staret potiùs suprà terram mare, sicut ferrum magneti adhęret, quam moueretur.

b Ex Pontano in meteor.

1256 Tribuunt alij lunæ, quæ *b* mater humiditatum dicitur, quia maximè dominatur aquis: Sed hoc ẽt difficile creditu est; nã si traheret luna aquas, traheret quacunq; illa progreditur; traheret oẽs; non traheret, qñ supra nostrum hemisphęrium non est. Contrà tamen accidit in maris ęstu, cuius motus nõ est ab oriente in occidẽtẽ, nõ est vbiq;, & est etiã cum luna nõ aspicit.

c Hoc eod. li. 2. cap. 13.

1257 Sed vt meã tandem sententiam aperiam, lõgam esse puto causarum seriẽ, quę hunc effectum produnt. Pono, quod *c* supra asserui, quodq; probatissimi philosophi dant, cœlum habere actionem in hęc inferiora elemẽta, vel quà motu, & lumine calefacit, vel quà virtutibus occultioribus alias ẽt qualitates excitat. hęc illa sunt Arist. vim intẽdendi, vel tollendi, vel indicandi, vel cõtrahẽdi morbũ, hñt syderũ ortus, Orionis, Arcturi, Vergilarũ, Caniculę, qui flatus, imbresq; excitãt, qui serenitates, frigora, teporesq; solent afferre.

1258 Pono item, hanc cœli vim non solum externam terrę, marisq; superficiẽ attingere, sed altè in profunda descẽdere, concoquendo, rarefaciendo, densando, spiritus, atq; halitus varios excitando. Exẽplo sit id, quod facit idẽ cœlum in homine, paruo mũdo; nam pro cœli, astrorumve cursu vita hominis regitur, cęliq; actione certis annorũ periodis interni humores disponũtur sępè ad interitũ, hinc illi graduales anni, quos medici climactericos vocant, septimus, nonus, septimus quisq; nonus quisq;, ter septimus, ter, nonus septies nonus, nouies nonus.

1259 Eidem indicio sunt in febribus iudiciales dies, quos medici criticos vocant, vel criticos principales, in quibus maiores crises fiunt, vel criticos indicatiuos, in quibus de futuris crisibus iudicium est.

d Fracastor. opusc. de diebus criticis.

1260 Scio conatũ esse *d* quedã probare, criticorũ dierũ cãm nõ esse in cęlo, vel astris, sed in hoĩe ipso latere, inque ipsa natura morbi; Sed haud scio, quantũ profecerit. Dum causam non reddit, cur vitiati in corpore humores certam tẽporis periodum ad cõcoctionẽ, digestionem, incrementũ, cõsumptionę postulent, adhuc nihil affert, in quo aliorũ ingenia conquiescant; atq; ideò ad cęlum recurrendũ necessariò est, à quo sit in vitiatos humores actio.

1261 Porrò consentire marinum æstũ cũ astrorũ motu, & maximè, cũ solis,

ac Lunæ coniunctione, ac distantia, tam notum est, vt vix vllus sit ex nautis, qui ad cœlum attendat, & quanta fluxus, & refluxus vehementia futura sit, ignoret; Etenim quamuis hic motus duodecim ferè horarum periodo claudatur; vno tamen in loco vehementior aliquādò est, & altior, quam alio tempore, & hoc nautæ ex cœlo didicerunt, ac futurum prænunciant.

1262 Quædam cœli spatia distinguenda hic sunt, per quæ Sol, & Luna feruntur, coniuncta aliquandò, vt in nouilunijs; mox distantia per quartam cęli partem, vt in primis lunæ quadraturis; opposita deinceps, vt in plenilunijs; tandem per vltimā cęli quartam distantia, vt in tertijs lunæ quadraturis.

1263 Quatuor hæc spatia sunt, facta cœlestis sphæræ diuisione in quatuor æquales partes, quarum duæ diurnę sunt, dum per nostrum hemisphęriū sol it, totidem nocturnę, dum per oppositum; Quatuor ergo distinguuntur puncta, quasi partium termini, vnum in oriente, alterum in meridie, tertium in occidente, quartum in media nocte.

1264 Diuide has ipsas cœli quartas bifariam æqualiter, totidem habebis puncta, vnum inter orientalem, & meridionalem situm, & sic deinceps. Per hæc spatia Sol, & Luna gradiuntur, sed in quo puncto vnumquodque sit ex his astris, multum enimverò facit ad maris æstum.

1265 Habent *a* hęc puncta quatuor nomina ab effectu, quem astra causāt, cū in his sunt. Duo, alterū in oriente, alterū oppositū in occidente, dnr pūcta debilia fluxus; Duo itē opposita, alterū in meridie, alterū in media nocte, dnr puncta debilia refluxus. Duo ēt opposita, alterum in prima quarta diurna ab oriente, alterum in prima nocturna ab occidente, dicuntur puncta fortia fluxus; Duo deniq; etiam opposita sunt, alterum in secunda quarta diurna à meridie, alterū in secunda nocturna à media nocte, dnr pūcta fortia refluxus.

a Ex doctrina Friderici Delphinij, fuse explicata ab Accorambonio in Annot. ad lib. de mundo & ab Io: Taisnie-ro opusc. de motu celerrimo.

1266 Ex effectu habes nomina. Etenim fac sol, & luna simul eant, vt accidit in nouilunio, cum nobis oriuntur primùm, sensim sinè sensu incipit æstus debilis, ac languēs, ideò dicuntur esse in puncto debili fluxus. Cum per octauā cœli partē progressa sunt, vehementissimus est fluxus; hinc fortè punctum dr. Mox sensim incipit maris furor residere, cū hæc astra primā diurnā quartā peragrarunt; hinc dr debile refluxus pūctum. Desidet mox mare velocius, cum eadē astra peruenerunt ad medietatē alterius quartæ diurnę, & dnr stare in pūcto forti reflux⁹. Ex his habes noīa, & rationē oppositorū terminorū.

1267 Multū facit hęc astrorū coniunctio, quę est in nouilunio; Vel, si cōiuncta nō sunt, positio in similibus pūctis; qđ accidit in plenilunio; Et ideò norūt Nautę, sublimes tūc futuras aquas, cū astra steterint in pūctis fortib. fluxus; mox quasi ex alto ruituras ingēti casu, cū eadē steterint in fortibus refluxus.

1268 Aliàs vnius astri virtutem alterius virtus remittit, cum disiuncta sunt, & sita in dissimilibus punctis, & hac ratione nautæ, etiamsi lunæ faciem non aspiciant, ex ipsa facie maris lunæ progressus norunt.

1269 Hæc ego propterea asseruerim, vt constet, qui sit maris, cœliq; consensus; Vnum tamen adhuc deesse censeo, quod hi punctorum descriptores non satis explicant; Nimirum aliquis effectus vicinior assignandus est, qui sit ab his astris, quiq; idem sit proxima causa marinæ efferuescentiæ.

1270 Anuent hic opinor medici,si petatur ex morbis exemplũ. Nec enim annorũ gradus homines interimunt,nisi ipsa annorum gradatione, cœlique actione humores,qui in homine sunt,vitium conceperint,quæ mortis causa proxima sit. Nec aliter dies critici sua signa dant, nisi cœli effectus monstrãdo in subiecta aliqua morbi materia.

1271 Reor igitur fluxum,& refluxum maris oriri immediatè ex magna exhalationum copia,quæ ex terra excitatæ, & aquis admixtę, tum efficientur, tum materialiter causant fluxum;eædem ex aquis euadentes,dissipatæ,& cõsumptæ,faciunt refluxum per accidens,& per sui absentiam.

1272 Has exhalationes excitant Sol,Luna, astra per vim agendi in hæc inferiora; Hæ verò sua caliditate aptissimę sunt ad maris bullitionem, quia calor rarefacit;& hęc efficientia est. Præterea in genere causæ materialis idem præstant,dum se aquis miscent,nam & ipsæ locum occupant.

1273 Quod verò in aliquibus maris tractibus æstus sit, in alijs nunquam, oritur ex sole, & aquarum varia dispositione, prout scilicet vna terra magis, vel minùs apta est à cœlo alterari,& sufficientem prębere exhalationum copiam,& prout vna aqua magis apta est,quàm aliæ ab ijsdem exhalationibus commoueri. Diuersitate locorum (inquit alicubi *a* Aristoteles) differẽtia oritur, vt nõ omnis ferat omnia tellus. agens enim certas requirit in materia cõditiones,quas si non habeat,effectus,aut nullus est,aut non idem.

a Lib.8. de Histo. anim.c.28.

1274 Spectandus etiam est littorum situs,ex quo ęstus potest nullus apparere,etiamsi aliquis sit. Item aqua si nimium rara sit, dabit exitum peruium exhalationibus,& nullus tumor apparebit,& hoc ferè in lacubus fit, in quibus aquæ dulces rariores sunt marinis.

1275 Sunt aliquę aquę ità densę,& graues,vt exitum tentãtes exhalationes, ab ijs comprimantur,& extinguantur, quam esse causam *b* aliquis notauit, cur in mari mortuo non sit æstus. Lacus is est in Palestina, dictus olim Asphaltes,siuè Asphaltites,famosus incendio ciuitatum, cœlitus incensarũ, & obrutarum: aquas habere dicitur præpingues,& crassas,id quod etiam indicat sapor; amaræ enim sunt,non solum salsę.

b Borrus. dial. de fluxu,et refluxu.

1276 Iam quod spectat ad durationem huius motus, compręhenditur, vt dixi periodo duodecim horarũ,quia certa temporis spatia necessaria sunt,vt exhalationes pręparentur,per aquas diffundantur,dissipentur,consumantur. Et verò quàm multa sunt in rerũ natura similia huius regularissimi effectus. *c* Plinium audi: Ardentissimo ęstatis tẽpore exoritur caniculę sydus, sole primam partem leonis ingrediente,huius exortum diebus octo fermè Aquilones antecedunt,quos prodromos appellant, post biduũ autem exortus ijdẽ Aquilones constantius perflant diebus quadraginta, quos etesias vocant. Dies Alcionios quis ignorat,cum Alciones nouerint?

c Lib.2. natur. Hist.c.47.

1277 Sed quod mihi rem hanc facit exploratam magis,est experimentum, quod habemus in tertianis,& quartanis febribus, in podagra, & similibus morbis certo ordine recurrẽtibus. Reputa igitur febri laborare mare,vbi laborat ęstu;sic sępè videas pręsertim in Autumno,quodãmodò aerẽ ęgrotare duplici tertiana,dum dies singuli sereni surgunt, mox repẽte sub vesperam e

præpa-

præparata materia nubes coguntur; Hæc eſt, vt dixi in marina febri exhalatio, quia in ea copia, & diſpoſitione, quæ ſit ad effectum ſatis, duodecim horarum ſpatio præparatur.

1278 Quod verò ſpectat ad æqualitatem, vel inæqualitatem temporis, quo ſe mare attollit, & eius, quo ſe in ſe recipit, huius cauſa eſſe poteſt ipſarum exhalationũ qualitas. Si ſint hæ calidiores, citiùs per mare excurrunt, & velox fit fluxus, poteſt autem diutiùs durare refluxus; nam cum is fiat non ſolum per euaſionem exhalationum, ſed etiam, quia in ipſis aquis multę extinguuntur, vbi hæ calidiores fuerint, diutiùs cum aquis luctabuntur, quàm ſi minùs feruidæ certamen ingrederentur. Ex his de reliquis accipito coniecturam.

1279 Deniq; quod aliquibus diebus vehementior ſit maris fluxus, quàm alijs, oritur proximè ex quantitate, & qualitate exhalationum, remotè ex varia coniunctione aſtrorum, pręſertim Solis, & Lunæ, comparatarum ad puncta fortia, vel debilia fluxus, aut refluxus. In hãc ego rẽ illorũ pũctorũ deſcriptionẽ admitto, dũmodo media cã interueniat, quę ęſtũ proximè attingat.

1280 De quibuſdã fontibus *a* traditũ eſt, certis horis fluere, certis refluere. Probabile mihi eſt, horũ motũ oriri ex motu maris pro ſubterranea aliqua coniunctione, quam cum eo habeant. Mox dicam de origine fontium, hic aſſero, nullam eſſe repugnantiam, ſi ſtantes aliquæ aquæ, quæ in mare nõ currunt, ſed veluti in puteis, ac vaſibus aſſeruantur, aliquam habeant cum mari conſenſionem.

a Sen. li. 3. nat. qq. c. 16. Plin. lib. 2. c. 97.

1281 Motus verò horum fontium, & par eſſe poteſt, vt fluente mari, fluant & diſpar, vt fluente mari, refluãt, pro diſtantia, pro terrę ſitu, pro meatuum ſubterraneorum obliquitate, & anguſtijs. Hęc de fluxu, & refluxu. Euripi etiã Voragines, Vortices marini motus ſunt.

1282 Euriporum motus non eſt diſſimilis à motu fluxus, & refluxus; etenim in his pari modo aquę attolluntur, & deprimũtur, ſed ſępiùs, ac frequentius, quã, vbi mare dicitur ęſtuare. *b* Maris tractus eſt in Aegæo, qui inter Eubœam inſulã & litus Achaiæ iacet ad Bœotiam; hic ſepties vno die fluit, ac refluit. Dicitur in huius contemplatione Ariſtoteles cõtraxiſſe morbum, quia cauſam aſſequi non potuit, dicitur idem in mare ſe præcipitẽ dediſſe, vt quia capere non poterat Ariſtoteles Euripum, caperet ſaltem Euripus Ariſtotelem. Sed neutrum credunt probati ſcriptores, nec mihi veriſimile eſt.

b Ex Plin. lib. 2. c. 97. & lib. 4. cap. 12.

1283 Inter Euripos numerãt ẽt fretũ Tauromitanũ, ſeù Mamertinũ iacẽs inter Pelori promontoriũ, & Calabrię littus, qua Sicilia Italiã ſpectat; Hi cẽt mare ſę piùs vno die fluit, ac refluit. Alij quatuor Euripi ſub polo Arctico eſſe dñr ad rupẽ nigrã, tãque incertus motus eſt aquarũ, antè, & retrò euntiũ, vt dubiũ ſit, an recedant à rupe in mare hyperboreum, vel potius ab hoc mari in rupẽ irruãt. Deniq; vbi vbi Euripi ſint, quia ſemp ſũt in anguſtijs, ac fretis, cẽſeo, repetitũ motũ oriri ex litorũ ãguſtijs, & alijs regularib. motib. maris.

1284 Quãuis Ariſt. tacitus pręterierit fluxũ, & refluxũ, *c* vt ſup. dixi, de Euripis aliquã feciſſe mẽtionẽ viſus eſt, & causã eãdẽ, reddidiſſe, quã ego reddidi, his *d* verbis: Fluẽs aũt mare vr̃ ſm̃ anguſtias, ſicubi pp adiacentẽ terrã in modicũ ex magno coarctatur pelago, propterea ꝙ libratur huc, atq; illuc ſæpè.

c Hoc eod. cap.

d Lib. 2. meteor. Sum. 1. c. 1.

 1285 Ipſa

1285 Ipsa hæc est causa,cur non eadẽ sit motus repetitio in omnibus Euripis,quia non est in omnibus his maris tractibus eadem dispositio littorum, nec idem primum principium motus,idest regularis motus maris.

1286 Habet prætereà mare aquarũ vertigines, ac voragines, quales videmus etiã in fluminibus. Vna esse *a* dicitur in mari Noruegico, quã non nisi tẽporum,locorumq; peritissimi incolumes pertranseant. *b* Vltra Sueciam in mari Baltheo mare se se attollit,sicut fit in fluxu, mox vbi se idem deijcit, ducto amplissimo gyro, se sorbet,lõgè diuersa ratione,ac accidat in refluxu. Sic etiam in mari Siculo vorago est nota poetarum figmentis, quæ Charybdis dicitur,est in eodem quædam ebullitio aquarum, quæ Scylla dicitur.

a Ex Olao li.2. de reb. septẽtr. cap.77.
b Ex Cardano lib.1.de varietate.c.4.

1287 Has voragines,non malè distinguas in quasdam minores,& alias maiores,quia non est eadem omniũ ratio. Minores quæ sunt,oriuntur ex aquarum allisione ad littora sinuosa,vel ad concauum maris fundum. Ipsa videlicet littoris figura, vel fundi cauitas,dat incohationem motui circulari, mox quia venientes aquæ eas, quæ præcesserunt in eandem viam impellunt, circulus,seù potiùs spira fit.

1288 Cũ hæ voragines perpetuæ nõ sũt in eodẽ loco,oriri possunt ex vẽtis.

1289 Maiores verò cum sunt credibile mihi est, habere causam ex aliqua subterranea cauitate,quæ maris aquas absorbeat,vt in aliam distantem partem eijciat. Vbi absorbentur aquæ, ibi vorago apparebit, vbi eædem reiectantur,ebullitio erit. Si liceat hic mihi agere coniecturis, reor, vbi Charybdis vorat,ibi terræ hiatum esse, à quo aquæ sorbeantur, meatum esse per terram,non longè à radicibus Aethnæ,easq; in cursu deuehi exhalationes, quæ per Aethnæ caminos euadentes succendantur;reddi tandem aquas ad Scyllam. Vltimo loco de sapore maris hæc affero.

1290 Aqua Si suum habeat naturalem statum,saporem nullum habet,qua in re decepti sunt non pauci ex *c* antiqua Philosophia, qui videntes omnia, quæ sapida sunt,humida esse, putarunt esse hanc aliquam è primis qualitatibus aquæ. Nec verò,vt aqua saporem acquirat,satis est, si ab extrinseco agente alteretur,sed requiritur prętereà, vt aliquid ei admisceatur, à quo illi maior quædam crassities ad saporem necessaria adueniat.

c Democritus, Anaxagoras, Empedocles, apud Arist. lib. de sensu,& sensili cap.4.

1291 Terra si pura esset,nullum saporem haberet, sed quia valdè impura, & permixta est, maximè est sapida, & saporem aquis impartitur. Manifestũ est hoc (inquit *d* Arist.) maximè in salsis aquis, sal enim quędã terræ species est,sic quæ per cinerem colantur,amarũ existẽtem,amarum faciunt saporẽ.

d Eod.lib. de sensu,& sensili cap.4.

1292 Ergò si humidum,quod ex natura sua insipidum est, admisceatur cũ sicco,fiet facilè sapida substantia; diciq; sapor poterit qualitas immutatiua gustus,resultans ex humidi,& sicci ad inuicem alteratorũ admixtione, quicquid contrà non *e* nemo obijciat.

e Gaspar Gomez lib.1. de Sale.

1293 Habeo ex his,quicunq; sit maris sapor, illum ex admixtione alterius substantię siccioris oriri; Mare enim stat loco elementi aquę,quod nullũ postulat ex se saporẽ. Sed sapores varij sunt,extremi quidã, alij medij, & ex extremis cõpositi;extremi sũt dulcedo,amaritudo,à qua vult *f* Arist. nõ lõgissimè distare salsedinẽ;medij sunt,qui cõponũtur ex his, & in quibus pręter substantiæ

f Eod.c.4.lib. de sensu & sẽsili.

ſtantiæ ſiccæ & humidæ compoſitionem, concoctio, aduſtio, cruditas, & ſimilia ſaporum diuerſitates vltimo determinant.

1294 Iam quod ſpectat ad maris ſalſedinem, quæ ex modò poſitis Ariſtotelicis principijs innoteſcit, falſo *a* quidam opinati ſunt, mare ſalſum fieri, quia partes aquæ dulciores à Sole attrahũtur, relictis craſſioribus, & amaris. Contrà eſt, ait Ariſtoteles, cum hæ partes detractæ redeunt per pluuiã, cum in mare tot fluenta dulcium aquarum immittuntur, deberet mare amaritudinem, ſeu ſalſedinem deponere. Adde id, quod ex natura ſua ſapidũ nõ eſt, detractione partium, & ſola extrinſeci agentis actione, ſaporẽ non acquirere.

a Apud Ariſt. lib. 2. meteor. Sum. 1. c. 3.

1295 Viſum eſt *b* alijs, fieri mare ſalſum à fluminibus; etenim, dum hæc ad mare progrediuntur, neceſſe eſt multùm terræ abradant ex ripis, & alueo, illamq; ſecum in mare afferant; Quare ſi ad ſaporem humidi, & ſicci admixtio neceſſaria eſt, cauſam habemus, inquiunt hi philoſophi, ſed rectè argumentatur Ariſtoteles contrà hos, ſi turbidæ fluuiorum aquæ ſaporẽ aliquẽ efficere in mari poſſunt, efficient illũ ipſum, quem ipſæ habent, at non habent ſalſum.

b Apud eundẽ Ariſt. ibidem.

1296 Pari etiã ſubtilitate *c* Ariſtoteles Empedoclis ſententiã reijcit, vbi vult, mare eſſe ſalſum, quia terræ ſudor eſt. Iſtud quęro (inquit Ariſtoteles,) cur ſudor ſalſus ſit, & an ſint eędem marinę ſalſedinis cauſę, quę ſalſi ſudoris. Enimverò eædem non ſunt, niſi dixeris magnum animal terram eſſe, ex cuius alimento ſuperſit malè coctum excrementum.

c Eod. c. 3. Sũ. 1. li. 2. meteor.

1297 Addidit his antiquarum fabularum *d* imitator, in mari ingentes eſſe ſalis ſcopulos, ad hos allidi aquas, & ſicut cũ colores in aqua abluis colorata fit, ità ex ablutione ſalitorũ ſcopulorũ ſalitas fieri aquas marinas. Ego verò libenter ex hoc diſcerẽ, viderit ne hos ſcopulos, hos ſalis mõtes in mari? Non vidit, opinor, nã indicaſſet, vbi ſint, & quã frequẽtes ſint, vt ſui ablutione, quãtus eſt, Oceanũ in toto orbe terrarum poſſint inficere. Quod ſi non vidit, non credo, cum aliundè ſalſedinis cauſas habeam ex non leuibus cõiecturis

d Card. lib. 2. de ſubtil.

1298 Eſt ergo cauſa marinę ſalſedinis aduſta cõpoſitio aquarũ, & exhalationũ terreſtriũ, quæ in mare ex terra aſcendunt, & aquis pluuijs ex nubibus in idẽ mare deferuntur. Docent hoc, inquit *e* Ariſtoteles, auſtrales pluuiæ, itẽq; primę autũnaliũ, quę non ſolũ amplas guttas deferunt, ſed ẽt ſalſedine quadã aſperſas ab admixtione exhalationũ, quã pluuię Auſtrales habent à venti caliditate, autumnales primæ à caliditate præcedentis ęſtatis.

e Lib. 2. meteor. Sum. 1. c. 3.

1299 Sed eſſe in mari non exiguã exhalationũ copiã indicia complura ſunt, quæ optimè vidit *f* Ariſtoteles. Sunt aquę marinę calidiores dulcibus, & quia calor eſt per ſubſtantię calidæ, & ſiccæ admixtionem, ſunt eędem craſſiores. Hinc eſt, vt qui in mari corpus lauerint, citiùs reſiccentur, quam qui fluminibus, aut lacubus, *g* vt qui ad mare habitant, aere vtantur tepentiori, quam qui longè diſtant, & alij ſunt ſimiles effectus ad indicium idem.

f Eod. c. 3. lib. 2. meteor.

g Ex Ariſt. Sec. 23. Problem. à nu. 7. & ſeq.

1300 Mirũ verò alicui videri poſſit, cur cũ mare ſalſum ſit, & pluuiarum aquę inde accipiantur, raró ſint pluuię ſalſę, & ſæpè dulces. Sed mirari idem deſinet, vbi vel ex experientijs, vel ex *h* Ariſtotele didicerit, poſſe ex ſapido extrahi, quod aut non ſapidũ, aut nõ eiuſdem ſaporis ſit. Sol igitur tenuiſſimas maris partes hauriens, plus aliquid de humido accipit, quam de ſicco per

h 2. meteor. Sũ. 1. cap. 3.

euaporationem,& hinc ſaporis mutatio eſt.

1301 Ex eadem ſubtractione eſt,vt mare ſit *a* magis ſalſum in ſummo,quã in imo,quamuis & in imo ſalſedo non parua ſit, ob partium craſſiorum deſidentiam.

a Ex Ariſtot. lect. 23. Problem. 30. & Scalig. exercit. 51.

1302 His adde,maris ſalſedinem poſſe ex aliјs pluribus cauſis augeri, minui,conſeruari: Scilicet aſtrorum curſus maiorem facit aliquandò copiam exhalationum,quàm alio tempore: Ad idem cõferre poteſt terræ qualitas,in qua mare iacet,& poſitio in ordine ad cœlum; Ad idem facit, ſi mare conſenſionem habeat cum terræ partibus ſalitis.

1303 Pari verò ratione philoſophandũ eſt de ſtagnis quibuſdam,fontibus, aut lacubus; ſi cum mari conſenſionem hi non habeant, potiſſima cauſa eſt terræ qualitas,per quam aquæ ad fontem veniunt.

FLVMINA, et Fontes.

CAP. XXIX.

1304 FLVMINA in mare profluere,ſatis notum. Complura ſunt etiam,quæ,quamuis in terra deſinere videantur, vel in aliquem lacum,quem impleant, credibile tamẽ eſt,id, quod etiam aſſerit *b* Ariſtoteles, deliteſcere per aliquod terræ ſpatium, vel diffundi in lacum, vt aliundè poſtmodum errumpant,vel ex lacu latenti ductu alia flumina deriuentur.

b Lib. 2. meteor. Sum. 1. c. 2.

1305 Cum verò fluuiorum accurſu maria non impleantur, viſum hoc eſt *c* multis efficax argumentum ad probandum,eo tandem deſinere flumina,vndè exeunt,quæ mihi ſententia non probatur.

c Scalig. exerc. 46. & aliјs, quos citãt Conimbr. tract. 5. meteor. c. 3.

1036 Fateor,nonnullos,qui mecum ſentiunt,inualidè agere cõtrà eos, qui flumina deriuant ex mari,dum aiunt,quia mare ſalſum eſt,etiam fluuiorum, aquas

aquas futuras salsas. Scilicet illæ per terras longè deductæ percolantur, & salsedinē depon ūt, vndè est, vt in Africę littoribus effodiātur in littore putei, ex quibus aquę dulces hauriūtur. Sic ēt traditur ratio reddēdi marinas aquas potabiles, si vas cereum fiat, obstructoq; orificio, deprimatur in mare. transpirant tenuissimæ maris partes per poros, & in tractu salsedo omnis abstergitur.

1307 Difficilius explicatu est his, qui originem hanc ex mari petunt, qua tādem vi, cum fontium, fluuiorumq; scaturigines altiores ipso mari sint, eo ex mari aquæ ascendant. *a* Terram hic aliqui veluti spongiam faciunt, quæ ad summos etiam montes maris aquas ebibendo pertrahat. *b* Alij terram volunt esse similem humano corpori; Cur ergò ex mari non ascendat aqua, etiam ad summos montes, cum in nobis ex corde ascendat sanguis ad summum caput? Explicant hi vt cumq; quomodò attrahuntur aquę, sed interrogò, qua vi exprimantur, cum non semper ex terra pendente cadant flumina, sed surgant ex iacente?

a Lucretius lib. 6.
b Scaliger cit. Exer. 46.

1308 Mox etiam quęro, qua ratione aquam attrahunt montes, qui è solido saxo constant, & aquis scaturiunt? Deniq; si inest hæc vis terræ, cur tam amplę planicies, quas peragramus, non semper madidæ sunt, sed solum sub Ioue pluuio? Venarum diuersa est ratio, multa enim in viuentibus fiunt contrà naturalē elementorum motum, virtute animę, & naturalium instrumentorū, ad naturales functiones datorum.

1309 Ad artificiosos fontes hac eadē in quæstione recurrunt *c* alij: Scilicet vbi in medio vase comprimitur aqua erumpit, & salit è lateribus. Simili ergo ratione iacentes in alto mari aquę sua mole, & pondere deorsum grauitāt, irrumpuntq; per subterraneos ductus oppressę, ita vt ex altissimis ēt montibus possint erumpere. Ponit hæc sententia falsum principium, superioribus maris aquis pręgrauari inferiores.

c Scaliger cit. Exer. 46.

1310 Vt hoc, aliud agendo, definiam, censeo elementis grauitatem, aut leuitatem non inesse in proprijs locis, nisi in actu primo, in actu autem secundo non item, nisi partium dissimilitudo fuerit. An tibi videtur, cum quis sub aquis altè natat, pondere vllo pręmi? an cum vas aqua plenum per aquas trahitur, maius est pleni vasis pondus, ac si vacuum esset? vel maius, dum altè sub aquis est, quam dum propè superficiem. His ego puto, declaratam satis doctrinam *d* Aristotelis, quam hac de re habrt.

d Lib. 4. de cælo. t. 29. & 30.

1311 Sed redeo ad propositam quæstionem, in qua assero, flumina non oriri ex mare, sed in suis fontibus guttatim generari, & ex modico initio crescere, collectis hinc indè riuulis minoribus.

1312 Pono, non solum porosam esse terram, ità vt in poris plurimum aeris habeat admixtum, sed etiam cauernosam, ità vt intus, vbi præsertim surgunt altiores montes, amplè pateat, factis à natura substructionibus. Ad has cauitates, vel per poros, vel per ampliores imgressus volo patere nouo aeri aditum, ibiq; frigore densari, & in aquam stillare tandem.

1313 Facilis est ex aere in aquam transitus; locus huic trāsmutationi aptus est, in terra præsertim madida, si quam vim habeat attrahendi; In locum

facti

facti densioris aeris, transmutatiuè, facilè succedit nouus, per ingressus, quos habet, vt dixi, & naturalem penetrandi virtutem.

a Li. 1. meteor. Sum. 4. cap. 1.

1314 Ipsa hæc est *a* Aristotelis sententia. Nec verò timendum est, ne ad tantam aquam generandam aer non sufficiat, multa. n. sunt, quæ in aerem necessario transmutantur, in opere præsertim nutritionis animalium, & actione Solis, aliorumq; astrorum per calorem; Quin etiam, nisi multis partibus corrumperetur, densaretur aer nimium, nec in sua regione staret.

b Li. 2. meteor. Sum. 1. cap. 2.

1315 Nec me mouet id, quod habet *b* Aristoteles: quantum eleuatur vaporis in aerem, descendere rursus in pluuiam. Nam etiam si plurimum vaporis transmutetur; quia tamen ex aere rursus aqua fit, hic tandem est vltimus reditus in mare, & id ipsum est, quod satis est Aristoteli contrà existimantes, astra vaporibus vesci, & periculum esse, ne olim mare deficiat.

c Hoc eod. lib. 2. cap. 14.

1316 His adde, eas terræ cauitates, in quibus ex aere aqua generatur, sublimiores esse debere, quã sit maris superficies, de qua memini, me *c* supra asserere, æqualem iacere in vniuerso Oceano, quod continuis ductibus, quamuis per immensos littorum amfractus terrarum orbem peruagatur. Demissiores. n. si sint, iacebit aqua, velut in fonte, puteo, vel lacu, quia naturalis aquæ cursus non est ad mare, nisi illud deorsum iacuerit.

1317 Par est ratio maris Caspij, si hoc cum reliquis consentiat per internos meatus. Quod si non consentiat, nihil repugnat, esse huius superficiem altiorem, vel demissiorem Oceano; repugnat tamen, flumen ad illud currere, quod non habeat scaturiginem altiorem superficie illius maris.

d Li. 2. meteor Sum. 1. cap. 2.

1318 Restat videndum, quomodò fiat, vt mare non redundet, cum tantam aquarum immensitatem accipiat à fluminibus, & nihil ijsdem reddat. Sentio cum *d* Aristotele, nihil superesse posse ad redundantiam, quia quantũ aquarum mare accipit, tantum extrahitur à sole, & alijs causis, valentibus humiditatem attrahere, distrahere aliò, & consumere.

1319 De sole, & astris res certa est omnibus, qui pluuiæ generationem norunt. Cum verò simul cum vaporibus multum attrahatur exhalationis, facit hæc coniunctio magnam vaporum transmutationem in aerem, ità vt non possis ex quantitate pluuiarum argumentari ad quantitatem vaporum extractorum.

e Lucret. lib. 6.

1320 Assequeris certius eorundem vaporum vim fermè immensam, si solem agere intelligas in dissipatas aquas, etiamsi congregatæ à fluminibus deferantur. Congregatam in vase aquam sol nonnisi diutissimè attrahit, illam ipsam, si ea vestis abluta sit, vna hora ebibet. Videmus, cecinit *e* quidam in hoc ipso simili, vestes humore madentes exiccare suis radijs ardentibus Solem. Ergo cum fluuiorum aquæ in immensos maris campos latè diffundantur, vis solis, astrorumq; maior, ac potentior erit ad extrahendum.

f Idem Lucret. eod. lib. 6.

1321 His causis adde ventos, ex quibus complures sunt, quibus inest exsiccandi vis, & ex vero indicio ille *f* idem canit, hos verrere æquora ponti, non secus, ac videamus vna nocte siccari vias, mollisq; luti concrescere crustas.

1322 Adde etiam aerem, qui aquæ contiguus, etiam ebibit: vndè tam multa sunt, quæ in vase contenta, si orificium non obstruatur, euanescunt.

Nubi-

Nubibus etiam idem haustus datur, cum sunt mari paulo viciniores, & ex admixtione exhalationum ficciores. In longum hæ protrahuntur, vndè & cordarum nomen inditum est.

1323 Hactenus hac de re actum satis cum philosophis videri potest; Sed quid, si sacrarum litterarum studiosi, alienam esse dixerint hanc sententiam à sacris libris, quia disertè dicitur: *a* Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vndè exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant? Item: *b* Omnia, quæ de terra sunt, in terram conuertentur, & omnes aquæ in mare reuertuntur? Admitto libentissimè, & veneror quæcunq; in sacris litteris traduntur, sed neq; in his dictis, neq; in vllis alijs reperio aquarum recursum esse eò, vndè immediatè discesserunt, satis est, si remotam originem ex mare habuerint, & verò habuerunt, quia flumina ex aere generantur, aer ex vaporibus subductis ex aquis.

a Ecclesiastis. 1.

b Ecclesiastici. 40.

METALLA,
& Fossilia.
CAP. XXX.

1324 CONIVNGIT Aristoteles metallorum, & fossilium generationem cum effectibus meteorologicis, non quia sint mixta imperfecta, sed quia ex eadem materia perficiuntur, ex qua illa, idest ex vapore, & exhalatione. Et in hoc sensu non denego, si quis asserat, esse hanc meteorologicę tractationis consummationem.

1325 Effectus verò, qui fiunt, longè diuersæ rationis sunt, ac illi qui simpliciter meteorologici dicuntur, & imperfectę mixtionis; Etenim metalla, & fossilia habent, præter elementorum alteratorum adiunctionem, suam propriā formam, substantialē, per quā constituuntur in esse corporis naturalis mixti.

1326 Va-

a Ex Arist lib. 3. meteor. Sũ. 3

1326 *a* Vapor eſt materia metallorum, exhalatio foſſilium. Metallum hic dicitur corpus mixtum, ſimilare ad ſenſum, vt reliqua omnia, aptum liqueſcere, aut duci, ex halitu humido factum, concurrente calore ad miſcendum & coquendum, frigore ad congelandum, & denſandum.

b Ex Ariſt. ibid.

1327 Liqueſcunt ea facilius, quæ plus de humido habuerint, vt plumbum, alia, quæ minus habent, ducuntur, & extenduntur malleis. Hinc metallorum *b* aliqua diuiſio fit in fuſile, & ductile.

1328 Simplicia metalla reperiuntur, quæ non componuntur ex alijs, vt aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum album, plumbum nigrum; Argentum, quod dicitur viuũ, via potius eſt ad metallum, quã metallũ. Reperiuntur mixta, ſiuè ab arte facta, ſiuè à natura, quę ex ſimplicibus cõponũtur, vt electrum, quod conſtat ex auro, & argẽto, ſtannum quod ex argento, & plumbo nigro.

c Hoc eod. lib. 2. cap. 38.

1329 Negare non poſſum, quin incertus ſit numerus ſpecierum, tum ſimplicium, tũ mixtarum, cum aliud alibi naſcatur, ac difficilè ſit metallorũ omniũ genera noſſe, ſicut & animaliũ. & vt *c* infra de ſpeciebus colorũ dictur⁹ sũ.

1330 Foſſile autem hic dicitur corpus mixtum, pari ratione ſimilare ad ſenſum, factum ex halitu ſicco, calore contemperante, & cõcoquente. Hoc neq; liqueſcit, neq; ducitur, ſed potius frangitur, vel miſcetur cum humidis.

d Ex Ariſt. cit. Sum. 3.

1331 Infinitum eſſet horum ſpecies recenſere, reducũtur tñ ad tria capita. Quædam ſunt, quæ retinent nomen terræ, ſeù *d* colorati pulueris; non quia non ſit facta vera, & ſubſtantialis trãſmutatio in mixtum, ſed quia plurimum de terra remanet. Speciei verò nomen, vel à colore, vel à loco deſumitur, vel ab alijs particularibus circũſtantijs. Hinc terra ſamia, lemnia, ſignata &c.

1332 Alia ſunt, quę paulo humidiora ſunt, quam terra, & generico nomine ſucci concreti dicũtur; Pinguiores quidã ſunt, & hi facilè ignem concipiunt, ſulphur, bitumen: alij minus pingues, apti tamẽ ad ignẽ, nitrum, alumen &c. in his pariter mixtis enumerandis nullus eſt certus terminus, tum quia quæ ſimplicia ſunt, plurima ſunt, tum quia ex ipſis ſimplicibus, vel arte, vel natura, multiplex eſſe compoſitio poteſt.

e Plinius.
f Boetius.

1333 Deniq; alia ſunt, quæ lapidis nomen habent. Sunt lapidũ genera plurima prętermitto vulgaria, etiã ſi in precio meritò ſint, vt marmor; Alij ſunt lapides, qui à non vulgari ęſtimatione pretioſi dicuntur, & horũ genera plurima ſunt, quibus effodiendis humana auaritia deſudat; Quot manus, ait *e* quidam, *e* atteruntur, vt his vnus niteat articulus? Quanto cum periculo itur in imas terras, vt hæc, ait *f* alius, precioſa pericula effodiantur? Concretus eſt terræ halitus, vt hinc tandẽ ſapias in æſtimatione. Varia genera non pſequor.

g Li. 3. meteor cap. vlt.

1334 Hæc à me facta ex ſententia *g* Ariſtotelis partitio in metallica, & foſſilia, nõ excludit mixta quędã, medię quodãmodò naturæ, quæ quoad aſpectũ faciẽ habẽt foſſilis, quoad effectũ metalli. Terrea videlicet ſunt, ſed tãtũ habẽt humoris admixtũ, vt ẽt liqueſcãt, vndè dicũtur lapides liquabiles, vt ij sũt, ex quib⁹ vitrũ exprimitꝛ, Cryſtallũ, Corallũ &c. Quare ſi qs voluerit ex bimẽbri diuiſione facere trimẽbrẽ, nõ repugno, vt in pluribus alijs diuiſionib⁹ monui.

h Georg. Agr. lib. 4 de foſſilibus.

1335 Negant *h* cõplures, metalla ex halitu humido cõcreſcere; naſcũtur n. ferè in cauitatibus lapidũ, in quibus natura ſiccis vapor humid⁹ vix vllus eſt.

adduut

addunt si liquefiant metalla, in aqueam potius naturam desidere, quam exurgere in uaporem. Nulla mihi hæc sunt argumenta, & alia complura, quæ congerunt.

1336 Quin etiam secundum aduertatur primo, nam si inter lapides locum non habeant vapores, qui possit habere aqua, in quam dicitur metallum colliquari? Hæc illa est cœli actio in terræ penetralia, ad vapores ex locis humidis extrahendos, qui per subterraneos meatus in lapidum cauitates facilè intrabunt.

1337 Sunt etiam *a* cōplures, qui materiam auri, & argenti putant, esse sulphur, & argentum viuum, & in his eorum auaritia vires, ingeniumq; expromit, vt suæ artis affectum experiantur. Digrediar mox in horum gratiam ad quæstionem, an quod natura fit aurum, & argentum, fieri similiter possit vllo artificio. Hic nego, eam esse materiam auri, vel argenti; nam sulphur species ipsa in se fossilis est, argentum viuum, ad argentum ex se tendit, si cogatur.

1338 Quod verò his argumento est, quia sæpè vbi argentum, & aurum reperitur, reperiuntur item venę sulphuris, & argenti viui, est mihi argumento in contrarium, quia sæpius sine his venis argenti, & auri venę reperiuntur.

1339 Quod spectat ad locum, tum fossilium, tum metallorum, is terra est, sed non video, cur obstinatè negandum sit, posse horum aliquid in aere generari, vt *b* alibi dico. Fateor, quæ aliquando, pluuijs ad mixta, ex aere in terras deciderunt, potuisse a ventis aliundè surripi ex terra, mox in aliam terrę partem residere. Fateor, multa portenta, Deo iubente, hac eadem in re fuisse edita supra naturæ vires, & natura Deo obediente, ac seruientes.

1340 Cum tamen in aerem, tum fossilium, tum metallorum materia ascendat, esseq; possit illa temperies, quæ ad horum formationem requiritur, censeo id, quod in *c* historijs traditum est, de portentosis pluuijs, lapidam, metallorum, à natura esse potuisse.

1341 Venio nunc ad auri, argentiq; generationem, vt exquiram, an arte, quæ chymica dicitur, congelari hæc possint. In vniuersum aio, artem quæ mentis habitus est, ex se nullam aliam habere vim, nisi ad opus faciendum, certa methodo, ac regulis; naturalem ergo formam numquam attingit, sed ea sequetur ex applicatione actiuorum, passiuorumq; diceturq; ab arte esse, si ars hanc applicationem nouerit, & ex notitia operetur. Sic multa medici operantur, sic multa mali *d* dęmones pro ea notitia, quam habent, itemq; pro facultate tractandi materiam, & actiua passiuis applicandi.

1342 Ex hoc vniuersali principio colligo, vbi quis materiam auri, argentiq; habuerit, vbi applicando passiua actiuis, eam in materia temperiem induxerit, quam forma auri, argentiq; postulat, verum futurum aurum, & naturale, artificiatumq; dicetur, quatenùs artificiosè ea omnia composita sunt, quæ ad esse naturalis auri requirebantur. Sed quotus quisq; est, qui materiam habeat, qui temperiem hanc nouerit, vel si nouit, qui assequi possit?

1343 Multa ars assequitur, nec solum mixta inanimata generat, sed etiam *e* animalia, aurum tamen, & argentum, aut difficillimè, aut nunq; assequitur.

Qua

a Chymistæ.

b Hoc eod. lib. 2. cap. 19.

c Tit. Liuius dec. 3. lib. 1. 3. 5. 6. 9. Platina in Io. XIII. et alij.

d Ex D. Tho. q. 6. de potentia. a. 5.

e De apum generatione ex bouis intestinis. Plin. lib. 11. cap. 20. Virg. 4. Georg.

Qua ego in re puto, facilè conciliari discordantes Doctores. Sunt *a* qui negant, verum aurum posse fieri, sed aiunt, fieri solum adulterinum, ac fucatum. hi de potentia loquuntur, quæ in actum reducitur, & quia Chymistæ hac in re, aut sæpè, aut semper decipiuntur, Sunt, *b* qui asserant, verùm, ac proprium fieri posse; nec hi respiciunt, quid homines faciant, sed quid re ipsa fieri possit, etiam si tantum homo non possit. Vtrumq; ex duobus verum esse, censeo.

a D.Tho. in 2. dist.7.q.3.a.1. ad 1. Auer. paraph. in 1. de Gene. anim.
b Alber. lib.3. de miner. cap. 9. insinuat & D. Tho. 22.q. 77.a.2.ad 1. & alij magis expresse.

GENERATIO, ET Corruptio mixtorum perfectorum.

CAP. XXXI.

1344 MVLTIPLEX est in Physicis consideratio generationis; Quę eadem cum motu conuenit in ijsdem principijs, à motu differt, ratione termini, & ex terminis item vario modo spectatur, scilicet prout est ad substantiam, siuè ea simplex, siuè composita sit, prout est ad substantiam mixtam quà mixta est, prout est ad substantiam animatam. Hic ego cum *c* Aristotele generationis rationem, ac naturam exquiro, prout est ad mixtum perfectum ex quatuor elementorum concursu.

1345 Quæ de metallis, & fossilibus ex Aristotele à me allata sunt paulo *d* ante, inter meteorologica censeri possunt, quatenus in materia conuenientiam cum ijs habent; quæ verò hic addo ad mixta spectant, pro vt generantur, perfecta in esse mixti, quæ causa est, cur *e* alibi asseram, librum quartum meteororum Aristotelis, non esse propriè meteorologicum, sed exordium separatę tractationis de mixtis inanimatis, siuè subsint animæ, siuè per se stent.

1346 Describitur ergo ab *f* Aristotele hæc, de qua loquor, generatio; simplex,

c Li.4. meteor.
d Cap. pręced.
e Hoc eod. lib. 2. Cap. 2.
f Li.4. meteor. Sum. 1. cap. 2.

plex, & naturalis mutatio à quatuor virtutibus, cum habeant rationem ex subiecta materia vnicuiq; naturæ. Mutationis nomen pro genere est, & intelligitur mutatio propriè, prout à motu distinguitur. Quamuis enim in mixto remaneant elementa actu, mutatio tamen fit totius in totum, nullo sensibili manente, vt subiecto eodem. Naturalis hæc dicitur, & simplex, quia à naturalibus causis, & ad esse naturale, quod dicitur simpliciter fieri.

1347 Putat aliquis, si mixtum ea ratione fiat ab arte, qua fieri posse haud ità *a* pridem asserui, non videri eius generationem hic comprehendi, quia nō videtur esse naturalis. Putat idem considerari mixta, prout sunt in viuentibus, vt sunt nerui, caro, & quæ his in plantis proportione respondent. Neutrum placet. Non primum, quia artis modificatio non variat naturalem actionem, & naturalem effectum; Non secundum, quia cum dicatur hæc generatio simplex, videtur principaliùs spectare ad mixta, quę per se stāt, quęq; simpliciter fieri dicuntur, quam ad illa, quæ fiunt in ordine ad animam.

a Cap. præced.

1348 In reliquis allatæ definitionis particulis, dum generatio dicitur esse à quatuor virtutibus; supponitur doctrina *b* alibi ab Aristotele tradita, quod ad mixtum miscendum, duo elementa actiuè se habeant, calidum scilicet, & frigidum; duo passiuè, humidum, & siccum.

b Lib. 2. de Gene. t. 8. et 9.

1349 Mirabitur hic aliquis, quia calor actiua quidem est qualitas, sed cum agit, in frigidum agit, non autem in humidum, aut siccum; item quia frigus, cum agit, in calidum agit, & non in alias qualitates; deniq; quia humor, & siccitas etiam qualitates actiuę sunt, & non à frigore, vel calore patiuntur, sed ad inuicem, aut ab humore siccitas, aut à siccitate humor. Vera hæc sunt, itemq; ex Aristotelica doctrina deprōpta, sed nihil horum veritati repugnat, dum ex alijs effectibus secundarijs calor, & frigus actiuè se habere in mixti generatione dicuntur, siccitas verò & humor passiuè.

1350 Hi secundarij effectus ab Aristotele per eas definitiones traduntur, quas mox *c* explicabo. hic pro agnoscenda huius generationis ratione satis sit pro formali generatione mixti, quæ sita est in eductione substantialis formę è materia præparata, necessarium esse ex parte materię humidam substātiam cum sicca benè temperatam, ex parte efficientis caloris, & frigoris temperiē.

c Hoc eod. cap.

1351 Habes ergo in allata definitione quatuor genera causarum; Nam dum dicitur transmutatio, hæc formę vicem habet, dum dicitur à virtutibus, in duabus actiuis habes efficientem causam, in duabus passiuis materialem, dum deniq; dicitur, hæc ipsa virtutum actio, & passio debere esse attemperatè ad propriam cuiusq; mixti naturam, indicatur causa finalis, quæ est effectus ipse, sed prout in esse futuro specificat, ac determinat actionis modum.

1352 Discriminat hæc definitio generationem mixti, quà mixtum est, à generatione viuentis: Vtraq; .n. est mutatio totius; sed cum viuens generatur, spectatur processus viuentis à viuente, principio coniuncto secundùm naturæ similitudinem; hic vbi dicitur generari mixtum, non spectatur agens principale, quod sibi simile gignat, sed potiùs concursus instrumentorum separatorum, vndè dicitur generari ab illis virtutibus, prout mixti natura postulat.

1353 Ratio,

1353 Ratio, cur hic magis attendatur ad instrumenta, quam ad agens principale, cum verum sit etiam hic, simile à simili generari, est quia non sunt quęlibet instrumenta externa, sed immanentia in ipso producto, vndè est, vt faciant ad intimam mixti notitiam.

1354 Duas esse in vnoquoq; elemento qualitates primas, omnes esse numero quatuor, singulas esse actiuas, statutum *a* alibi á me est ex cōmuni Peripateticorum doctrina. Hic addo, duas ex his esse actiuas, calidum, & frigidū, duas passiuas; humidum, & siccum. ipsaq; hæc est Aristotelis doctrina.

a Hoc eod. lib. 2. cap. 14.

1355 Calidum est, *b* inquit, quod congregat ea, quæ sunt eiusdem generis; segregare.n. quod inquiunt facere ignem, congregare est ea, quę eiusdē generis sunt, contingit.n. excipere aliena. Rectè igitur calidum agere dicitur, quia congregare homogenea, &, pro hac ipsa congregatione, disgregare eterogenea, agere est.

b Lib. 2. de Gene. t. 8.

1356 Frigidum, inquit idem *c* Aristoteles, est, quod coniungit, & congregat similiter, & ea quæ eiusdem generis, & quæ non eiusdem generis. Et hic actio tribuitur frigido, nam congregare, quæcunq; tandem illa sint, quæ congregantur, agere est.

c Ibidem.

1357 Contrà humida, & sicca describuntur ab eodem Aristotele per passiones potius, quam per actiones, humidum, *d* inquit, est quod interminabile proprio termino, facilè terminabile existit, siccum facilè terminabile proprio termino, difficilè alieno terminabile est.

d Eod. 2. de Gene. t. 9.

1358 Sed hæ ipsæ descriptiones indicant, qua ratione, cùm qualitates omnes actiuę sint, hic duo genera qualium assignentur actiua, duo passiua, & quidem alia ratione distributa, ac ipsæ qualitates agere, & pati, dicantur ad inuicem. Actiuæ sunt omnes, si spectentur secundum vim producendi sibi similes qualitates in extrinsecam materiā; passiuę sunt eędem, si spectentur, pro vt ab extrinseco agente remittuntur, ac destruuntur tandem; Duæ autē dicuntur actiuę in illa ipsa materia, in qua sunt, & duæ passiuæ ab illis ipsis actiuis, quæ in eadem materia sunt. Et verò hac posteriori ratione consideranda fuerunt elementa, quæ his qualitatibus qualia sunt, vt integra mixti generatio distinctiùs cognoscatur.

1359 Sed dubitabit aliquis, an hæ ipsæ virtutū descriptiones verę sint. Qua ego in re censeo, prudenter, ac scitè, esse distinguēdum, quid per se fiat, quid aliquandò per accidens, non ex naturæ rei qualis, sed ex extrinseco adiuncto. descriptiones.n. dantur de his, quę ex rei natura sequuntur: Cera pici non admisceretur, dum in eodem vase liquefiunt; miscentur tamen si instrumento aliquo confundantur, agitenturq; vt quid vnū faciant. illud primum à natura caloris habent, congregātis homogenea, & eterogenea segregantis, hoc secūdū habent ab accidentaria conditione. Hinc de multis similibus cōiectura fit.

1360 Tenuia quędam sunt, quę, quamuis sicca, terminantur magis alieno termino, quam proprio. Talis est flamma, quę in fornace inclusa rotundatur, vbi fornicem tetigerit, & quamuis ibi non quiescat, exitum lābendo quęrens, quiescit certè in amplissimo lunari fornice, si ibi est ibiq; se ad cœli concauitatem accommodat.

1361 Non placet id,quod hac in re *a* quidam habet, inesse igni propriam figuram pyramidalem,& proprium terminum; Pyramidalis enim figura nõ igni conuenit magis,quam alia, nisi per accidens. Placet igitur stare nihilominus vim allatæ definitionis sicci,quia illi,cui per se debetur proprius terminus per accidens,ratione tenuitatis,accommodatur alienus. Sic ignis lãbendo figuram vasis recipit,sic alia complura similia.

a Philop.in 2. de Genera.

1362 Duo igitur intelligenda sunt,præstari ab his quatuor virtutibus,quatenus in elementis sunt,& simul conueniunt ad mixtũ cõponendũ, ac miscẽdũ.Primum est id,quod primario habent,agere ad inuicẽ,& pati,prout contraria contrariæ opponitur;Alterum est,quod secundario habent, disponere materiã mixti,& vltimò præparare ad mixti formã,& in hoc,quæ congregant materias partiales dicuntur agere, aliæ, propter quas eidem materiæ inest, terminabilem esse proprio,vel alieno termino,pati.

1363 His adde,actiuas qualitates,calorem,& frigus, si mixtum fieri perfectum debeat, non agere in passiuas, nisi coniunctas. Satis videtur esse alicubi *b* Aristoteli,si in vnam agant,vel alteram;sed hoc solum accidit in impuris elemẽtis,v.g.in aqua,quæ quamuis dicatur simpliciter humida,aliquid semper habet admixtum terrei.

b Lib.4.meteor.Sum.1.c.1.

1364 Debet igitur id,quod patitur,humidum simul esse,& siccum, & hæc est causa,cur cum vnumquodq; elementum in suo naturali statu duas habeat qualitates,vnam actiuam, alteram passiuam, ex se tamen solo non faciat mixtum,nisi per extrinsecam actionem alia adueniat passiua qualitas.

1365 Vnum restat hac in re, quòd ex Arist. dicto difficultatem habet non exiguam. Nam si in mixti generatione actiuæ qualitates sunt calor, & frigus, qui dicitur *c* alicubi frigus non ingredi naturæ operationes, nisi per accidẽs, quatenus per circũobsistentiã calefacit?Sũt *d* qui aiũt,dictũ hoc Arist.nõ esse admittẽdũ;Etenim cõplura fiũt mixta ex prædominio frigida, quorũ generationem necesse est attingat frigus,non ex accidenti,sed per se. Censeo, cũ in mixti generatione multa interueniant,opus hic esse distinctione.

c Lib.4.meteor.Sum.2.c.2.
d Conc.diff.61.

1366 Calor ergo solus naturæ opera attingit, si in naturali mixto spectetur concoctio,quæ ad eductionem formæ mixti præuia est,& de qua mox dicam. Hæc à solo calore est,& à frigore,nonnisi vt calorem temperat,vel etiã caloris vicem habet in effectu primario per antiperistasim, vel in secundario adiuuando congregationem. Si verò peracta concoctione spectetur in mixtis congelatio quædam, quæ in pluribus ex prædominio frigidis generationem consequitur,hæc à frigore per se est.

1367 Difficultatem hic minimè leuem patiuntur, qui putant, vnius corruptionem esse alterius generationem per nouam formã necessariò productam ad nouum compositum constituendum. Et ratio difficultatis est; Quædam corrumpuntur gelu, in alterius ergo noua generatione idẽ ne gelu operatur,an calor?si calor vix vllus is est,si gelu, ergo per se operabitur illud naturæ opus spectata vltima materiæ præparatione.

1368 Hæc me difficultas non tangit, qui *e* censeo,vno corrupto nõ semper fieri de nouo aliud per formæ generationem, sed sæpè per nouã denomina-

e Vt assero hoc eod.lib.2.c.15. & dicã.c. seq.

tionem ab antiqua forma, quæ ex partiali totalis fit: Sed cum fit, nego nullũ ſupereſſe calorem, ſi mixtum illud eſt.

1369 Quærunt itẽ, an dentur mixta ex prædominio frigida. Hac ego in re ſequor affirmatiuam partem, quicquid *a* complures dicant, qui difficultatem ex difficultate trahũt in hac enodanda quæſtione. Vbi verò dicitur frigus prędominari, intellige ſecundum intenſionem qualitatis; quoniã verò calor maximè operatiuus eſt, eſto remiſſior inueniatˉ in huiuſmodi mixtis, operabitur nihilominus, concoquendo, quantum mixti natura poſtulat, & hoc eſt, quod calor in mixtis omnibus operatur.

a Apud Piccol. de mixtorũ ortu c. 8. & 9.

1370 Non quilibet elementorũ concurſus, nec quęlibet agglutinatio, mixtum facit, niſi mixtum dixeris glutem, quod ex farina, & aqua feciſſe *b* dicatur Empedocles. Requiritur ergo ſtatus quidam illius elementi proprius, & quidam materiæ modus, qui per concoctionem, habetur.

b Apud Ariſt. lib. 4. meteor. Sum. 2. c. 1.

1371 Eſt concoctio, *c* Ariſtotele auctore, perfectio à natura, & proprio calido ex oppoſitis paſſiuis. Quæ ſint paſſiua oppoſita habes ex *d* dictis, humidũ videlicet, & ſiccum, quæ habẽt locum materiæ, huius verò materiæ perfectio ab actiuis qualitatibus triplex aſſignari hic poteſt.

c Lib. 4. meteor. Sum. 1. c. 3.
d Hoc eod. cap.

1372 Prima eſt à qualitatibus ſimpliciter actiuis, & paſſiuis, ratione effectus primarij, altera à duobus actiuis, calido, & frigido, ratione effectus ſecũdarij; tertia ab omnibus, ratione vtriuſq; effectus, & ſecundariæ, tum actionis, tũ paſſionis. Prima ſita eſt in temperamento qualitatum refractarum; Tertia in ipſa ſubſtantiali forma mixti; de ſecunda non leuis eſt quęſtio, & hæc illa eſt, quæ hic dicitur eſſe à concoctione. Diſtinctius ergo huius cõcoctionis terminus aſſignandus mihi eſt.

1373 Exiſtimant aliqui, *e* eſſe temperamẽtum qualitatum; Sed hoc non admittit Ariſt. doctrina; temperamentũ. n. ſequitur ex refractione qualitatũ, & diuiſione ſubſtantiæ elementaris in minutiſſimas particulas; coctio vero tẽperamento poſterior eſt, vbi iam qualitates refractę ſunt, vbi materialis mixtio facta eſt, & vbi qualitates actiuæ operantur ſecundum ſuas ſecundarias actiones, & paſſiones. Adde; ſi in eo temperamento ſit coctionis vis, hæc non magis erit à calore, quam à reliquis qualitatibus; temperamentum enim in earum omnium ſtatu proportionato, ſitum eſt.

e Auer. Proẽ. in 4. meteor. & Com. 14.

1374 Cenſeo igitur id, quod etiam periti *f* Phyſici aſſerunt, coctionẽ ſitam eſſe in quadam incorporatione humidi cum ſicco cohęrente, quantũ mixti natura poſtulat, ideſt magis, vel minus, prout plus, vel minus de humido habere debeat. Eſt hæc incorporatio à calore congregante, & pro futura congregatione, diſgregante, ſi quid diuerſæ rationis immixtum ſit; terminus verò ſui effectus eſt incraſſatio quędam, & conſiſtentia humidi, item prout poſtulat mixti natura.

f Piccol. lib. de concoct. c. 5. et apud hũc Hugo Bẽtius Buccafer.

1375 Sed non placet id, quod ijdem, vel expreſsè addunt, vel ſupponunt, concoctionem hanc conſequi ex productione formę mixti. Eſt enim pro diſpoſitione ad formã; diſpoſitio autẽ, ſemper præcedit, ſaltem natura formam.

1376 Nec vero me de hac ſentẽtia dimouent verba *g* Ariſt. vbi ait; coctionẽ hanc eſſe à natura, cumq; hæc ipſa eſt, tunc rem fieri, ac perfici. Quod enim à na-

g Eod. c. 3. li. 4.

à natura sit, non dicit, esse à forma mixti, sed à causa naturali, quæ talis sit, qualem rei natura postulat. Quod verò tunc, cum concoctio est, dicatur res fieri, ac perfici, hoc nihil probat; nam re vera tunc, cum est vltima dispositio ad formam, est ipsa forma, licet non per eandem actionem, per quam dispositio est; & hoc expressè mihi videntur velle verba illa Aristotelis de præterito: Cum (inquit) concoctum fuerit, & perfectum est, & factum, & principiũ perfectionis à caliditate propria accidit.

1377 Philosophare hac in re de mixti generatione, sicut de generatione elementi; Fieri enim potest à natura, idest à naturalibus causis dispositio, per quam ex aqua v.g. fiat aer. Quoniam verò quamuis aer in suo naturali statu postulet calorem intensum vt octo, stare potest eius productio, & conseruatio cum minori intensione caloris, continget ex aqua, non dum calefacta vt octo, aerem fieri, qui mox suam sibi qualitatem perficiet per vim, quam habet se se ad suum statum reducendi. Simili ergo ratione mixtum ex nondũ perfecta concoctione productum per suam formam se ipsum concoquet.

1378 Iuuari posse naturam ab aere in his coctionibus, non solum non negat Aristoteles, vbi supponit, coctionem à natura esse, sed etiã expressè *a* asserit: quia, inquit exterius auxilium aduenire potest, qua ratione aliquis per balnea, & per alia talia adiuuat facultates concoctrices alimẽti. Sic sępè multa artificiosè miscentur, quæ tamen à calore artificiosè contemperato naturaliter, non artificiosè concoquuntur. Opera verò frigoris, vel in his, vel in alijs, quæ simpliciter à natura fiunt est qualis à me *b* suprà explicata est.

1379 Ex notitia concoctionis eidem opposita inconcoctio facilè agnoscitur, quæ sic describitur ab *c* Aristotele: Inconcoctio imperfectio est propter indigentiam proprię caliditatis. Ipse sibi commentator est hac in re: Indigentia (inquit) caliditatis frigiditas est, imperfectio autem oppositorum passiuorum, quæ quidem est vnicuique natura materiæ. Nihil addo, quia res est ex dictis perspicua satis, & si vsquam alibi verè dixeris, hic verissime, opposita ex oppositis elucescere magis, vnamque esse contrariorum disciplinam.

1380 Problema his addit *d* Aristoteles, quæ concocta sunt, crassiora, & calidiora esse inconcoctis. Distingue hic naturalem calorem, qui est in re cocta, ab innaturali, qui ab extrinseco est, & in re inconcocta, nõ nisi ad eam coquẽdã. Sic verũ est Arist. dictũ, rem coctã esse natura calidiorẽ incõcocta.

1381 Dicitur itẽ res cocta crassior, quã inconcocta. Hęrebit aũt hic aliquis, quia pro facultate, quã calor habet ad disgregãdũ, viderẽtur quę cocta sunt, hoc ipso, quod sunt calidiora, esse debere rariora. Hic etiam caloris operatio distinguenda est, nec enim pariter in simplicibus is operatur, ac in mixtis, in illis materiam in qua est, extenuat, ac deducit, in his humidi naturã sicco attemperatam pinguiorem perficit, & crassiorẽ pro cõgregandi virtutẽ. Itaq; non sunt cõfundendi qualitatũ primarũ secundarij effectus cum primarijs, quos *e* Aristoteles ità distinguit, vt dũ de qualitatibus in ordine ad mixta philosophatur, lõgè diuersa ratione disserat, ac de illis ipsis in ordine ad elemẽta.

1382 Plures concoctiones, quasi species, numerat *f* Aristoteles, maturationem, elixationem, assationem, & sicut concoctioni in vniuersum opponit in-

a Lib. 4. meteor. Sum. 1, c. 3.

b Hoc eod. c. 6.

c Eod. li. 4. meteor. Sũ. 1. c. 3.

d Eod. lib. 4. meteor. cit. c. 3.

e Lib. 3. & 4. de cælo, & lib. 2. de Genera. et 4. meteor.

f Lib. 4. meteor. Sum. 1. c. 4.

inconcoctionem, ità his cócoctionis partibus cruditatem, inquinationem, tostionem; spectandus in his est naturalis mixti status, cui certa debetur concoctio, preterea coniunctio caloris cum humido, cum sicco, item excessus, vel defectus, à naturali statu, & hac methodo constabit de pluribus concoctionum, inconcoctionumq; modis, vel in excessu, vel in defectu. Multa noscuntur ex artificialibus coctionibus, elixationibus, assationibus, sed medicorum ea sint negocia, siuè mauis coquorum.

1383 Explicatæ hactenus generationi opponi putrefactionem secundum naturam, tradit his verbis *a* Aristoteles: Contrarium simplici generationi maximè commune putrefactio est; omnis enim secundum naturam corruptio ad hoc via est, vt senectus, & ariditas, finis enim horum omniũ marcedo, nisi aliquid violentia corruptum fuerit. Digna hæc sunt, vt ad moralia digrediar, quæ vnusquisq; perlegat attentè, & discat amare his meliora, quorum finis, nec terra, nec fimus est, vt in his fluxis, atq; caducis esse asserit *b* Aristot.

a L. 4. meteor. Sum. 1. c. 2.

b Eod. c. 2. li. 4. meteor.

1384 Quantùm licet de putrefactione mixtorum ex ipsa generatione ratiocinari; sicut generatio est à calore, frigore attemperato, concoquente, compingenteq; humidũ cum sicco; & sicut mixti geniti conseruatio est quamdiù innatus calor perdurat, aptusq; est regere illam humidi, & sicci compactionem. Ità res putrescit, cum calor educitur, eoq; detracto, siccum ab humido dissoluitur. Docent hoc experientiæ, cur enim in æstate, vel in locis calidioribus res facilius putrescunt, quam in hyeme, vel locis frigidis, nisi quia in vehementiori calore ambientis innata caliditas euocatur?

1385 Dicitur autem putredo, quæ quodammodo ex ipsa rei conditione nascitur, aptæ videlicet resistere contrarijs agentibus, ac perdurare, sed non diù; deficiet enim tandem, & quia defectus principium, & prima origo in natura est, dicitur naturaliter defecisse. Degat vbi vbi homo voluerit, suæque, quantum potuerit, consulat incolumitati, senescet tandem, & quia ipsa senectus est morbus, qui curationẽ nullã admittit, cótabescet. Simili ratione materiata omnia, quę sub luna sunt, æui sunt, alia alijs longioris, sed non æterni.

1386 Anteuertit autem putrefactionem hanc naturalem maior aliqua violentia, qua sæpissimè, & homo moritur antè diem. Præproperum hunc interitum vocat *c* Aristoteles combustionem, non quia sola combustione mixta violenter intereant, vt non *d* nemo cẽsuit, sed vt ex combustione, quasi adducto exemplo, alię similes externę violentię cognoscantur.

c Lib. 4. meteor. Sum. 1. c. 2.
d Mercenarius lib. de putrefactione.

1387 Cęterum non solum hominis varius est interitus, à tam multis casibus quibus vita exposita est; sed etiam inanimatorum mixtorũ de quibus hic sermo est. An non tibi videatur violẽtus ligni interitus, cum vi frigidioris aquæ mutatur in petram? sic alia similia experientiæ monstrant.

1388 Sed quod spectat ad illum naturalem interitum, qui putrefactio dicitur, sic eũ describit *e* Aristoteles; Putrefactio est corruptio eius, quæ in vnoquoq; humido propriæ, & secundum naturam caliditatis ab aliena caliditate; Est descriptio causalis, nec enim in ipso abscessu innatæ caliditatis res putrescit, sed in separatione humidi, & sicci, quæ ex caliditatis destitutione sequitur.

e Lib. 4. meteor. Sum. 1. c. 2.

1389 Abſcedit autem innata caliditas, à calore ambientis euocata per eã vim, quam à natura habet ſimile, attrahendi ad ſe ſimile, ſicut è contrà contrarium pellendi longè à ſe alterum contrarium.

1390 Sed huic ipſi deſcriptioni, quaſi deficienti, videtur *a* Ariſtoteles addidiſſe, concurrere etiam ad putrefactionem frigidum, & non ſolum externũ calidum ambiens. Et verò id ratio docet; nam non minorem vim habet externum frigus ad innatum calorem pellendum, quam habeat externum ambiens calidum ad eundem euocandum. Defluit aliquibus ex nimio gelu naſus, niſi adactis niuibus per antiperiſtaſim calorem excitent; putreſcũt extremæ auriculæ, & alia horum ſimilia experientiæ edocent.

a Eod. 4. meteor. Sum. 1. c. 2.

1391 Sed quod maiorem hic difficultatem facit, eſt, quia aſſerit Ariſtotiles, *b* ab innato frigore rem putreſcere. Quicquid alij dicant; mea ſententia eſt, ab innato frigore rem putreſcere, prout frigus dicit caloris abſentiam. Huc ſpectant illa Ariſtotiles. *c* Quoniam ſecundum indigentiam patitur calidi; quæ autem indigens tali virtute, frigidum omne.

b Apud Zabar. lib. 2. de mixti Genera c. 8.

c Lib. 4. meteor. Sum. 1. c. 2.

1392 Putredinis ſpecies diſtinguere, quæ ex eorum varietate, quibus mixtum conſtat, varijſſimæ notari poſſent, nec res poſtulat, nec debitus honor auribus patitur: Satis ſit de ea partitione meminiſſe, de qua *d* Ariſtoteles, vbi aliam putrefactionem appellat ſimpliciter, aliam ſecundum partem. Simpliciter eſt cum mixtum in elementa reſoluitur, nec aliud ſupereſt, niſi terra, & fimus, prout res fuerit ex prædominio terrea. Frequens hæc eſt, ſed alia nihilominus, qua ex mixto aliquo tranſitus fit in aliud mixtum.

d Lib. 4. meteor. Sum. 1. c. 2.

1393 Sed putreſcere dicuntur aliquando ab *e* Ariſtotile etiam elementa? quomodo vero id dicitur, ſi ea mixta non ſunt? Aio, qua ratione imperfectè miſcentur elementa, dum impura ſunt, eadem dici quodammodo putreſcere ſecundum partem, dum nimium deprauantur, ac diſtant à naturali ſtatu.

e Eod. lib. 4. meteor. Sum. 1. cap. 2.

1394 Non ità facilè ab hoc naturali ſtatu recedit ignis, ſicut recedunt alia elementa, vndè eſt, vt ignis non dicatur putreſcere, dicantur verò alia tria, ille ab externo calore non patitur, nec externam humiditatem admittit, hæc extrinſecas impreſſiones, quam facillimè accipiunt. Et hæc ſatis dicta ſint de mixtis progredior ad animata.

ANIMA, ET POtentia.

CAP. XXXII.

1395 ANIMATORVM natura ex ipſa natura animę cognoſcitur, hinc plurimus Ariſtoteles eſt in diſputatione de Anima: cognoſcitur eadem ex materia, hinc plura ex eodem accipienda ſunt, quæ ad propriũ animę ſubiectũ ſpectãt; mox addam, quæ de ſingulis animatorum partibus dicẽda videbuntur. Nobilis verò eſt hęc philoſophiæ pars ex ſenſu *a* Ariſtotelis, vbi ait: Bonorum, & honorabilium notitiã opinantes, magis autem alteram altera, aut ſecundum certitudinem, aut ex eo, quod meliorum, & mirabiliorum eſt; propter vtraq; hæc animæ hiſtoriam rationabiliter vtiq; in primis ponemus.

a Lib.1.de anima initio.

1396 Quid verò anima ſit, quæſitum diù eſt, & vehementer in quæſtione erratũ à multis, ita vt complures veterum opiniones à nobis, quos melior ſapientia diuinitus data inſtruxit, inter fabulas cenſeri poſſint. *b* Democritus videns animam eſſe principiũ motus, cenſuit etiã ipſam citiſſimè moueri; eſſe igitur naturæ igneæ, compactamq; ex atomis maximè mobilibus, ac verſatilibus. Rectè huic negat *c* Ariſt. moueri propterea animam, quia ipſa principium motus ſit. Sed etiã ſi moueretur, nec Democrito, nec alijs quibuſdã ex ſecta Pythagoræorum compoſitio illa ex atomis danda eſt.

b Apud Ariſt. lib. 1. de anima.t. 20. & 22.
c Ibid.t. 36.

1397 Cẽſuit *d* Empedocles, animã, & maximè humanã ex elementis cõpoſitam eſſe, eoq; vſus eſt argumẽto leuiſſimo; Illud eſt anima, quod cognoſcit, elementa videlicet quęq; ex elementis conſtant. Scilicet, ſi Deum is cognouiſſet, Deus euaſiſſet. Fit fateor intellectus intelligendo, omnia, ſed per ſolam expreſſionem imaginis rei intellectę, veluti in ſpeculo, non autem per naturã.

d Apud eundẽ Ariſt. lib. 1. de Animat. t. 25.

1398 Nec diuerſæ ſunt virtutes in hoĩe, quas ille poſuit, vnã terreã ad cognoſcẽdã terrã, alterã aqueã ad cognoſcẽdas aquas, & ſic deinceps; ſed virtus

tus vnica est, omnium imagines in se exprimens, quorum impressas prius acceperit.

1399 In has easdem sententias aliqui Platonicos interpretantur, dum *a* dicunt animam esse numerum se ipsum mouentem, ideſt compositam ex elementis naturam, maximè mobilem. Hæc si horum sententia sit, fabulosa est pariter, & ex leuissimis argumentis inducta.

1400 Adde Platonicis Pythagoricos, si, dū aīam esse harmoniā cōtēdūt, aliter hāc rē interpretantur, ac ego *b* supra asseruerim. Enimverò à sapiētū cōcētu valdè discordat, nec se peritū musicū ꝓbat, qui se musicā esse sic dixerit.

1401 In alias *c* alij fabulas abierunt. Diogenes vult, animā esse de natura aeris. animam, opinor, censuit esse, quam spiritu ducebat. Heraclitus, & Alchmęon volunt, esse tenuissimum humorem, semper fluentem. Si se hi collegissent, verba non tam facilè effluerent imprudentibus.

1402 Hippon putat, esse aquam, Critias sanguinem. quid tandem commenti non sunt mali commentatores, quos Aristoteles, & veris, & multis rationibus redarguit? esto, quod ad hominis animam spectat, nec omnia ipse fuerit assecutus.

1403 Est anima, si omnes animæ partes vnica definitione comprehendere voluerimus, *d* Actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis, tale autem, quod vtique sit instrumentale. Ex notis principijs in hāc veritatem Aristotiles deuenit, quia animata sunt substantiæ compositę ex actu, & potētia; quia actus secūdi ex primis prodeunt, vndè hi ex illis inferuntur; quia deniq; sēsus ipse docet, certa quędā requiri instrumēta ad proprias animatorū fūctiones, & ad certa capita fūctiones ipsas reduci, q̄ ex certis principijs oriāť.

1404 Hic actus primus *e* perfectus actus est. Nec magni facio, si perfectionē appellaueris, quicquid contra *f* aliqui obijciant, qui verentur, ne perfectionis nomine accidētalis tātummodo forma intelligatur. Omnis actus, & materiæ, & cōpositi perfectio est, eo perfectior, quo fuerit ipse actus perfectior, quare ēt substantialis, cum vere actus sit, perfectio dici poterit, licet longè diuersa ratione insit, quam accidens, & licet separabilis à materia sit, id quod nec ipse *g* Aristoteles ignorasse videtur de anima rationali.

1405 Actus primus est operandi principium, actus secundus est ipsa operatio; Sed hic intellige actum primo primum, est enim immediatè operatio à potentijs animæ, quæ actus dici possunt, & primi; non tamen, qui non sint ab alio priori, videlicet anima ipsa.

1406 Controuersantur hic aliqui, an actus secundus sit ipse actus primus cū operatione, vel potius operatio. Placet hoc secundum, quicquid contra nō *h* nemo ex recentioribus Auerroistis pro Auerrois propugnatione obijciat. An non illa pręclara ex Aristotele? alius quidem sicut scientiæ, alius autem vt speculatio.

1407 Est item anima actus corporis naturalis; *i* intellige illius corporis, quod ipsa constituit, informando materiam. Quare nihil est, cur hinc aliqui sibi persuadeant, dari formas partiales, quia anima est actus corporis, constituti per illas, vel materiam ipsam esse corpus quia anima est actus materię.

a Apud eundē Arist. lib. 1. de Anima. t. 28. & 54.

b Hoc eod. lib. 2. cap. 1.

c Vt refert idē Arist. eod. li. 1. de Anima t. 32. & 35.

d Ex lib. 2. de Anima t. 6.

e ἐντελέχεια

f Alb. Sum. de homine quæsito 3.

g Lib. 12. meta. t. 17.

h Mercen Diluc. de hac re.

i Cum D. Tho. Simpl. Themistio Marcello.

a Hoc eod. li. 2. cap. seq.
b Hoc eod. li. 2. cap. 48.

1408 Dari formas partiales alijs argumentis ostendam *a* infrà, materiam verò non esse corpus, etiã *b* suo loco à me ponetur. hic aio, neutrum ex definitione animæ colligi, cum dicitur actus corporis; etenim quælibet substantialis forma est actus corporis, quod ipsa componit vna cum materia.

c Lib. 2. de Anima t. 6.

1409 Particularis verò ratio animę, quatenus à reliquis substãtialibus formis distinguitur, inde incipit ab Aristotele explicari, cum dicitur actus corporis organici, siuè instrumentarij. Instrumenta hic intellige, nõ primas qualitates, sed substantiales partes eterogeneas, in quo sensu ait, *c* Aristoteles exempli gratia, radices esse instrumenta plantarum ad nutritionem. Constituuntur autem huiusmodi instrumenta in esse instrumenti per ipsam animã, tanquam per formam; Etenim pars illa eterogenea, vbi ab anima separata sit, non est instrumentum, nisi æquiuocè ex eiusdem *d* Aristotelis sententia.

d Eod. lib. 2. de Anima t. 8. & 9. meteor. c. vl. lib. 7. meta. t. 35. lib. 1. de Part. ani. c. 1.

1410 Denique dicitur hoc, quod anima constituitur, esse potentia vitam habens. Vitæ nomine intellige operationes vitales; nam primum vitę principium est ipsa anima, quam id, quod animatum est, actu habet; per eam tamen est idem in potentia ad vitæ operationes.

e Lib. 2. de Anima t. 24.

1411 Has noua definitione animę, vt quidam putant, aut huius ipsius maiori declaratione, distinctè posuit *e* Aristoteles, cum dixit, animam esse id, quo viuimus, sentimus, mouemur, intelligimus.

1412 Tres animæ communiter numerantur, vegetatiua, sensitiua, rationalis: Et verò distinctæ sunt; nam quamuis in rationali contineantur sensitiua, & vegetatiua, atq; in sensitiua vegetatiua; datur, tamen in plantis vegetatiua sine vllo sensu, in brutis sensus sine ratione. Omnibus his conuenit, & singulis, esse actum primum corporis naturalis organici potentia vitam habentis, quicquid contra non *f* nemo sentiat, qui contendit, solam sensitiuam, & rationalem animam fuisse definitam.

f Mercen. in suis dilucid.

g Paris. disp. 5. meta.

1413 Est etiam, *g* qui censuerit, solam animam rationalem fuisse ab Aristotele in allata descriptione cõprehensam, quia sola est principium illarũ quatuor vitalium operationũ, vegetationis, sensationis, motus localis, & intellectionis. Sed hoc leue argumentum est, nam vbi anima dicitur principiũ illarum quatuor operationum, non dicitur propterea eas in vno, & eodem semper exercere, sed operationes vitę solas, vbi sola sit anima vegetatiua; sensus, & motus, vbi sit sensitiua; rationis præterea, vbi sit rationalis.

h Apud D. Augustinum lib. de quantit. Animæ cap. 33.

1414 Conati *h* aliqui sunt sensum plantis tribuere, vt animam vegetatiuam à sensitiua non distinguerent, fueruntq; his argumento naturales quædam sympathię, & antipathiæ, quas plantę, vel inter se, vel cũ alijs inanimatis corporibus habent, sed iure optimo peritissimus philosophus, ac Sanctissimus Theologus Augustinus opinionem hanc & rudem, & impiam vocat; Fuit. n. idem, & in philosophia error, & errandi occasio in fide Manichęis, vbi tandẽ animam etiam rationalem, plantis attribuerunt. Et verò leuissimum illud argumentũ fuit, sympathiasq;, & antipathias nihilo secius in inanimatis deprehendendas.

1415 Dubitatum est hic, dum quæritur animarum numerus, an sint plures animæ, quam tres, cum quatuor operationum genera in ea descriptione distinguantur;

ſtinguatur. Sæpè alibi *a* Ariſtoteles aſſerit, animatorum genera quatuor eſſe: ſunt plantæ, quæ ſine ſenſu viuunt; ſunt quæ viuunt, & ſentiunt, ſed ſinè motu, ſpongię; ſunt quę viuant, ſentiant, moueantur, ſed ſinè ratione, bruta; eſt deniq; homo, in quo vita, ſenſus, motus, & ratio eſt. Ego ſentio, animas congruentiſſimè diſtingui tres, eſto dicantur etiam cõgruenter animatorum genera quatuor.

a Li. 1. de Anima t. 89. lib. 2. t. 18. & 24.

1416 Cur cõgruè dicatur anima triplex, explicat D. *b* Thomas ex triplici exceſſu, quem animatorum operationes habent ſupra modum operandi elementorum. Operantur hæc per qualitates primas in externum ſubiectum, anima in eo toto, in quo eſt tripliciter, ideſt, aut per qualitates primas, & hęc eſt vegetatiua, aut per ſpecies intentionales ab obiectis acceptas; ſi non pro omnibus, ſaltem pro pręcipuis operationibus, & hæc eſt ſenſitiua, aut per ſpecies ſpirituales, ſine vllo organi miniſterio, & eſt anima rationalis, quæ maximè diſtat à modo operandi inanimatorum. Alię aliundè congruentiæ habentur facilè.

b 1. p. q. 78. a. 1.

1417 Cur verò dici poſſint quatuor genera animatorum, Oritur ex quadã latitudine perfectionis, quæ in anima ſenſitiua reperitur. Etenim, vt notat *c* Ariſtoteles, ſenſus tactus omnibus animalibus communis eſt, alię verò facultates non item, & in particulari quod ſpectat ad motum localem, alia reptant, alia ſerpunt, alia incedunt, alia volant, quædam verò ſunt, quæ ſe loco non dimouent, & dicuntur affixa; ſentiunt tamen, & motum aliquem habent dilatationis, ac reſtrictionis. Ergò ſi quis animalia, quæ ſe loco mouent, ab affixis diſtinxerit, non repugno.

c Lib. 2. de Anima t. 27.

1418 Viſus eſt *d* Plato in homine tres animas collocaſſe, quibus tres diſtinctas ſedes tribuebat, vegetatiuæ hepar, ſenſitiuę cor, rõnali cerebrum. Meritò diſplicet Ariſtoteli hæc diſpoſitio, dari enim debet vna ſuperior forma totius, quæ illas, quaſi partiales, cõtineat, ſuperior verò ſupra eas tres nulla eſt.

d Apud Ariſt. li. 1. de Anima t. 90. lib. 3. t. 41. D. Tho. 1. p. q. 76. a. 3. in corp.

1419 Crediderim, Platonem de operationibus potius loqui, quam de anima ipſa, eaq; diſtributione in homine imaginem integrę cuiuſdam ciuitatis adumbraſſe, in qua mens ſenatum conuocat in cerebrum; concupiſcentia militares copias in cor; vita populares quęſtuarios in hepar. Ne require in exemplo nimis minutè veritatem; nam re vera rationalis anima inorganica eſt, & ipſa ſibi capitolium eſt.

1420 Plures animas neeſſe eſt poſuerit etiam *e* Galenus, cuius ſententia eſt, animam in temperamento ſitam eſſe: Scilicet non idem eſt temperamentum, & mixtura omnium partium, ergo nec vna omnium anima. Sed errat is, & non leuiter, in illa prima perſuaſione, quod anima temperamentum ſit; Quin. n. fiat, vt cum phyſico phyſicè agam, ex non ſubſtantijs ſubſtantia, tam perfecta, quam eſt animata ſubſtantia?

e Lib. 3. de locis affectis cap. 5.

1421 Sed mitto antiquorum commenta; Quod magis mirere, ſunt ex noſtratibus, qui *f* ſentiant, triplicem eſſe in homine animam, vegetatiuam ſcilicet, ſenſitiuam, rationalem; duplicem in brutis, ſenſitiuam, vegetatiuam; vnicam in plantis, quia ſic monſtrant harum animarum propriæ operationes. Multum viſum eſt *g* alijs, poſuiſſe in homine tres, duas tãtum admittunt, ſenſitiuam,

f Ocham, Io. Gãdau. venetus, Zabar.

g Maironi Mirandulano.

fitiuam, & rationalem. Sed videant ipsi, qui se tueantur. Si Theologicè agamus tutior sententia censetur, *a* vnam tantum esse in homine animam rationalem, à qua sint animarum omnium operationes, & vita; idq; ego sentio.

1422 Si philosophicè agamus, nihilo melius hi sapiunt. Nam, esto, nihil hac in re decretum sit à diuinæ sapientiæ magistris, ipsa ratio docet, vnius animæ vim posse in alia perfectiori formaliter contineri; hoc autem dato, vna esse poterit, eritq; in homine anima, à qua sit vegetatio, sensus, ratio, quia horum principia in vna anima rectè conueniunt; vna item in brutis à qua sit vita, & sensus, quia vegetatiuæ ratio in sensitiua est. Quod verò homo *b* priùs vitam viuat plantę, quam hominis, dicit ordinem aliquem in operationibus ab eadem anima, non distinctionem animarum.

1423 Sentio igitur cum melioribus *c* philosophis in singulis viuentibus vnā esse numero animam, perfectionis diuersæ, pro animatorum diuersa ratione. Suam habent singulæ plantæ, vegetatiuam, principium vnicum operationum, quæ huius animæ proprię sunt; suam quodlibet brutum sensitiuam, eādem principium sensationis & vitæ, suam quilibet homo rationalem, principium rationis, & sensationis, & vitæ.

1424 Vna hæc anima, quæ in vno viuente est, postulat ex natura sua informare plures inter se diuersas, ac dissimilares partes. Nam sicut forma mixti non informat, nisi compositionem, ac mixturam ex elementis, ità anima pendet in sui informatione à plurium mixtorum compositione, nec vnquam naturaliter, in vna parte similari persistet. Hoc est, quod dicitur, esse anima actus corporis organici. Organum enim ipsa quidem vltimo constituit, sed aptum non id erit, nisi eterogeneum fuerit, quod propriè animatorum operationes exposcunt.

1425 Postulat eadem earum partium continuitatem, quas informat. Esto, possit Angelus esse præsens duobus corporibus contiguis, cū tamen vnus sit; anima, quamuis sit substantię spiritualis, & indiuidua, habet, quia forma est ad materiam ordinata, id, quod habent omnes formæ materiales, vt vna non nisi in vno subiecto esse possit, vnum vero non erit, si partes inter se continuæ non fuerint. Hinc exploditur *d* eorum error, qui vnam animam communē omnibus indiuidius in eo genere esse fabulantur.

1426 Nec mihi eorum probatur sententia, qui de homine differentes, certam aliquam constituerunt vnius animæ sedem, alij in alia humani corporis parte, etiam si eterogenea. *e* Democritus in toto capite animam posuit, Strato in interstitio superciliorum, Erasistratus circà mēbranam cerebri, Herophilus in ventriculo cerebri, Parmenides, & Epicurus in pectore, Empedocles in sanguine, Stoici, Diogenes in corde, vel in præcordijs, hisq; postremis assentitur ex nostratibus *f* Albertus.

1427 Esset, si vera essent hæc placita, anima actus organi, non autem organici corporis, quia in vno esset organo, & non in toto corpore, pluribus organis cōposito. Adde, quod in pluribus humani corporis partibus eę sunt operationes vitæ, quæ in eodem subiecto animæ præsentiam requirunt. Sed quę partes animatę sint, & quæ habeat principatum *g* infrà dicam.

a Ex. 8. Syn. Generali act. 10. Can. 11. Plura eadem de re. S. Aug. li. de quant. Ani. cap. 3. S. Damasc. lib. 2. de fide cap. 12. S. Gregor. Hom. 12. in Ezech. Nissenus de creatione Hominis cap. 15.

b Ex Arist. lib. 2. de Gene. Anim. cap. 3.

c T. Tho. 1. p. q. 76. a. 3. cum suis. Scoto in 4. dist. 43. & in 2. dist. 1. et 16. cum suis, alijsque communiter.

d De quibus meminit Alb. in Sum. de Homine.

e Apud Plutar. lib. 4. de plac. cap. 5.

f Li. 2. de Anima tract. 1. cap. 7.

g Hoc eod. lib. 2. cap. 35.

1428 Nihil hic aſſero de anima rationali, de qua ſæparatim dicam *a* infra, De vegetatiua vero & ſenſitiua quæritur, ſint ne ità materiales, vt ad ipſius materiæ diuiſionem etiam ipſæ in partes diuidantur, eſto ſic diuiſę remaneant in materia, ſiuè diù, ſiuè aliquandiù, ſiuè etiam ſubitò corrumpantur. *b* Negant nõ pauci, qui tamen, cum videant id, quod expreſſe etiam ab *c* Ariſtotele traditum eſt, quaſdam plantas diſſectas viuere, quarumdam animalium partes viuere etiam ſeparatas, putant, nouam in ijs produci animam. Hoc mihi veriſimile non eſt, nam, ſi ſint in ea diſpoſitiones ad animam, non eſt, cur non retineant, quàm habuerunt.

a Hoc eodem lib. 2. à ca. 41.

b Simplic. in 1. & 2. de Anima. Ficinus de Theologia Platonis lib. 1. ca. 3. et li. 8. ca. 1.

c Lib. 2. de Anima t. 19. & 20.

1429 Attentius alij diſtinguunt plantas à brutis, & inter bruta quędam imperfectiora, *d* quę vulgo dicuntur inſecta, á perfectioribus; Dant diuiſibilitatẽ in plantis, & in inſectis, quã ipſe ſenſus probat, ſed negant in brutis perfectioribus. Mihi par omnium ratio videtur eſſe, quia pariter omnes materiales ſunt, & de potentia materiæ eductæ in eadem ſunt, quamdiù debitæ diſpoſitiones permanſerint.

d Ex Ariſt. lib. 1. de Hiſt. anim. ca. 11. vbi reddit nominis rationem.

1430 Ex his verò diſpoſitionibus reddi facile poteſt ratio illius diuerſitatis, quæ apparet inter animam ſenſitiuam brutorum perfectiorum, & ſenſitiuam eorum, quæ inſecta nuncupantur.

1431 Sic rem tractat D. *e* Thomas, vbi habet, animas inſectorum informare quamlibet partem, vt proprium perfectibile; animas verò perfectiorum animaliũ informare totum, vt proprium perfectibile, non aũt ſingulas partes. Quis mente concipiat, informari poſſe à forma totã aliquã materiã, non autẽ ſingulas partes? Veriſſimũ tñ eſt huius ſanctiſſimi Doctoris dictũ, quia aliquibus formis ꝑ diſpoſitione eſt ipſa cõiunctio partiũ, & hę dicuntur habere pro ſuo perfectibili totũ, non aũt partes ſeparatas; Alijs illa coniunctio neceſſaria nõ eſt; & hæ pro ſuo perfectibili ità habẽt totũ, vt habeant ẽt ſingulas partes.

e 1. p. q. 76. a. 8. & 2. de Anima. lect. 4.

1432 Sequor igitur D. Thomæ, & aliorũ grauiſſimorũ *f* Doctorũ ſententiã, vbi aſſero, animas, tum vegetatiuã plantarum, tum ſenſitiuã brutorum, extẽſas eſſe extenſione entitatiua ad extenſionem quantitatiuã ſubiecti, diuiduas eſſe ad ipſius ſubiecti diuiſionem; Cum ea tñ diuerſitate, ꝙ ex animatis quędã etiã diuiſa viuant, alia, vel in altera tantũ parte, vel in neutra animã retineant, quæ nimirum non ex eo, quod ſit indiuiſibilis, ſed ex eo, quod in ſubiecto nõ habeat eas, quas poſtulat, diſpoſitiones, corrupta eſt, ſicut aliæ omnes materiales formæ ſubtractis diſpoſitionibus corrumpuntur.

f Scoti apud Fabrum Theorem. 83. Dur. in 1. diſt. 8. q. 3. Iãd. 2. de Anima. Zabar. Marcel. et aliorum recẽtiorũ.

1433 Nec verò hæc duo, eſſe animã indiuiduam, & eſſe formã aſſiſtentẽ nõ informantẽ, ità neceſſariò coniuncta ſunt, vt liceat alterũ ex altero deducere, qua in re parũ diſtinctè mihi videtur *g* quidã philoſophatus. Forma. n. aſſiſtẽs verè, & propriè forma non eſt, quicquid ſit de eius natura, diuiſibilis ne ſit, an indiuiſibilis; Et inter informantes dari poſſunt, tum diuiſibiles, tum indiuiſibiles, quæ tamen omnes verè, & propriè informent.

g Zab. de Partitione Animę cap. 11.

1434 Adde his, in plantis, vel inſectis diuidendis aliud eſſe loqui philoſophicè, aliud ex vulgi ſenſu. Lacertę caudam abſciſſam, viuentem, ſeq; in ſe replicantem, nemo lacertam dicet; lacerta tamen eſt, non ſecus, ac pars lapidis de lapide abſciſſa lapis eſt. Scilicet lacertę rationem philoſophus agnoſcet,

vbi

vbi in bene disposita materia fuerit lacertę anima, hanc agnoscit in recisa cauda, quamdiu se se agitat; lacertam igitur agnoscet. Quod vero spectat ad vulgarem loquendi modum, si lacerta ea dicatur, quæ vel omnes, vel præcipuas habeat lacertæ partes, lacertę cauda lacerta non est, quia capite, quia ventre caret.

1435 Vniuersali huic tractationi de anima, vniuersalis item potentiarũ consideratio adiungenda est, ne dum de singulis disputo, ea quę sunt communia, sint mihi sæpius iteranda. Præditę sunt animę suis potentijs, veluti naturalibus instrumentis ad proprias functiones, & cognoscuntur ex operationibus, quę non eædem omnibus animatis conueniunt, quia non est eadem omnibus anima, quę prima est potentiarum origo.

1436 Quotcunq; verò hæ sint, in qualibet anima esse ab ipsa anima distinctas fatentur omnes, sed non parẽ omnes distinctionem admittunt. *a* Nominalibus satis est distinctio rationis, deniq; ipsis anima est, & potẽtia, anima prout constituit formaliter animatum, potentia, pro vt defungitur operationibus illius animati proprijs. Ferri hæc sententia posset, si notum in philosophia principium, substantiam non esse actiuam immediatè ad hæc actionum genera, quæ magis propriè operationes dicuntur, non se se extenderet.

a Greg. Gabr. Ochi. in 2. dist. 16.

1437 Sed illud etiam habet incommodi, quod nec secundum nomen videantur admittendæ potẽtiæ, si re vera ipsa anima in re sunt. Ipsa videlicet anima dici poterit, & animatum constituere formaliter, & efficienter operari. Hac ratione, quia calor, & ipse calidum constituit, & in aliud agit, non dicitur habere potentiam ratione distinctam à forma caloris.

1438 In aliud extremum *b* alij recedunt, asserentes animæ potentias esse ab ipsa anima realiter distinctas. Sed ex his multi realem distinctionem appellant eam, quæ à sola ratione, conceptuque non sit; quibuscum nolo de nominibus altercari.

b Aegid. Quodlib. 3. q. 10. Heru. Quodlib. 1. q. 9. & alij.

1439 Alij realem vocant eam, quæ in sua proprietate realis sit, ipsasq; potentias non in anima tanquam in immediato subiecto collocant, sed eas, quæ organicę dicuntur, in organo corporeo, vel in toto coniuncto. Hæc mihi sententia non probatur, qui censeo, omnes animæ potentias esse immediatè in ipsa anima, & esse ab anima formaliter distinctas, sicut alię proprietates formaliter distinguuntur à naturis, quarum proprietates sunt.

1440 De potentijs animæ rationalis, quæ inorganicę dicuntur, res mihi certissima est. Nam quantum spectat ad distinctionem, retineo principium illud, quod substantia immediatè actiua non sit, sed medijs suis proprietatibus, quę consequenter non erunt substantiæ, sed de genere qualitatum. Quantùm verò spectat ad immediatum subiectum, in quo huius animæ potentiæ sint, esse hoc ipsam animam probat operatio, quę illi conuenit sine vllius organi corporei concursu, nec solum dum est in corpore, sed etiam extrà corpus.

1441 De reliquis aliarum animarum potentijs, par est ratio. Nam sunt pariter suarum animarum proprietates, datę à natura ad hoc, ne substantia suis destituatur instrumentis ad agendum. Quod autem organicę sint, non dicit, eas

eas esse in organo, vel in coniuncto, sed solum non exire in actum secundum sine organi concursu. Remanent hæ in anima rationali à corpore separata, sed ex defectu organi non possunt operari. Nec vllam per ætatem, lęsionem patiuntur, vndè *a* Aristoteles ait, si senex iuuenis oculum recuperare posset, visurum vt iuuenem; scilicet, quia integra, & illęsa remansit in anima potentia.

a Lib. 1. de Animat. t. 65.

1443 Cur hanc potentiarum ab anima distinctionem formalem potius appellem, quam realem, vel modalem, facit inseparabilitas; Etenim sicut alię naturarum proprietates à naturis inseparabiles sunt, ità cum probatis auctoribus philosophor hac in re, per nullam potentiam posse potentias ab ea animæ parte separari, cui illa propria sit. Ne ergo compares bruta cum plantis, plantas cum homine, hominem cum brutis, sed proprietatum varietatem in sua principua refer, ab illis dico eas esse inseparabiles.

ANIMALIVM partes.

CAP. XXXIII.

1444 SPECTATA viuentium forma, nunc materia spectanda est, vt ex partibus contemplemur totum, antequam ad singulas species deueniam. Est anima actus corporis, quod constituit; huic actui pro materia respondet corpus; non illud, quod habet rationem totius, & constituti, sed illud, quod habet rationem partis, & subiecti; certas enim dispositiones in materia præ requirit anima, ex quibus habet corporis substantialis rationem. Sit pro exemplo humanum corpus, ex quo de reliquis animarum subiectis coniectura fiat.

1445 Hu-

1445 Humanum corpus ab anima non informatur, nisi certam habeat partium diuersitatem; qua constat ex carne, ossibus, neruis, & alijs pluribus. Postulat hoc anima, quæ propterea dicitur actus corporis organici; Nam quamuis ipsa constituat organum formaliter per suas potentias; materialis tamen ratio cuiusq; organi dicit compositionem ex partibus dissimilaribus; ergo eo maior hæc erit, quo plurium organorum structura facienda sit. Dubitatur vero, an hæc ipsa partium diuersitas præcedat saltem natura animæ informationem, an ab ipsa anima formaliter sit.

a Thomist. & quorundam ex nominalibus

1446 *a* Doctissimorum virorum sententia est, eandem animam esse formã totius, & partium, nec partes esse propterea heterogeneas, quia forma substãtialis non sit eadem in omnibus, & singulis, sed quia pro diuersa dispositione materię anima in vna parte cõstituit carnem, in alia os, & sic deinceps in alijs. Placet hic tamẽ adhęrere alteri *b* sectæ, cuius assertio est, dari in animatis animam, quæ sit forma totius, illud autem totũ in diuersis sui partibus informari á partialibus formis, quę substantiales sunt, constitutiuę materiæ in aliqua certa, & determinata specie mixti.

b Scotistarum cum Scoto in 4. dist. 11. q. 3. & Græcorum complurium.

1447 Monstri instar habere visum est aduersarijs, si in eadem materia plures substantiales formæ collocentur. Sed aio, hanc esse conditionem formarũ partialium, abesse videlicet alicui totali, & cũ ea stare posse in eadem materia.

1448 An non animaduertis, in contemplatione rerum naturalium hunc esse ordinem constitutum, vt quo fuerit forma maioris perfectionis, eo perfectiores dispositiones in materia prærequirat? Elementa pro dispositione habent accidentia, sed quia mixta sunt elementis perfectiora postulant pro dispositione elementorum formas; Tertius perfectionis gradus est animatorũ, & hæc igitur pro dispositione postulabunt formas mixtorum, non quaslibet, sed animę proportionatas. Simile quid etiam *c* Aristoteles animaduertit.

c Li. 4. meteor. cap. vltimo.

1449 Admitto igitur in homine triplicẽm compositionẽ constat ex anima, & corpore; materia corporis caro est, ossa, nerui &c. horum vnumquodq; materiam dicit, & propriam formam carnis, ossis, nerui &c. Illa ipsa materia carnis est aggregatio minutissimorum elementorum, in quibus nõ sola est elementi materia, sed etiam formę, ratione *d* superius tradita. In vna igitur, eademq; materiæ particula, aliqua est ex formis elementorum, aliqua, ex formis mixtorum, & anima ipsa.

d Hoc eod. lib. 2. cap. 18.

1450 Sed frustra est, inquies, tot entium multiplicatio. Nego frustra poni, quod ponendum esse, certa ratione traditur. Nihil hic repeto, de inexistentia elementorum in mixtis. Quod verò spectat ad formas partiales in animatis, non solum ratio has docet, sed ferme etiam sensus, si vidisti vnquam animal mori, si quam diuersę sint carnis, & ossis proprietates vnquam considerasti: Inconueniens est, inquit alicubi *e* Aristoteles, rationem mixtionis esse animam, non enim eandem habet rationem mixtio elementorum, secundum quam caro, & secundum quam os.

e Lib. 1. de Anima t. 58.

1451 Quod si quis interroget, qua ratione eadem materiæ pars vnum quid faciat cum tribus numero formis: Respondeo, composita tria esse, vnũ à forma elementi alterum à forma mixti, tertium à forma animæ; vnum tamen

dici,

dici,& quidem ſimpliciter vnum,quia re vera forma totalis vnica eſt, ipſa videlicet anima.

1452 Nec vero neceſſe eſt, vt formæ quid vnum faciant inter ſe, ſatis eſt,ſi ſingulę cum materia; nec enim compoſitum ex actibus eſt, ſed ex actu, & potentia.

1453 Non eſt par ratio multiplicandi, vel in homine, vel in brutis animas, quibus conſtituatur gradus viuentis diſtinctus à ſenſitiuo, gradus ſenſitiuus, & viuentis,diſtinctus à rationali, ſicut multiplicantur formę partiales diſtinctæ,quibus conſtituatur caro, os, neruus,& ſimiles corporis partes. Etenim longè diſpar eſt cauſa. Continet anima perfectior,imperfectiores formaliter, atq; ideo vna ad plures gradus ſatis eſt;eadem verò non ſe extendit ad mixta, quia hæc non ſunt in genere animæ.

1454 Sed certius adhuc argumentum eſt, carnem,oſſa, & ſimilia non conſtitui formaliter ab anima, quia anima etiam abeunte, hæc remanent,habita non ſolum oculis fide, ſed etiam rationi, quæ ſcilicet ex nullo accidente proprio dignoſcit, carnem cadaueris eſſe aliam ſpecie, ac fuerit caro viuentis in eſſe carnis. Item poſt animalis interitum noua ſubſtantialis forma inducenda eſt,quæ anima non ſit,det tamen eſſe carnis oſſis &c. At verò mirum, eſt eundem effectum,qui animæ ſoli pro ſua perfectione tribuebatur, tribui poſteá imperfectiſſimę cadaueris formæ,ſi vlla tamen cadaueris forma eſt.

1455 Infinita fermè partium varietas eſt in viuentium corporibus, & longum ſanè negocium eſſet,ſi diſtinctè,quæ ſunt plantarum,folia,ramos,cortices, medullas,radices,& quod carni proportione reſpõdet,proſequerer; Itē quæ ſit in brutis varietas carnium, oſſium,pilorum,ſquammarum, pēnarum. Satis ſit in homine præcipuas partes diſtinguere, & ex huius exemplo, eas, quæ ſunt in brutis, ad quas identidem digrediar. Duo partium genera vulgo diſtinguuntur,ſolidarum, & fluentium. hic ſolidas inſpicio, vt apertiùs conſtet materię animatorum heterogeneitas.

1456 Oſſa in animalibus ſolidiſſima ſunt, data à natura, vt prima corporis fulcimenta,quibus hæc moles ſtet. nō eſt vnum integrum, nam qui ſe animal flecteret? Sed multorum compoſitio,quorum non facilè numerū ineas, quia dubium numerum faciunt particulæ quædam, appendices oſſium dicuntur, de quibus dubites oſſa ne ſint; Item plura in pueris reperiuntur oſſa diſtincta,quæ in hominibus firmata iam ętate vnum ſunt os. Numerus tamen oſſiū in homine cenſetur *a* trecenta,& ſeptem.

1457 Diuiſum eſt humanū corpus à ſectoribus in tres partes, Caput, Trūcum, Artus. Sunt ſua ſingulis oſſa,diſtinctis notata nominibus. Cranium, ſeù Caluaria,in capite cerebri galea eſt,nec parum pendet ab huius forma animę vis, quę in cerebro operatur. oblongum eſſe debet à fronte ad oppoſitā partem,vt operationibus ſenſus communis, & memoriæ ſenſitiuæ,ſinus cōmodè pateant. Si in contrariam partem à tempore ad tempus longitudo ſit, veretur *b* Galenus,vt vitalis futurus ſit,quiſquis tale caput ſortitus fuerit.

1458 In facie maxilla eſt,ſuperior,& inferior,inſtructæ duplici dētiū acie,q; ſūt oēs numero duo et trigīta. Octo inciſores,quatuor canini,vigīti molares.

a Ex Veſalio in ſua Anatomia.

b Lib. 9. de vſu partium.

1459 Edu-

1459 E duriori materia hi ſunt, quã oſſa reliqua, & verò ità opus facto fuit, cũ quotidianus futurus eſſet horũ inſtrumentorũ vſus, pro animalis vita conſeruãda, & in vſu, in his animalibus, quæ vtrinq; dentata ſunt, futurus eſſet alterius contrã alterum concurſus, & attritio nõ parua, niſi materia ſolidior ſit. Sententia eſt *a* Ariſtotelis eandem ob cauſam à natura fuiſſe prouiſum, vt dentes ſemper creſcerent.

a Lib.2.de Gene. Anim. c. 4.

1460 Ex dentibus indicium vitæ breuioris eſt, cum fuerint rariores. *b* Magna videlicet eſt dentibus cum cranio cõſenſio, cumq; horum materia abierit in cranij ſubſtantiam, rariores ij ſunt, cranium vero denſius, vndè inquit Ariſtoteles, inualidum erit cerebrum, quia minus liberè reſpirat, & indè putredinis, ac mortis periculum.

b Ex Ariſt. Sect.10. Probl. nu. 47.

1461 Conſenſum illum dentium cum cranio indicant animalia, quibus in ſuperiori maxilla dentes non ſunt, cum in caput eorum materia diſtracta fuerit. Indicium verò hoc non arbitror eſſe certum, quia minimè neceſſariũ eſt, vt cum dentium raritate denſitas cranij coniuncta ſit.

1462 Altera hominis pars truncus ſuis item oſſibus fulcitur, ſpina videlicet coſtis, & oſſe, quod ſuo nomine dicitur Innominatum. Spina ex vertebris cõponitur, quarũ poſtrema ſacra, ideſt Magna dicitur, quia reliquis maior eſt, & figuræ non eiuſdem. Coſtæ numerantur viginti quatuor, ſed qui maiores, ac ſolidiores tantum numerant, quatuordecim non malè cenſent; Ex his, & alijs nonnullis thorax componitur. Os innominatum item ex pluribus oſſibus compactum eſt, quæ ſæpè in vnum coagmentantur.

1463 Artuum nomine intelliguntur manus, & pedes, Manum cũ *c* Hippocrate appello, quæ extenditur à ſummo brachio ad imos digitos, pedem qui à ſummo fœmore itẽ ad ſummos digitos pedum. Continet illa brachium os vnicum, vlnam, os alterum, cui adiacet radius, carpum coagmẽtationem plurium oſſiculorum, metacarpum oſſa in palma diſpoſita, & digitos ternis articulis compoſitos excepto pollice, cuius articulus in metacarpo latet.

c Apud Andr. Laurentium in ſua Anatomica Hiſtoria.

1464 Continet pes ſimilem partitionem, ideſt fœmur, os vnicum, omniũq; maximũ in humano corpore, tibiã os alterũ, cui adiacet fibula, rotulã in poplite, oſſiũ coagmẽtationẽ in tarſo, alia in metatarſo, articulos in pedũ digitis.

1465 Proximæ oſſibus, ac dentibus in duritie ſunt cartilagines, quas loco oſſium natura addidit, ad corporis partes ſuſtinendas; molliores tamen eſſe voluit, quã ſint oſſa, vt illæ ipſæ partes flecti poſſent ſine vllo fracturæ periculo. Tales ſunt in auribus, in ſũmo naſo, & in alijs pluribus, ac ferè inter carnẽ, & oſſa media interponitur cartilaginis materia, quæ vt habet *d* Ariſtoteles eiuſdẽ eſt naturæ cũ oſſibus; quà vero mollior eſt, nõ longè diſtat à natura carnis, & mẽbranarum, quibus oſſa per cartilagines confinia ſunt. Quare factum eſt hic ſimile aliquid, ac in mundi ſtructura, in qua inter diſſimbola elementa medium ſimbolum interpoſitum eſt.

d Lib. 3. de Hiſt. cap. 8. lib. 2. de Part. cap. 9.

1466 Cartilaginis vſus eſt ẽt in extremis palpebris, tũ vt arcus regulariter flexus ſtet, tũ vt materiæ ſolidiori ciliorũ pili firmiter adhæreãt, ex qbus fermè tanta ineſt oculo venuſtas, quãta aut ex corona regibus, aut ex radijs ſoli. Sed neceſſarius magis eiuſdẽ vſus eſt in fabrica aſperæ arteriæ laringis, epiglotidis

ad victum capiendum, ad animam aspiratione, ac respiratione ducendam, ad vocis sonum. Horum instrumentorum elegantem descriptionem habes apud *a* Aristotelem: inspice si libet in sectionibus.

a Lib. 1 de Histo. cap. 16.

1467 Hæ solidæ humani corporis partes alligantur vinculis, quæ ligamẽta dicũtur. Hæc ego inter solidas partes censeo; nã quãuis lenta sint ad flexionẽ, firma tñ, ac solida sunt ad vinciendũ, vt ipsa res docet, & tradidit *b* Arist.

b Lib. 3. de Histor. c. 5.

1468 An hæc ligamenta distinguantur à neruis, lis aliqua est inter Aristotelem, & medicos. Certum est, substantiam esse non dissimilem, licet vsus non planè idem sit. *c* Alberti coniectura, vbi habet, diuersam esse ligamentorũ, & neruorum naturã, quia in neruorum distensione dolor est, in distensione ligamentorum nullus, non placet; nam tam in neruis, quam in ligamentis, dolor est in violentibus motibus.

c Lib. 1. de Anim. tract. 2. cap. 14.

1469 Sed quod spectat ad neruos, de eorũ origine longè grauior quęstio est inter Peripateticos, & Medicos, similis alterius, quæ de venarũ origine inter eosdẽ est. Medici neruos ex cerebro, vel ex medulla spinali coniugatim deducunt, & numerãt coniugationes alij viginti nouẽ, alij triginta; venas ex hepate. Contrà Peripatetici, & neruos, & venas ex corde. Et sanè si materiã spectes, cum & nerui, & venę durioris substantię sint, maiorem habent cũ substantia cordis similitudinem, quam cum cerebro, medulla spinali, aut hepate, quod argumentum non post habendum *d* Aristoteli visum est.

d Lib. 3. de Hist. c. 3. & 5.

1470 Sed nec displicet Medicorum sententia, vbi neruorum originem ex principio, ex quo hi maximè operantur, attendunt. Operantur. n. per spiritus animales, qui à cerebro, tanquã ex fonte, vbi attemperantur, diffunduntur. Indè igitur nerui proprium functionis principium habent, vndè & spiritus, ad motum necessarios.

1471 Cæterùm quod spectat ad originem secundum substantiam, aut cum Aristotele dixerim, tam venis, quam neruis eam esse à corde, aut vix ullum esse principium certum, quia per totum corpus, & nerui, & venæ deducuntur, & principium assignari potest ex quolibet extremo, ità vt in alterum dicantur desinere, vndè alius principium sumet.

1472 Inter solidas partes, quarum natura à neruis, & ligamẽtis non multũ distat, sunt tendines, idest funiculi ex pluribus neruis cõtexti; venæ vasa deferentia sanguinẽ; arteriæ duplicati ductus deferentes spiritus vitales; fibræ, villi recti, obliqui, trãsuersi in textura venarũ, & in alijs partibus à natura additi, membranæ deniq; & panniculi, quorum numerus iniri non facilè potest, cũ plurimæ sint partes, quæ ex ijs vestitæ sunt, non solũ molliores, vt hepar, pulmo, cerebrum, sed duriores etiam, vt ossa, cartilagines &c. quin etiam totus homo duplici membrana vestitus est, cuti videlicet, & cuticula.

1473 Pro aliquo tamen ineundo earum numero, quæ intra animal latent, diuidunt Medici humanum corpus in tres regiones. Suprema, quæ in capite est, habet pericranium, duasque meninges cerebrum vestientes, quarum vnam duram, alteram piam matrem, appellant. Media, quæ in thorace est, habet adhærentem costis pleurim ex quà nascitur pericardium, & alia viscerum integumenta, habet etiam transuersum septum, quod

auctore *a* Platone Diaphragma appellatum est, ab ipso munere diuidendi toracem ab in feriori ventre. infima regio in ventre est; in quo peritonæum intestina continet, ex dura pariter membrana facta, sed non pari elaboratione; Nam quamuis intestinorum vnus sit continuus ductus, partim tamen tenuiora sunt, partim crassiora.

1474 Ad partes item solidas caro spectat, cuius differentia triplex est, musculosa, glandulosa, viscerum. Solidior est, quæ in musculis, ad quos componendos, quia præcipua sunt motus instrumenta, conueniunt nerui, membranæ, tendines, villi. Ingens est in homine musculorum numerus; numerant *b* sectores quadringentos, quorum distributionem habes apud eosdem. Caro viscerum laxior est, & non dissimilis à quadam sanguinis effusione, & concretione, vt videre est in hepate pulmone, liene, si membranulis, quibus vestiuntur, spolientur, & ideo dicitur Erasistratus eandem carnem appellasse *c* paremchyma.

1475 Denique caro glandulosa est, ex qua glandulæ factæ sunt, quarum numerus in cerebro, pectore, axillis, brachijs, & alibi, ingens est, tum, vt, veluti puluilli, sternantur, ne molliores partes à duris comprimantur, tum, vt, veluti spongiæ, redundantes humores excipiant.

1476 Huius carnis non absimilis est, quæ est in mammis vnde in lucem dati, vitæ alimenta accipimus. Has humana species in pectore gerit, non solum, vt calore cordis lac perfectius excoquatur, vt medici dicunt, sed vt *d* mater eum, quem nutrit filium amplectatur simul, & materna foueat charitate.

1477 Sed vltima mihi sit in hac solidarum partium enumeratione ea, quę non longissimè distat à fluentibus, adeps, cui quadam proportione respondet sebum; quæ fuit ratio *e* Aristotelis, hæc duo in vna tractatione coniungendi, licet ea natura separauerit pluribus differentijs. Etenim sebum, cum frigidum est, duratur, & fragile est, adeps non duratur pariter, nec pari ratione frangitur, sebum in fine carnis est, adeps inter carnem, & cutim, quædam sunt animalia, quæ sebo pinguescunt, vt ferè cornuta, & superne edentula, alia quæ adipe, vt quæ vtrinq; dentata sunt.

1478 Videtur esse aliqua controuersia inter Peripateticos, & medicos in quæstione, an adeps, vel sebum actione caloris fiat, vel frigoris. *f* Aristoteles Peripateticorum dux asserit, fieri per concoctionem. *g* Galenus, & *h* Auicenna, medicorum duces, fieri volunt per refrigerationem. Fortasse de nomine dissensio est. Ego veram puto sententiam Aristotelis, ex cuius mente *i* suprà asserui, oē mixtum perfectum concoctione fieri, sed habet concoctio latitudinem pro maiori, vel minori intensione caloris. Verè item loquũtur medici, si velint, hanc concoctionem à calore fieri refrigerato.

1479 Cibus, ac potus, quem animalia sumunt, excoquitur in ventriculo, ac in mollem quandam, ac fluentem substantiam, caloris, ac stomachi virtute, perficitur, quam medici chilum vocãt. Multa poteſt calor; sed is cibũ sine stomacho nunquam in chilum transmutabit; habet enim à coniunctione cum stomacho virtutem penetrandi maiorem, ex qua est, vt multa in quorundam

a Apud Galenũ lib. 5. de locis affectis c. 3 διαφράττειν secernere.

b Andr. Laurentius lib. 5. suæ Hist. c. 9.

c παρέγχυμα.

d Ex Plutar. opusc. de amore prolis.

e Lib. 3. de Hist. c. 17.

f Lib. 1. de Gener. Anim. ca. 19. Secũdo de Part. ca. 5.

g Lib. 1. de simp. medicam. facul. c. vlt. & lib. 2. c. 4.

h 1. fen. 1. Doctr. 4.

i Hoc eod. lib. 1. cap. 31.

rundam animalium ſtomachis liqueſcant, quæ in aqua, etiam feruentiſſima, non liqueſcerent, vt alicubi admonet *a* Ariſtoteles.

a Sect. 24. Probl. n.4.

1480 Ex chilo per inteſtinorum ductum delato, ſubtiliorem humorem exſugunt venæ, quæ quia per meſenterium, qui membranoſus pannus eſt in inferiori corporis regione ſitus, ſparguntur, appellantur meſeraicæ. Liquorē hunc hæ venæ conferunt ad portam, vndè ingreſſus eſt in hepar, & per hepar tranſitus ad cor, & deinceps ad totum corpus;. Nam, ſiuè à corde, vt ego cenſeo, ſiuè ab hepate, vt medici malunt, originem venæ habeant, diffunduntur, tum ad ſuperiorem, tum ad inferiorem corporis partem, nec *b* vllam inuenies ità à reliquis ſeparatam, quæ cum reliquis coniuncta non ſit per vnius ductus continuitatem.

b ex Ariſt. lib. 2. de Part. cap. 9.

1481 Vnum hic habent medici, in quo ſuæ ſententiæ non infirmum fundamentum capiunt; venam portam habere ſuas radices in hepate, & indè hunc, veluti truncum, exire, diffundique in ramos per meſenterium; Ab hepate exire, item veluti truncum, venam cauam, quæ ſuas item radices in hepate habeat, vndè tandem colligunt, venas habere ſuam primam originem ab hepate. Sed ego nego, radices portæ non coincidere cum radicibus cauæ.

1482 *c* Accipio hanc veritatem à ſectoribus ipſis, qui venam vmbilicalem inflantes, vident flatum per hepar tranſmitti ad cor, quique venam portam incidentes, vix vllum finem reperiunt, ſed facilè incidunt in cauam. Non ergo ſunt in hepate duarum plantarum radices, ſed eiuſdem fluminis veluti riuuli, per plures hepatis inſulas diſcurrentes.

c Andr. Laurentio lib. 4. ſuæ Hiſt. c. 3.

1483 Sed redeo ad liquorem hunc, qui ex chilo accipitur. Concoctione is tranſit in ſanguinem, qui quamuis in diuerſis animalibus diuerſæ qualitatis ſit, quin etiam in ipſo homine, vt ait *d* Albertus pro diuerſa conditione ciborum, cœli, in quo degit, ætatis, quam viuit, communiter tamen rectè dicitur eſſe naturæ calidæ ex ſua complexione innata, quicquid non *e* nemo contrà opinetur, cui concedendum eſt maiorem eidem aduenire calorem ex complexione influxa, quæ ſanguini debetur non ſecundum ſuam partialem naturam, ſed ſecundùm communem formam animalis.

d Lib. 3. de Anim. tract. 2. cap. 3.

e Marcel. lib. ſuo 2. de Aia cap. 41.

1484 Sed in qua tandem officina ſanguis excoquitur, & ſanguinis formam accipit? Vnum eſt, in quo Medici, & Peripatetici concordant, ſubtilem quendam, & perfectiſſimè elaboratum ſanguinem, qui per arterias defertur materia ſpirituum vitalium concoqui in ſiniſtro ſinu cordis, in quem tranſpirat ex dextero, tanquam ex fonte, quem implet vena caua. Et ſanè veriſſima eſt hæc ſententia, ſiuè ſpectes arteriarum originem; quæ à corde eſt, ſiuè arteriarum motum, qui reſpondet illi cordi deductioni, contractioniq;, quam medici ſyſtolem, ac diaſtolem appellant.

1485 Alterū verò eſt, in quo ijdem ab iiſdem diſcordant: vbi nā concoquatur ſanguis, qui per venas defertur ad totū corpus. Probabile *f* aliquibus eſt, in venis ipſis, quia vbi primùm chili liquor à meſeraicis venis hauritur, ibi

f Veſalio lib 3. ſuæ Anatomię & Laurēt. Ioberto Decad. 1. Parad. 4.

primùm rubeſcit, quod eſt indicium ſanguinis ibidem facti, quamuis, quo vlteriùs progrediatur, ſemper magis, ac magis perficiatur accidentaliter, in hepate potiſſimum, & in corde. Fateor hic ingenuè; placeret mihi hæc ſententia, ſi in tanta philoſophorum hac in re altercatione plures auctores haberet, nec ità apertè diſcordaret ab Ariſtotele. Sed ingenij experiundi gratià, vbi rationibus agatur, hanc etiam partem tuebor.

a Galenus. 6. de Plac. ca. 7. & 1. de vſu. part. c. 16. cum quo Medici celebriores.

1486 In alteram ſententiam, & *a* plures, & meliores medici conueniunt, nec paucos ad ſe ſe ex recentioribus peripateticis attraxerunt. Aiunt, chili ſubſtantiam in hepate concoqui, & ibi primùm ſanguinis formam accipere. Hic reditur ad quæſtionem, an venæ originem ex hepate habeant, quia ponitur quaſi receptum axioma, quod idem ſit venarum, & ſanguinis principium. Sed minimè neceſſariam puto hanc digreſſionem, ſuntque de *b* medicis ipſis, qui illud principium non admittunt, vbi habent, venas oriri ex corde, & ſanguinem in hepate concoqui.

b Ex his Andr. Veſalius in ſua Anatomia.

1487 Congruentia dicenda potiùs eſt, quam neceſſitas, vt vndè primùm ſanguis diffundendus erat, indè item vaſa diffunderentur; Sed hæc ipſa per ſe nihil probat; nam venæ vaſa ſunt facta etiam ad accipiendum chilum, & tamen non indè oriuntur, vndè chilus attrahitur.

c Lib. 3. de Hiſt. anim. ca. 3. lib. 2. de Part. ca. 1. lib. 3. c. 4. & alibi, cum celebrioribus Peripateticis, Alex. Auer. Alb. &c.

1488 Ariſtotelis *c* denique, & meliorum Peripateticorum, quos hic ſequor, ſententia eſt, ſanguinem in dextro cordis ſinu excoqui, ac generari, & ex eo, tanquam ex fonte, diffundi per venam cauam, quæ pertinet ad totum corpus, itemque per eandem viam, per quam ea ſanguinis materia delata eſt, ideſt per portionem quandam venæ cauæ, quæ cum porta conſentit, & hoc alimentum tranſmittit ad inteſtina. Per portam, & eam ipſam venæ cauæ portionem it chilus ad cor.

1489 Nec mihi obijcias, duos eſſe per eundem ductum contrarios motus, alterum euntis chili ab inteſtinis ad cor, alterum euntis ſanguinis à corde ad inteſtina. Nam parem difficultatem medici patiuntur, qui ab inteſtinis deferri chilum ad hepar volunt, & cum in hoc ipſo ductu reperiatur ſanguis, fateantur neceſſe eſt, vel ſanguinem in his venis confici, vel ab hepate refundi ad inteſtina, itinere omnino contrario illi, quod habet chilus.

1490 Aio igitur in cauſa pari, non eſſe contrarios motus, qui repugnent, quia diuerſa mobilia ſunt, chilus iens, & ſanguis rediens; quod verò hi liquores non confundantur, faciunt animæ facultates attractiuæ, & digeſtiuæ, quibus ad hanc ipſam rem animal à natura præditum eſt.

1491 Difficile item viſum eſt medicis, cur ſi ſanguis in corde perficiatur, venæ non micent, ſaliantque ſicut arteriæ. Sed meminiſſe hi debuiſſent, arteriarum pulſum non ſolum eſſe à motu cordis, quatenus cordi continuæ ſunt (nam continuam eſſe baſi cordis etiam venam cauſam, poteſt vnuſquiſque inſpicere) ſed prætereà quia ſanguinem habent illius ſimilem, deque illo ipſo, qui in ſiniſtro cordis

cordis ventriculo feruet,& aerijs spiritibus, ad cor à pulmonibus per arteriam venosam afflatis permixtus est. Hanc esse *a* ait Aristoteles motus causam,& in arterijs,& in corde,non autem in venis,quarum sanguis, nec ità feruens est,nec ijs spiritibus admixtus. His adde animę vires non idem in quaq; hominis parte operantes.

a Lib. de Iuuet. Senec. &c. cap. 15.

1492 Cæterùm non denego medicis id,quod concedit *b* Aristoteles,aliquam chili depurationem in hepate fieri. Quin imo propterea venæ portæ amplitudo diuiditur in tam multos riuos intrà hepatis substantiam,scilicet vt chilus calefiat, & quia calor vim habet congregandi homogenea, & disgregandi heterogenea; à purioribus chili partibus separentur impuræ, quæ per suos ductus ad folliculum fellis, ad lienem transmittuntur.

b Lib. 3. de Part. c. 7.

1493 Hæc ipsa est causa,cur chilus factus in hepate purior, & ad vltimam actionem aptè dispositus,nō diù moretur in corde, quin sanguis fiat,nec supersint à cōcoctione excremēta,quę in illa pręparatione facta in hepate sepo sita sunt. Et verò nō decuit tā nobilē aīalis partē impuris excremētis infici, sed illi hac in re seruire hepar propterea proximū à natura cordi collocatū.

1494 Si verò sanguis à corde fit,vt dixi,cum ab eodem sint venæ, si spectemus substantiæ affinitatē, admitti potest illud medicorū axioma, quod idem sit,& venarum,& sanguinis principium. Non postulat hoc necessario sanguinis concoctio,sed separatę rationes probant, ex corde, veluti ex fonte,primò exire sanguinem,& ex eodem deduci venas,quæ, tanquam ductus, fonti appositæ sunt,vt sanguis deriuetur.

1495 Verentur aliqui,vt qui illabitur in cor humor, exire possit, quia membranæ appositę sunt,ingressum dantes,sed egressum prohibentes. Contemplentur hi attentius,remorari illas mēbranulas exitum,vt ille humor cōmodè per tempus excoquatur,non autē omninò prohibere,quia lacerę sunt. Ipsum igitur hoc est indiciū concoctionis in corde,dū ibi cogitur illapsus chilus morari,dum coctio fiat. Accipitur verò humor dilatatione cordis, quæ diastole est,exprimitur,vbi coctus fuerit cordis angustijs in systole.

1496 Inter partes fluidas,quas hic persequor,numerantur, non solum illę, quæ magis proximè ad bonum animalis habitum spectant, quales sunt chilus, & sanguis, ex quibus animal nutritur, & viuit; sed aliæ etiam, quæ excrementitiæ dici possunt, sed non sunt in animali inutiles, ac prorsus abijciendæ, quia multos habent vsus ad eius bonum. Vna ex his est, bilis, quæ dicitur flaua. Fit hæc separatione ex chilo, cum in hepate ad sanguinis formam præparatur; Et quamuis admixta sanguini deferatur per totum corpus; eius tamen præcipuus locus est, conceptaculum,quod concauæ hepatis parti affixum est,& fellis folliculum dicitur.

1497 Huius bilis natura ignea est;secernitur enim ex siccioribus,& calidioribus chili partibus,color flauus est, sapor propter adustionem amarus, & mordax. Si copiosior cum sanguine deferatur per venas, folliculo redundante,vel via obstructa,ciborum saporem sua amaritudine inficiet,& colore carnes;hinc morbus Icterus, à quo icterici. Modica verò eiusdem diffusio cum sanguine naturalis est,& iuuat nutritionem.

1498 In illa ipsa præparatione chili, quæ in hepate fit, secernitur alius humor frigidus, & siccus naturæ terreæ, itemq; per suũ ductum transmittitur ad lienem. Atra bilis, dicitur vulgò melancholia, liene excipitur, veluti spõgia, vt animus, qui in operando plurimùm vtitur spiritibus ex sanguine elaboratis purus sit, & vt aiebat *a* Plato, rerum imagines in se, veluti in speculo benè absterso exprimat. Nec est tamen merè excrementum; habet.n. suas vtilitates ad animalis cõmodum, & quamuis in liene suam habeat sedem, diffunditur modicè cum sanguine, & naturalis diffusio est.

a In Timæo vel de natura.

1499 Hic humor modicè ad stomacum delatus, suo frigore cõtrahit, vt cibus in contracto magis vnitus sit, faciliùs à calore coquendus, quam in ampliori stomachi laxitate. hinc melancholici communiter sunt edaciores, & in quartanis fames acrior est, nisi hic ipse humor abundet nimiùm. Icterici atri sunt ab effusione atræ bilis, icterici flaui dicuntur, quibus affunditur flaua, & color subniger indicium ferè est complexionis, in quà melãcholia superat.

1500 Deniq; admixtus etiam sanguini est humor aqueus, flegma dicitur, naturæ frigidæ, & humidæ. Plurimæ aquosę partes remanẽt vnitę sanguini ad animalis partes humefaciendas. Habeo autem ex his illa quatuor elementa in paruo mundo, de quibus *b* aliàs memini in exponenda musica, qua homo constat. Prętermitto chilum, quę horum veluti prima materia est, aeri respondet sanguis, igni flaua bilis, terrę atra, aquę flegma.

b Hoc eod. lib. 2. cap. 1.

1501 Sunt hæ quatuor humiditates, quę dicũtur primę, ex primis fiunt secũdæ, maximè ex sanguine. Inter secũdas humiditates prima dicitur aqueus quidam humor, ex exiguissimis sanguinis partibus generatus actione caloris naturalis; Si cogatur hic ipse humor in roris guttulam, ros dicitur à medicis, & est secunda humiditas inter secundas. Si fiat ex rore humor, quasi lacteus, albidus cum copiosior est, pellucidus cum rarior, quia videtur *c* mutare colorem, cambium à medicis vulgò dicitur. Tandem ex cambio fit gluten, humor paulo tenacior, & ad vltimam transmutationem aliti, benè dispositus.

c Ex Bonam. lib. 1. de Alim. cap. 17.

ANIMA-

ANIMALIVM Complexiones.

CAP. XXXIIII.

1502 COMPLEXIO viuentis,maximè hominis,de quo principaliter dissero,spectatur pręcipuè in iusta horum humorum compositione,ac mixtione.Iusta dicitur, cum naturalis;nam si deficiat, vel excedat,intemperies esse dicitur, & morbus. Naturales verò cõplexiones nõ sunt eędem, sed plures quia sicut in musicis, quamuis in excessu,vel in defectu dissonantia sit, concentus esse multiplex potest ex diuersimodè commensurabili vocum proportione; ità in re nostra, multiplex esse potest complexio bona, quia multiplex humorum contemperatio ad commodum animalis statum conducens.

1503 De homine loquor. Prima contemperatio, & complexio sit, cum quatuor humorum qualitates, calor, frigus, humor, siccitas, æqualis intensionis sunt, seù proportionatæ qualitatis in actiuitate, & resistentia. Haud scio, an hæc iuxtà ordinarium naturæ cursum in aliquo vnquam reperiatur, aut diù conseruetur, tum ob materiam, ex qua primum homo componitur, tum ob tantam rerum diuersitatem, quibus vescitur. *a* An Christus Dominus, an Sanctissima Deipara, hanc habuerint complexionem, non definio. Illud verò certissimum reputo, fuisse in his quæcumque ea fuerit,perfectissimam,& suprà ordinarium naturæ cursum.

a De his Suar. tom. 1. in 3. p. D. Tho. d. 32. & tom. 2. d. 2.

1504 Secunda complexio sit, cum frigus calorem superat, reliquis duabus qualitatibus incerto marte pugnantibus. Quanto maior fuerit frigoris excessus, tanto deterior ex natura sua complexio est. Si tamen excessus non sit nimius, laudari potest, & hanc magis communiter mulieres sortitæ sunt, quæ sunt propterea formidolosæ, tardique

consilij, staturæ breuioris, coloris pallentis, rarioris capilli, vel subrufi, vel flaui, carnis mollioris vt discas id, quo in ijs homines ardent, frigus esse.

1505 Tertia complexio sit, cum calor frigus superat, reliquis qualitatibus fermè æqualibus. *a* Bona censetur, & ad corporis habitum, & ad mores, hæc complexio, nisi caloris feruor nimius sit. Nec verò nimius erit in modica siccitate, quia pari humore retunditur. Ex calore erit expeditum animi consiliũ, ingenium promptum, animus audentior, statura non breuis, color viuidus, hilares oculi, capillus viriliter flauus, & in honestam cęsariem componendus; si *b* magis abundet calor, erit sine calamistro crispus.

a Ex Arist. in Physiog. c. 4. & 6.

b Ex Arist. lib. 5. de Gener. Anim. cap. 3.

1506 Quarta complexio est, si humor superet siccitatẽ, reliquis æqualibus. non est hæc aspernanda, & meo iudicio melior, quam cum siccitas excedit humiditatem. Quod. n. ad animum spectat, qui pro coniunctione, quam habet cum corpore eo non parum afficitur, erit qui humidam hanc temperiẽ sortitus fuerit, *c* ingenuus, ac liberalis, docilis ingenij, & morum tractabilium.

c Ex eod. c. 4. & 6. Physiog.

1507 Cum. n. calor tantus nõ sit, qui possit copiosiorem hunc humorẽ plus iusto accendere, non efferabitur animus ad iram, non obdurescet ad peruicaciam, non exacuetur ad versutiam. Corporis item habitus honestus, ac decẽs erit, è cute molliori, colore albo, capillo passo, frequenti, & crassiori, oculis grato humore pellucentibus. Si excedente calore succendatur humor, ira excitabitur non facilè extinguenda, & hinc sæpè mulieres implacabiles.

1508 Quinta complexio sit præcedenti opposita, cum siccitas humorem superat, stantibus alijs, quasi æquabiliter. Non est hæc complexio deterrima, sed neq; est optima, facit. n. humoris inopia staturam breuiorem, colorem luridũ, & subobscurum, capillos raros, sæpè caluitium, præproperam senectutem. Periculum item est obliuiosæ, ac futilis memoriæ.

1509 Ceterùm, si siccitas nimia non sit, temperatoq; calore splendeat, erũt, *d* qui hanc complexionem habuerint, prudentes, vigiles, & ad ea optima studia boni, quæ animi constãtiam, & vigiliarum productionem poscunt. Et hæc dicta sint de complexionibus simplicibus, in quibus vnius qualitatis prædominium est; addo compositas, quæ sunt ex prædominio duarum, quæq; frequentiores in hominibus sunt.

d Ex Alex. lib. 1. Probl. n. 26.

1510 Sexta ergo sit, in qua modicè, temperatèq; prædominatur calor, & humor. Proba hæc est, & ad animi, corporisq; honestatem perbona. Statura iusta erit, color viuidus, caro solida, vires firmæ, motus nec à calore, quem humor hebetat, præceps, nec ab humore, quem calor acuit, segnis. Animi laudes sunt eæ, quas tertiæ, & quartæ attribui. Sanguinei hi dicuntur, & naturæ aereæ.

1511 Septima complexio sit, in qua prędominatur frigus, & humiditas. Flegmatici dicuntur quicunq; tales fuerint, & naturæ aqueę: Habent sua vitia raris admixta laudibus, nisi studio naturam correxerint; Ad agendum tardi sunt, somno graues, languentibus oculis, molli carne, raro pilo, pinguiori corporis habitu, statura longiori, habetes, pauidi.

1512 Laudes verò in ijsdem cõstantem patientiam, prudentiam, dum tacent, tacẽt aũt facilè, quę nõ leuis prudentię ęstimatio est. Vincunt patientia

ingenij

ingenij tarditatem, ità vt sępè ingenij laudem mereantur in minutis quibuſdam, quę longam poſtulant patientiam.

1513 Octaua complexio ſit, in qua dominium habent calor, & ſiccitas. Cholerici hi dicuntur, ac bilioſi, naturæ igneæ; ſunt graciles, ac macilenti, ſtatura moderata, aut modica, carne duriori, colore inter fuſcum, & pallidum, rubro ſublucente, pilo, capilloq; vt plurimum nigro, vigiles, oculis accenſis, ad motum, ad dicendum faciles, ac ſubiti.


1514 Quod ad animum ſpectat, habent ijdem, in quo naturę vitia emendent, iram intemperatiorem, inconſtantiam, verſutiam; pari enim facilitate, & corpus, & animum huc, illuc verſant. Ab his vitijs ſi caueant, laudandi ſunt, quia multum audent, fortes ſunt, & probi amici.

1515 Nona complexio eſt, in qua prædominatur ſiccitas, & frigiditas. Melancholici hi dicũtur, naturę terrę, ac temperaturę ſatis improbę. Corpus atrum erit, breue, ſtrigoſum, oculi truces, & introrſum, caro dura, cutis hiſpida, duro, nigroq; veſtita pilo. Porrò hiſpida barba, vt *a* quidam cecinit, & durę per brachia ſetę, promittunt atrocem animum. Periculum ergo eſt, ne idem laboret animi vitijs, & niſi pręcaueat, animum geret ad iram tardum, ſed vbi iram conceperit, obſtinatum; ingenium erit ad ardua ſegne, ſed ſi ſeſe exſuſcitet, peruincet peruicacia laborem, magis quam ſtudij honeſtate.

a Iuuen. Satyra 2.


1516 Hęc, quę à me in vniuerſum de hominis naturali temperie dicta ſunt, exceptionem habent ex duobus capitibus. Primum, & pręcipuum eſt, quantum ſpectat ad animi vitia, & laudes. quod homo liber ſit, nec ſequatur naturę propenſiones, ſiuè in bonum illę ſint, ſiuè in malum, niſi ipſe voluerit, & verò velle non debet, niſi id, quod honeſtum ſit, & hęc optima via eſt ad naturę correctionem, vbi deficit, & ad perfectionem, vbi ad honeſtum proficit. Alterum eſt, quod plures incidentes circumſtantię rem longè variant; intereſt, quantus exceſſus ſit, quę ſit vitę conſuetudo, vbi quis agat, & quibuſcum, quo anni tempore &c.

PARTES



PARTES Animatæ.

CAP. XXXV.



1517 TRIA ſunt genera partium in viuentibus, quędam, de quibus certum eſt, ea viuere, alia, de quibus certum eſt, non viuere, complura verò, de quibus aliqua inter Doctores diſſenſio eſt, & de his ego, quid ſentiam, hic definio. Cerebrum viuit, quod ſi alicubi *a* Ariſtoteles aſſerere videatur hanc partem non nutriri, non ſentire, neq; cum vlla ex partibus ſentientibus continuam eſſe; aio ſatis eſſe, quod vegetet, & moueatur, ad animæ argumentum, non ſolum, qua vegetatiua eſt, ſed etiam quà ſenſitiua, & in homine, quà rationalis.

a Lib. 2. de Part. c. 7. & lib. 3. de Hiſt. cap. 3.

1518 Nec verò cenſet Ariſtoteles, cerebrum non nutriri; ſolum ait, non apparere in eius ſubſtantia venas. Cæterum nutrimentum deferunt Meninges, quibus obuoluitur, & quæ matris munus exercent, afferendo nutrimentum per ductus, quos plurimos habent. Quod ſpectat ad continuitatem, iacet cerebrum in capite obtectum, quaſi in vaſe, quamobrem dicitur Apollodorus caput appellaſſe *b* tectorium, & hinc non videtur continuum; Continuum tamen eſt, cum medulla ſpinali, quam viuere pari ratione aſſero, ac cerebrum ipſum, & cum pia meninge, cuius ſubſtantia, aut certè alia continua non abſimilis, medullam dorſi veſtit.

b κεφαλῶ ἀκαλυπτήριο

1519 Non par eſt conditio medullæ dorſalis, & aliarum, quæ in medijs oſſibus latent. Quæ.n.in ſpina eſt, diuerſæ eſt ſubſtantiæ, vt patet etiam ad ſenſum, ſuamq; originem habet ex quatuor radicibus deductis ex cerebro, & cerebello, multamque continet neruorum texturam. Contrà illæ, quæ in oſſibus latent, in animalibus, quæ ſebo pingueſcunt, ſimiles ſunt ſebo, in ijs quæ adipe, ſimiles ſunt adipi, & ſiuè ſint excrementa oſſium, ſiuè ali-

menta,

menta, cum vtroque ſtat, quod animatæ non ſint.

1520 Medullæ, quæ in plantis, & arboribus ſunt, videntur proportione magis reſpondere medullæ dorſi, quam alijs, quæ in oſſibus latent, & ideo cenſeo, eas eſſe animatas. Ità certum id viſum eſt antiquis, vt has aliqui matricẽ arborum, alij viſcera, alij cor appellauerint, auctore *a* Ariſtotele.

a Lib. 1. de Plant. cap. 3.

1521 Quod ſi obijcias quandam experientiam, de qua vera ne ſit, an ſecus, non quæro; quædam virgulta detractis medullis viuere, quin etiam fructus ferre meliores. Reſpondeo id nihil repugnare; viuunt.n. malleoli, etiã abſciſſi ſine radicibus, & tamen nemo dixerit propterea, radices non eſſe animatas. Dico igitur, ſi vera ſit ea experientia, medullam in plantis eſſe partem animatam, ſed non in omnibus neceſſariam.

1522 Sanguis, ſpiritus vitales, & animales, & alij humores, qui in animali ſunt, ad vitæ functiones neceſſarij, non ſunt anima præditi. Fateor, graues *b* auctores ſunt, quibus contraria ſententia probatur, argumentumque ijs eſt ex altiſſimo, diuinoque arcano ſanctiſſimæ Incarnationis Verbi; etenim Dei filius homo factus integram naturam humanam aſſumens, veram aſſumpſit animam, & verum corpus ex carne, & ſanguine conſtans. Ego verò in mea ſententia perſiſto, quæ *c* auctores, & multos, & graues habet, tum ex Theologis, tum ex Philoſophis.

b Capr. in 4. d. 11. Caiet. 1. p. q. 119. a. 1. & 3. p. q. 54. a. 2. & alij plures.

c D. Tho. 3. p. q. 31. a. 5. ad p. D. Bonau. in 4. d. 44. Scotus ibid. Alb. 3. de animal. Idem cõmuniter Philoſophi & Medici.

1523 Neque Sanctiſſimæ Incarnationis myſterium aliter ſuadet; veriſſimum enim eſt, quod dicirur, Aeternum Verbum veram aſſumpſiſſe carnem, & verum ſanguinem, non quia ſanguis animatus ſit, ſed quia ſpectant ad humanæ naturæ integritatem trium genera partium, auctore *d* Ariſtotele; eſſentiales, quæ animatæ ſunt; nutrimentales neceſſariæ ad vitam animalis, & aliæ, quæ neceſſariæ ſunt ad operandum.

d Lib. 2. de Part. c. 2.

1524 Vim quandam animæ maiorem, dicet fortaſſe aliquis, ineſſe ſpiritibus vitalibus, & animalibus, quorum operationes in animalibus, tam multæ, tanque admirabiles ſunt. Quatuor functiones tribuit *e* Albertus vitalibus; Etenim viuificant, calefaciunt, euentant, & viſcoſa diſſoluunt, expeditaſque ad opus reddunt animi facultates.

e De ſpiritu & reſpirat. li. 1. tract. 1. c. 6.

1525 Spiritus animales, vbi in cerebro ſuam temperiem habuerint, ſeruiũt pariter operationibus animæ. His tamen nõ obſtantibus retineo meam ſententiam, hos ſpiritus nõ eſſe animatos, & addo, à ſanguine non differre eſſentialiter. Funguntur ijs muneribus, non vt animati, ſed vt benè diſponunt animæ inſtrumenta, & ab ipſa mouentur anima, tanquam à primo motore, vt idem Albertus aſſerit.

1426 Sunt *f* Medici, qui duo genera ſpirituum diſtinguunt, alios innatos vocant, ingenitos, & complantatos; alios influxos, ſeù influentes. Cum his ſatis eſt, ſi in nomine conueniam. Etenim, ſi per ſpiritus innatos, & complantatos intelligunt aliquas animalis partes, quæ primò in generatione habitę ſunt, & primigeniæ dicũtur, ſine dubio hi ſpiritus animati ſunt, neq; de his mea aſſertio eſt; Si per influxos, ſeù influentes intelliguntur ij, qui à corde diffundũtur, vt viuifico calore foueant animalis partes, hi ſunt, de quibus loquor, & quos nego, animatos eſſe.

f Fernel. lib. 4 Phiſiol. ca. 10. Gentilis. 1. fen. 1. Doctr. 3. c. 2.

1527 Cuti,

1527 Cuti,& cuticula humanum corpus veſtitur, nec humanũ ſolum, ſed aliorum etiam animantium,quin etiam plantarum; Cuticula cuti ſuperinducta eſt,in quà curanda,qui nimium ſtudent,imbelles,ac molles meritò habẽtur.Cutim eſſe animatam,facilè aſſentior,cum plura in ea ſint animę præſentis argumenta,ex nutritione,ac ſenſatione. Sed non idem ſentio de cuticula, quę quamuis ornamento ſit,ſicut alię partes plures,quæ mere excrementitię non ſunt,excrementum tamen eſt cutis.

1528 Oſſa,& dentes partes ſunt animalis animatæ,idemq; dico, ſi quid his proportionale in plantis reperiatur. Fateor, *a* nullum ineſſe ſenſum oſſibus,nullum etiam dentibus,quicquid cõtrà videatur aſſerere Galenus, *b* qui dentium ſenſum ex ſtupore,ex paſſione caloris, & frigoris, probare nititur; quin etiam pulſum in vitiatis,& humorum intemperie obſeſſis dentibus, deprehendit. Aio tamen, quæ in dente ſentiri videntur, non in dente ſentiri, ſed in gengiuis, & in membranulis ac neruis, qui ad intimam dentis cauitatẽ peruadunt. Argumentum verò animæ ſenſitiuæ in animalium oſſibus, ac dẽtibus eſt nutritio,nec.n.cum vna ſit anima in vnoquoq; viuẽte, poteſt in vno eſſe principium vegetationis, ſine principio ſenſationis; & idem dico in homine de anima rationali.

a Ex Ariſto. lib.3. de Anima t. 66.
b Lib. 4. de placit.& lib.5. de medic. compoſ.

1529 Vngues,vngulæ, cornua, roſtra, & quæ cum his proportionem habent, non ſunt partes animatæ, nullam enim in his animæ operationem deprehendas,& incrementum quod habent, non habent verè à vi augmentatiua,ſed per oppoſitionem nouarum partium,quibus antiquę propelluntur,& ideo incrementum apparet.

1530 Confirmat me in hac ſententia *c* Ariſtoteles,vbi ait, vngues creuiſſe aliquandò cadaueribus,ex naturali videlicet additione materiæ,quę ſuperfuit viuentis concoctionibus. Idem expreſſe *d* alicubi negat,vngues eſſe animatos.Excrementa ergo ſunt,quamquam & ad vſum data,& ad ornatum.

c Lib.3. de Hiſto. ca.11.
d Lib.2. de Gener. Anim. c.4.

1531 Capilli,barba,pili, vbi vbi ſint, animati non ſunt, ſed reliquiæ excrementorum à concoctionibus,quæ in animalis corpore fiunt. Spectant ij etiã ad ornatum; vſum præterea habent in animalibus ad integendum; & his reſpondent in auibus pennæ,in piſcibus ſquammæ, in teſtaceis teſtę. Materia operi accommodata eſſe debet,& verò ſapientiſſimè natura accommodat.

1532 Dum per poros flexuoſos capilli materia tranſit, formam ibi accipit, & criſpus prodit. Hi etiam creſcunt cadaueribus *e* Ariſtotele auctore, quia ſupereſſe aliquid potuit de apta materia etiam poſt mortem, quamuis poſt mortem concoctio, qualis virtute animæ fieri ſolet, amplius non ſit.

e Eod. lib. 2. de Gen. animal. cap.4.

1533 In tanta partium diuerſitate,quę eſt in corpore animalis, debuit eſſe vna aliqua princeps,cuius ductu regantur alię.Vnus eſt in magno mũdo Princeps,idem, qui in naui Gubernator, qui in curſu Agitator,qui in choro Præcentor,qui in ciuitate lex,qui in exercitu Dux *f* (inquit auctor libelli ad Alexandrum.) Cur ergo in paruo mundo vna non ſit pręcipua pars, quæ gerat inter reliquas principatum?

f De Mundo cap. 7.

1534 Aliquam eſſe,fatentur omnes; quę ſit,diſſentiunt. Retuli ſententiarum varietatem; ſcilicet ius ſuffragij in hoc Principe dicendo penes philoſophos

phos est. Primùm in tam diuersas partes itũ est, quammulta assignata sunt diuersa membra, in quibus residere animam, voluerunt, vt *a* suprà retuli. Sed tandem in duas sectas præcipuas facta discessio est. Volunt *b* medici, principale in homine membrum esse cerebrum, volunt *c* Peripatetici, esse cor. Ego cum Peripateticis sentio.

a Hoc eod. lib. 2. cap. 32.
b Cum Saleno 5. de Plac.
c Cum Arist. lib. de Anim. motu. c. 7. lib. de Iuuent. senect. &c. c. 2. 3. de Part. c. 4. & alibi.

1535 Agnouit hunc cordis Principatum is, qui se Peripateticum profitetur, *d* Albertus, sed plus aliquid cordi tribuit, quam Peripatetici tributum velint, dum ait in solo corde residere animam veluti in sua regia, alijs verò partibus non per se ipsam adesse, sed per vitales, & animales spiritus, quasi per administros. Non probant hoc, vt dixi Peripatetici, qui volunt, animam esse actum corporis organici, & per animam constituti in potentia proxima ad vitæ operationes, ibi ergo anima erit, & in omnibus ijs partibus, in quibus vitæ operatio est, quæ videlicet non in solo corde est, sed in alijs pluribus organis, ex quorum coniunctione organicum corpus dicitur.

d Lib. 2. de Anim. tract. 1. cap. 7.

1536 Sed ipsum hoc (inquies) Alberti simile vsurpat *e* Aristoteles, & in eadem sententia, vbi hæc habet: existimandum est constare animal, quemadmodum ciuitatem benè legibus institutam, in qua cum semel constiterit ordo, nihil opus est seperato Principe, quem oporteat adesse singulis, quæ fiunt, sed ciuis vnusquisq; facit, quæ sua sunt, vt ordinatum est, fitq; hoc post hoc per cõsuetudinem; In animalibus autem hoc idem propter naturam fit, & quia natum est vnumquodq; sic constitutorum facere suum opus. Quare non oportet in vno quoq; esse animam, sed in alio quodam principio corporis ea existente, alia viuere. Fateor pro Alberti sentẽtia hic textus accommodatissimus esset, nisi ex Aristotelis discursu cõstaret, in quo simile adducatur. Aio igitur, sententiã hanc esse: Sicut Princeps ibi operatur, vbi non est, itá cor ibi operari, vbi non est, & ideò cor Principis vicem habere. Anima ergo hic dicitur illa animati pars cuius influxu viuunt alię partes; at qui viuerent si anima in ijs non esset?

e Lib. de motu. Anim. c. 7.

1537 Quod verò spectat ad medicorum dissensionem, contendunt hi, cerebrum esse pręcipuam partem, quia nobiliores ab illo sunt operationes, quam à corde. Est. n. cor principium spirituũ vitalium pro functionibus animę vegetatiuę; cerebrum verò principium animalium pro functionibus animę sensitiuæ, quæ sine vlla exceptione præstantior est, quam sit anima vegetatiua. Aliquid hæc ratio conficeret, si animales spiritus, qui in cerebro fieri dicuntur, non essent illi ipsi vitales, qui fiunt in corde. Cor est omnium officina spirituum; in cerebro verò ij temperantur solum, qui ad sensationes vsui futuri sunt, quod est cerebrum seruire cordi.

1538 Sed multi modi excogitati sunt à philosophis, vt ille tandem constet, ratione cuius cor principatum habere dicitur. Si Princeps dicatur illud membrum, quod sit maximè necessarium ad vitam animalis, non vnus est Princeps; Nam quamuis subitò ac læditur cor, *f* animal moriatur, plura tamen in eodem sunt membra, ex quorum abscissione, moritur nihilo tardiùs.

f Ex Arist. li. de Iuuent. senect. &c. c. 2.

1539 Nec item dicetur vllum principale membrum, quia ex illo vnico reliqua, tanquã ex prima origine, nascantur. Nam esto nascantur venæ, aut nerui à corde, multa alia sunt, quæ non magis ipsa oriuntur à corde, quam cor ab ipsis.

1540 Alicubi *a* Auicenna videtur principatum in eo statuere, quod princeps pars omnibus aliquid elargiatur, ipsa nihil accipiat ab alijs. Illud primùm sanè munificum est, & Principe dignum, sed sicut in politicis non reperies Principem, qui nulla suorum subditorum opera indigeat, sibique ipsi solus sit satis, ità nec vllam in animalis corpore partem habes, quæ planè nihil accipiat ab vlla alia.

a 1.fen.1.Doctr.5.

1541 Principatus igitur cordis in eo est, quod cor omnibus alijs membris spiritus elargiatur, quibus cum singula suis muneribus defungantur. Inest his spiritibus vitalis calor, qui, si in reliquis naturæ operibus primas habet, quatenus frigus naturæ opera non ingreditur, habet certè maximè in vitalibus functionibus.

1542 Hoc est, *b* quod quidam apud Arist. significare voluerunt, dum animalis vitam ab igne esse pronunciarunt. Hoc est, quod ipsa res docet, torpemus enim, vbi frigore corripimur, tunc demum viuimus, vbi vigeat calor. Sed enim principium sensuum esse cordis locum iã definitum est (inquit alicubi *c* Aristoteles.) Hęc verò dicta sunt de anima, & corpore in vniuersum, nunc ad animatorum species progredior.

b Lib. 2. de Anima.t.40.

c Lib.de Part. c.10. de sensu & sensili ca. 2.

ANIMA



ANIMA Vegetatiua. CAP. XXXVI.

1543 EST anima vegetatiua, quātum licet ex vniuerſalibus cognoſcere minùs vniuerſalia cum additione propriæ, ac ſpecificæ rationis, actus corporis organici potentia vitam habentis, non quamlibet, ſed eam, quæ eſt viuentium propria, quæ ergo hæc ſit, quamuis ex ſenſibus, & ex experientijs colligatur, magis tamen philoſophicè cognoſcitur, diſtinctè cognitis huius animæ virtutibus, ac potentijs; Et hoc eſt, quod ipſe *a* Ariſtoteles præſtat ad integram, perfectamque de animatis philoſophiam.

a Lib. 2. de anima à t. 33.

1544 Cenſent *b* aliqui, vnicam ſolam ponendam eſſe in anima vegetatiuá potentiam, cuius ſit nutritionis, augmentationis, & generationis opera exercere, ſique alia ſint huius animæ propria. Scilicet prima huius animæ virtus eſt in immutatione alimenti, ſatis ergo eſt vnica potentia, quæ primis qualitatibus vtens alibi carnē, alibi oſſa, alibi aliam ſubſtantiā excoquat, & perficiat. Nec verò (*c* inquiunt) augmentatio à nutritione diſtinguitur, quia ſolùm copioſioris alimenti additio eſt, nec ab eadem generatio, quia nutritio eſt adgeneratio quædam. Sed melius reor ex operationum diſtinctione plures potentiæ diſtinguuntur, licet omnes ab eadem anima ſint. Nec magis hic dixeris, vnam eſſe potentiam, quæ nutriat, augeat, generet, quàm in anima ſenſitiua, vnam quæ videat, audiat, olfaciat &c.

b Dur. in p. d. 3. Phil. 2. de Anima, & alij ibidem.

c Ex Ariſt. 2. de An. t. 34. & 42. 1. de Gen. t. 41.

1545 Quæſitum ex hac occaſione, & ſæpè ex alijs, à Philoſophis eſt, vndè diſtinctio potentiarum dignoſcatur. errat, ſi ipſe non erro, *d* qui vult, tot eſſe diſtinctas potentias, quot ſunt actus ſpecie diſtincti, & verò in immenſum multiplicarentur.

d Iand. 2. de Anima. q. 8.

1546 Nec

1546 Nec illi *a* placent, qui eas solas potentias distinguunt, quas norunt in diuersis viuentibus separatas. Etenim sæpè plures vni conueniunt, nec altera sine altera: v.g. appetitus elicitus sine sensu. Nec assentior, si *b* quis dicat, tot esse potentias, quot sunt priora operandi principia; nam vnum potest principium plurium potentiarum, sicut plurium proprietatum.

a Quidã apud M. Anton. Genuam.
b Dicit Marcel. suo 2. de Anima ca. 13.

1547 Sentio igitur ad has potentias distinguendas, huius similẽ progressum intellectui faciendũ esse; Primò in confuso ex obiecto cognoscit aliquã rationem actuũ, ex actibus potentias. Attentius deinde ex indicijs intuetur distinctionẽ potẽtiarũ, quas animaduertit habere organa distincta, separari quoad actus, tendere diuersa rõne in obiectũ, vnã ex alia pẽdere quoad operationẽ, & non è contrà. Sic pariter propria vniuscuiusq; obiecta adæquatè distribuuntur, & ex hac ipsa distributione adhuc certior est potentiarũ distinctio.

1548 Ex his igitur, & harũ similibus coniecturis, retineo cõmuniorem distinctionem potentiarum, quæ tres esse dicuntur principales in anima vegetatiua, ideſt nutritiua, augmentatiua, generatiua, formaliter ab anima distinctæ, vt insttumenta naturalia coniuncta, dum tamen viuens in genere viuentis perfectum sit, & non mutilatum, vt loquitur *c* Aristoteles. Neque verò quod ad harum operationem concurrant etiam primæ qualitates, hæ animæ virtutes excludendæ sunt, quia est minimè nouum, aliquod instrumentum ità seruire agenti principali, vt ipsi pariter minora alia seruiant instrumenta.

c Lib. 2. de Anim. t. 34.

1549 Distinctionem hanc potentiarum indicat notissima operationum distinctio circa distincta. Etenim nutritio alimentum transmutat in substantiam aliti, & attingit, in plantis, & brutis, animæ productionẽ, ratione cuius adgeneratio quædam dicitur; Augmentatio viuentis partes ad debitam quantitatem perducit, facta quantitatis additione; Generatio denique est ad aliquam viuentis immortalitatem, de quà illa habet *d* Aristoteles: Quoniam cõmunicare nõ possũt ipso semper, & diuino cõtinuatione, proptereà quod nihil contingit corruptibilium vnum, & idem numero permanere, secundum quod potest participare vnumquodq;, sic communicat, hoc quidem magis, illud verò minus, & permanet non ipsum, sed quale ipsum; numero quidem non vnum, specie autem vnum.

d Lib. 2. de Anima. t. 35.

1550 Quoniam verò dum anima vegetatiua hos actus operatur, multa præstanda sunt; scilicet concoquendum sæpiùs est alimentum, digerendum, destribuendumque per animati corpus; vitales spiritus, sine quibus in animalibus coctio non est, sunt ipsi prius excoquendi; eijcienda sunt excrementa, & alia similia, dubium incidit, an adhuc plures substituendæ potentiæ sint, quæ tribus illis principalibus seruiant, & quot. Ponunt *e* medici quatuor, attractiuam, retentiuam, digestiuam, expulsiuam: addunt his alij vitalem, pro vitalium spirituum perfectione. Mihi satis sunt, attractiua, & concoctiua, & probabiliter etiam expulsiua poni potest.

e Gal. lib. 3. nat. facult. c. 6. lib. 4. c. 9. Auicen. p. fen. p. Doctr. 6. Gentil. Forliu. Valeriola & alij.

1551 Regula ponendi has subseruientes potentias, plures, vel pauciores, ea mihi est, si animaduertero, aliquas esse ad nutritionem, augmentationem, generationem præparationes, quę à primis solis qualitatibus

esse

esse non possint. Hoc suadet, ponendam esse potentiam attractiuam; etenim in animatis succus attrahitur contrà naturam ipsius, dum in eas tendit partes in quibus esse debet ad bonam animati vegetationem; Idem suadet ponendam esse concoctiuam, ad quam operatur quidem calor, sed diuersa ratione in animatis, ac extrà, quod indicat potentiæ directionem, & ab ea certum quemdam coquendi modum, quem calor sine animè concursu non habeat. expulsio etiam fit, á natura, qualem non faceret propria rei expulsę qualitas, & hoc mihi persuadet dari vim quandam distinctã animę ad expellendũ

1552 Etiam potentia generatiua concoctiua est, sed quia materia, quã excoquit, eum habet finem immortalitatis, quem modo retuli, non videtur seruire alijs potentijs, & ideò non inter administras, sed inter principales adnumeratur. Nutritiua item concoctiua est ex parte, quatenus alimentum vltimo transmutat in partes animatas, in quo opere, prout ex alimento educitur forma partialis ossis, carnis &c. necessaria concoctio est.

1553 Seruientes verò his principalibus concoctiones plures sunt, nam alicubi chilus coquitur, alibi sanguis, alibi vitales spiritus, alibi lac, non tamen propterea censeo esse multiplicandas plures potentias concoctiuas, quia effectuum diuersitas in temperamentum primarum qualitatum referri potest, & variam materiæ dispositionem.

1554 Quæcunq; vitã viuũt vegetatiuã, alimento indigent, quod est materia, circà quam occupantur oẽs animæ vegetatiuæ virtutes. Nõ est hoc eiusdẽ naturę in oĩbus viuẽtibus, alio.n. succo nutriuntur plãtę, alio aĩalia; sed illi, *a* quod in animalib. est, respõdet apta proportione aliquid simile, quod in plãtis est. Quamobrem loquar de alimento aĩalium, vt ex hoc proportionaliter quisq; ratiocinetur de eo, quod in omnibus viuentibus necessarium est.

1555 Huius alimenti necessitas non solum est propter augmẽtationẽ, vt viuens crescat, vel propter generationẽ, vt ex eo elaboretur id, quod sit alterius vitæ propagandę instrumentũ. Sed vt partes, quę in pugna contrariorum deperduntur, maximè vi caloris naturalis per nutritionem restaurentur.

1556 *b* Gerit viuens in se ipso perpetuam pugnam, & quamuis multa sint extrinseca, quæ vitæ incommoda afferunt, sunt sæpè deteriores hostes, qui in ipso latent quasi in insidijs, ipse videlicet eterogeneæ partes, ex quibus viuens constat, ipse naturalis calor, qui vitam fouet.

1557 Duo alimenti genera distinxit *c* Alexander, alterum inconcoctum, & indigestum, quod extrinsecùs admouetur; alterum, quod concoctione conficitur, & corpori adiudicatur. Hinc componi dissensio potest inter aliquos philosophos, ex quibus alij *d* volunt, alimentum esse illud, quod concoquitur, & præparatur ad nutritionem, *e* alij, esse illud, quod iam concoctum, & præparatum est. Primi alimentum appellant illud primum, hi secũdi hoc secundum. Sed cum his mihi loqui libet, alimentum.n. quod extrinsecùs aduenit, est quidem illud, quod vulgo alimentum dicitur, sed magis philosophicè loquitur, qui materiam vitæ magis proximam assignauerit.

1558 Dicendo aliqui vsurpãt, primã alimenti cõcoctionẽ fieri in dentibus. Sed hęc reuera nimis translatè concoctio est, solum enim conteritur cibus,

a Ex Aristot. lib. 2. de Port. c. 3.

b Ex. Auer. in primum de Genera.

c Lib. 1. de Anima. c. 10.

d Thiennensis. Palat. in 2. de Anima.

e S. Tho. Auer. & alij magis communiter.

vt facilius in ventriculo concoquatur,& in eo prima concoctio est,quæ vero in ore antecedit,dicitur melius præparatio. Huc arbitror respexit *a* Galenus cum in concoctione tria distinxit,præparationem,concoctionem,perfectionem.præparatio est apta materiæ dispositio, ad vim caloris naturalis percipiendam,concoctio est actio caloris,perfectio est finis actionis,cum factū est per concoctionem id,ad quod eam actionem natura instituit.

a Apud Andr. Laur. li. 7. Histo. Anat. q. 12.

1559 Primæ concoctionis perfectio est,per quam chilus est; est *b* qui arbitratur,coqui in ventriculo,sed coctionem in intestinis tenuibus perfici. Mihi magis placet,ibidem perfici coctionem,vbi inchoatur, scilicet in ventriculo,vbi,tanquam in propria officina, apta reperiuntur ad id instrumenta. Non nego tamen,quin intestinorum calor aliquid proficiat.

b Andr. Laur. loco cit.

1560 Chilus factus nō dicitur adhuc alimētū,multū enim distat,quia abijciendæ sunt partes magis crudæ,aut nimis adustæ, & in sanguinē transmutandus est. Sed nihil huic rei obstat, quod stomachus ipse aliquibus tenuioribus chili partibus nutriatur.

1561 Vniuersale igitur alimentum est illud,quod proximè seruit nutritioni per quam restaurātur partes deperditæ. Dicitur hoc esse sanguis;*c* Nā quāuis,vt ad hunc vltimū nutritionis finē perueniatur, sanguis transmutetur in secundas humiditates;tamen quia certū non est has specie differre à sanguine,& non ità facilè sub sensum veniunt,sicut sanguis, ex quo fiunt, rectè tribuitur sanguini,nō ipsis,alimenti nomen,& quidē vltimi. Sanguinis nomine intellige in animalibus, quę sanguine carent, & in plantis proportionale quid.

c Ex Arist. lib. 2. de Part. c. 3.

1562 Sed,vt certior sit alimenti,de quo loquor, notio, has affero ex Arist. notas,& indicia ad illud agnoscendū. *d* Debet esse quantū; etenim quantæ partes deperditæ instaurandæ sunt,& materia est agentiū physicorum, quæ non nisi in quantum agunt. *e* Debet esse substantia,quia substantiales partes deperditę sunt, similesque earū loco sunt sufficiendę.

d Ex Arist. li. 3. de Anima t. 63.
e Lib. 2. de Anima, t. 47.

1563 Referunt hic aliqui historias, fuisse,qui solo odore nutriti sunt, ergo nutrit etiam accidens. Ego verò aut his historijs fidem nullam habeo,aut ne videar argumenti vim effugere,dixerim,quando simul cū odore transfundūtur à corpore odorato substantiales halitus, tunc odorem aptum esse ad nutritionem,non quà odor est,sed quà in substantia est, per se ad nutriendum apta.

1564 His verò adde, non satis esse, si hę odoratę substantię per olfactum deferantur ad cerebrum,aut per aspirationem ad pulmones; sed transmitti pręthereà debere ad stomachum,aut ad cor, vbi sanguis fiant, quaqua tādem via ad has officinas perueniant; quamuis enim ad ventriculum via sit per æsophagum,ad cor per uenas,non tamen audeo asserere, tam subtiles halitus,quales ij sunt, quibus odores deferuntur,nullam aliam habere uiam ad eadem loca. Sic si esculentum, uel poculentum aliquid in stomachum per aliam viam transmitti queat,quam per æsophagum,non dubito, quin idonea futura sit alimenti perfectio.

1565 Debet prætereà istud ipsum, ex quo alimentum conficiendum est, esse

esse mixtum; Quare ex nullo simplici alimento, aut planta, aut animal vnquam nutritur, nisi fortè sit tantùm humorum in stomacho, quãtum satis sit simul cum illo vnico alimento, quod in cibum sumitur, ad mixtum aliquod conficiendum, quæ chili materia sit.

1566 Sic si plura simul elementa in cibum sumerẽtur in ea præparatione, in qua mixtum esculentum fieri posset, ex elementis erit alimentum, non quatenus elementa sunt, sed vt sunt materia mixti; Et hoc innuit *a* Aristoteles, vbi ait, ex ijsdem nos nutriri, ex quibus constamus; Nec verò ex vnico tantùm constamus elemento.

a Lib.2.de Genera.t.50.

1567 Nec verò mihi aliter persuadent, quæ in *b* historijs referuntur, lupos terra vesci, aquas animantibus esse alimento; viuere quædam in igne, in niuibus alia. Hæc enim, & quæ sunt alia plura in eandem sententiam, sępè ab Aristotele referuntur, auditione accepta; Et dato etiam, quod vera sint, nemo mihi demonstrabit, animal ex puro elemento vesci, quamuis in igne degat, qui scilicet ex materia terrea ardet, aut in niuibus, quibus non parum exhalationis terreæ admixtum est.

b Ex Arist.lib. 8.de Hist.c.5. Sect. 1. Probl. nu. 13. lib.5. de Hist.c.19.

1568 Debet denique alimenti materia esse sapida, id est apta, & proportionata naturæ animalis, vt admonet *c* Galenus; quin etiam experientia ipsa, quæ satis docet, non nutriri quidlibet ex quolibet. Cum vero addit *d* Aristoteles non debere esse saporem quemlibet, sed dulcem, aut ex dulci mixtũ; magis, opinor, loquitur de alimento, iam cocto, & perfecto, quam de alimenti materia. Dulcedinem possumus etiam accipere pro carentia amaritudinis, qua ratione aquę fontium dulces dicuntur in comparatione marinarum, sic alimentum dulce dicitur, vbi ab amaris excrementis separatum est.

c Lib. 4. medicam. Simpl. c. 14.

d Lib. de sensu & sensili c. 4.

1569 Distinguitur alimentum à medicamento, & à veneno. Alimentum.n. huius conditionis est, auctore *e* Aristotele, vt patiatur ab alito, & non alitum ab ipso, quatenus nimium approximatum parti alendæ, ab ipsa transmutatur, & non alenda in ipsũ. Cõtra medicamẽtũ, *f* auctore eodẽ, amarũ esse solet, ac fœtidũ, neq; adhibetur, vt à natura alteretur, sed vt ipsũ alteret naturã.

e Li.2.de Anima.t.43.

f Sec. 1. Probl. nu. 45.

1570 Hoc pręstant alimentũ, & medicamentũ ex genere suo; Non nego *g* tamen, quin alimentũ quandoq; alteret, & medicamentũ itẽ alteretur; sed nõ id habent illud, vt alimentum, hoc, vt medicamentum, sed illud vt quoddam medicamentũ, hoc vt alimentum quoddam.

g Ex eod. Aris. ead. Sect. 1. Probl. nu. 48.

1571 Cũ vero tanta est viuentis alteratio propter sumptũ medicamentũ, vt moriatur, aut deterius habeat, iã illud non habet amplius medicamẽti rationẽ, sed veneni. Quare hæc tria, alimentũ, seù materia alimenti, medicamẽtũ, & venenũ, non semper distinguuntur secundũ substantiam, quinimo, quod vni medicamentũ est, alteri idẽ potest esse venenũ, alteri cibus; sed distinguuntur secũdũ assignatos effectus, & absoluta, quæ fieri solet, horũ denominatio, dũ hoc dicitur alimentũ, aliud venenum, aliud medicamentũ, fit ab effectibus frequentioribus.

1572 Alimenti descriptionem hanc *h* Galenus tradidit; quod augere potest nostri corporis substantiam. Displicet, quia non solum nostra corpora eo indigent, sed omnium viuentium; Augere verò non tam spectat ad

h Lib.1.natur. medic. c.1.

 nu-

nutritiuam facultatem, quæ maximè alimento vtitur, quam ad augmentatiuam, quæ minorem habet alimenti vsum, & sæpè maxima augmentatio est, vt in febribus, cum alimenti inopia est.

1573 Melior ergo est descriptio ex *a* Aristotele, vbi hæc habet. Quod concoctum á natura accessit, & corporibus adhærescit, alimentum appellatur. Idem *b* alibi alimentum dicit esse, quod dulcissimum, & concoctissimum est, quo viuens alitur, ac restauratur.

a Sec. 1. Probl. nu. 43.

b Lib. 4. de Gene. Anim. c. 8. & li. 2. de Anima. t. 47.

1574 Tradidi, quæ insit animæ vegetatiuæ nutriendi vis, & circà quam materiam ea maximè laboret, hic opus ipsum distinctè trado, prout ab opere augmentatiuę, & generatiuæ facultatis distingui debet. Eum igitur habeto finem nutritionis, quem nemo ex Philosophis est, qui non agnoscat; restaurare videlicet partes deperditas, quia si hæc restauratio non fieret, animal deperiret.

1575 Ad hanc restaurationem nonnisi remotè pertinet alimenti præparatio, dum cibus in chilum, in sanguinem, in secundas humiditates coquitur, & hoc est, quod non obscurè significauit *c* Aristoteles, vbi pro perfecto nutritionis opere postulat, vt alimentum planè assimilatum sit viuenti, & loco illius partis repositum, quæ perijt. Porrò deperitio est in extenuatione partium, potissimè animatarum, & præcipuè carnis, ad harum ergo similitudinem alimentum perducendum est, vt fiat integra restauratio.

c Lib. 2. de Anima. à t. 44.

1576 Sed ipsa viuentium diuersitas, non eandem postulat restaurationem, & diuersitatis ratio in forma constat; Aliorum enim viuentium animę vegetatiuæ diuisibiles sunt, & ad partium materiæ partitionem partibiles, vt *d* supra asserui, hominis verò vegetatiua vis indiuidua est, & impartibilis, sicut ipsa est anima rationalis, vt *e* infrà dicam. Quare cum vi caloris naturalis aliqua pars in brutis perit, aut caloris cœlestis in plantis, perit simul animæ pars, quæ eam informabat; In homine non item, sed pereunte parte, anima solum desinit eam informare, ipsaque remanet integra, & indiuisa.

d Hoc eod. li. 2. c. 32.

e Hoc eo. lib. 2. cap. 41.

1577 Pro hac ergo diuersitatis ratione, assigno hic vnum nutritionis opus, quod commune sit omnibus viuentibus, & proprium facultatis nutritiuę, prout ab augmentatiua, & generatiua distinguitur; Hoc est, alimentum vltimò transmutare in naturam earum partium, quæ deperditæ sunt concurrendo cum primis qualitatibus ad eductionem formæ substantialis, partialis, quæ vltima dispositio est, ad hoc, vt eadem pars antiquis partibus vnita ab anima informetur. Sic tandem alimentum fit simile viuenti, & hæc ea substantia est, ad quam dicit *f* Aristoteles, esse debere nutritionem.

f Lib. 2. de Anima t. 47.

1578 Verentur hic aliqui, ne, si hac ratione nutritio fiat in viuentibus, pari prorsus ratione fiat in non viuentibus; sic enim quia flamma, vel deficiente materia, vel vi contrariorum agentium sensim deficit, materia supponitur, quę vnita præcedenti transmutatur substantialiter, vnitur, assimilatur, nutritur igitur. Dant aliqui *g* manus argumento, sed hoc non leuè esset in philosophia incommodum; Etenim viuerent, quę non viuunt, aut quæ viuere dicuntur, non magis ipsa viuerent, quam quæ non viuunt.

g Apud Pompon tract. de accret.

1579 Melior

1579 Diſparitatem aſſignant *a* alij, quia impropria ignis nutritio eſt, cuius alimentum extrinſecus aduenit; propria viuentium, quæ alimentum intrà ſe habent. Sed neq; hoc placet, quia cibus alimenti materia ab extrinſeco eſt.

a Marſil. 1. de Gener. q. 11.

1580 Aio, aliquam eſſe inter has duas nutritiones conuenientiam, vndè pro ſimilitudine translatè dicitur etiam flamma nutriri, ac ſuum habere pabulum. Conueniunt, quia in vtraque reſtauratio eſt, in vtraque adgeneratio, vtraque ad ſubſtantiam, ſimilem illius, quæ dicitur nutriri; Differunt tamen ratione modi, cuius diuerſitas probat principij diuerſitatem, à quo nutritio in viuentibus propria ſit, in non viuentibus metaphorica. Modus ergo diuerſus eſt, quia inanimata ſine regula nutriuntur, facta materiæ appoſitione illi parti, cui temerè alimentum adhæſerit; Animatis regula eſt ipſa anima, quæ eadem, & alimentum aptè diſtribuit, & tranſmutat.

1581 Alia tamen actio eſt in plantarum, & brutorum nutritione, qua apertè magis diſtinguitur horum nutritio à nutritione non viuentium; Hæc eſt productio partialis animæ, ratione cuius perfecta alimenti aſſimilatio fit, quatenus antiquis viuentis partibus noua pars viuens additur, educto de alimenti materia vitæ principio anima, ſeù animæ parte.

1582 Non eſt hæc actio ad nutritionem neceſſaria, nec in hominis nutritione reperitur, ſi ſpectes nouę particulæ animæ productionem, ſcilicet, quia non producitur noua animæ pars, ſed illa ipſa, quæ informabat partes, quæ deperditæ ſunt, informat reſtauratas. In brutis tamen, et in plantis hęc partialis animæ productio adiuncta neceſſario eſt.

1583 Ex dictis habes, ſingulos nutritionis actus comparatos cum prima generatione, habere aliquam conuenientiam, itemque aliquod diſcrimen. Conuenientia eſt, ſi ſpectetur terminus ſubſtantialis; Etenim ſicut prima plantarum, & brutorum generatio eſt in productione formarũ partialium, eiuſque animę; ità in eorundem nutritione, & forma partialis, & anima producitur. In homine, cum generatur, diſponitur à cauſis naturalibus materia per formas partiales, vt eam anima à Deo creata informet; ſic in eodem, cum nutritur, diſponitur, alimentum ad formas partiales, vt eas anima eadem, primùm à Deo creata, informet. Diſcrimen vero eſt, quia generatio totius eſt nutritio partis, & non dicitur hęc generatio ſimpliciter, ſed adgeneratio.

1584 Dubitatum eſt, an huiuſmodi nutritio fiat per totam vitam cõtinuè. Affirmat *b* Ariſtoteles; quin etiam addit, tamdiu conſeruari ſubſtantiam viuentis, quamdiù nutriatur. Rationem reddit *c* Galenus, quia caloris actio continua eſt ad deſtruendum; aliquid ergo continenter adſit neceſſe eſt ad reparandum. Ego hos auctores ità interpretor, continuam eſſe nutritionem, ſi eius nomine latiùs deducto comprehendamus, & actionem caloris, & alimenti pręparationem, & vltimum actum, in quo nutritionis forma, & perfectio ſita eſt. Scilicet quamdiù viuens viuit, hoc natura molitur, vt fiat reſtauratio. Qua verò ratione in tanta, tamq; continua nouarum partium additione perſtet viuens idem in principio, ac fine vitę, dicam *d* infrà.

b Lib. 1. de Genera. t. 41. & lib. 2. de Anima. t. 47.

c 1. de tuenda valet.

d Hoc eod. cap.

1585 Differt à nutritione augmentatio ex *e* Ariſtotele, eſt vt res ipſa docet,

e Lib. 1. de Genera. t. 41.

quia nutritio semper fit, augmentatio non semper, sed certo ætatis tempore; Quare proprius mihi augmentationis actus indicandus est, vt certior distinctio constet. Est, fateor, negocium non facillimum, sed nego, esse tantę difficultatis, quantę *a* aliquis arbitratur, vbi ait, nullum esse mortalium, qui in hac quæstione sibi perfectè satisfacere possit. Dixerit is potiùs, se ipsum sibi non fecisse satis, qui nec alijs satisfecerit.

a Pompon. in duobus libris de accretione.

1586 Vt omnis verborum ambiguitas tollatur; Hic, vbi agitur de augmentatione, siuè accretione, non est quæstio de intensione qualitatum, quæ cum intenduntur, augeri, ac crescere dicuntur, neque est quæstio de augmento quantitatis, quale etiam in non viuentibus reperitur; sed de eo, quod est viuentium proprium, & certo ætatis tempore. Plures vniuntur in hoc opere actiones, nec enim viuens augetur, nisi coquatur alimentum, vniatur alito, transmutetur substantialiter, extendatur etiam post transmutationem, & maior *b* locus occupetur. Et ex his pluribus ea, quæ est virtutis augmentatiuæ propria, signanda est.

b Ex Arist. 1. de Gene. t. 25.

1587 In ea sententiarum varietate, quæ hac in re est, minimè omnium mihi probantur *c* quidam, qui aiunt, augmentationis opus in his omnibus, quæ modo dixi in eo interuenire, situm esse. Pugnat hoc dictum nimis apertè cum *d* Aristotele, qui augmentationem vult, esse vnum simplicem motum, qui certam, determinatamque speciem habeat ex vno specie termino. In ijs verò, quæ concurrere ad augmentationem coniunctim dicuntur, cuiuslibet motus, & mutationis ipsius termini comprehenduntur.

c Apud Mars. 1. de Gē. q. 10.

d Lib. 3. Phys. t. 6. lib. 5. t. 9. lib. 1. de Gen. t. 41. lib. 2. de Anim. t. 47.

1588 Sunt qui *e* velint, augeri, & crescere viuens, quandò maior est alimenti portio per nutritionem additi, quam portio detracti. Contrà hanc tamen sententiam est nota experientia in ægritudinibus, in quas cum incidunt iuniores, tunc augentur maximè, cum exiguissima additio est alimenti.

e Aegyd. 1. de Gener. Philop. ibid. & 1. de Anim. t. 47. & alij apud Zab. lib. de accret. cap. 3.

1589 Contrà eandem est experientia vulgaris; nemo enim non videt, extensionem, maximè in longum, secundùm quam dimensionem potissimùm consideratur augmentatio, non pendere ex alimenti materia, si maior, si minor capiatur, & communiter fit, vt plus cibi capiatur, cum homo firmata iam ætate est suprà vigesimum quintum annum, quam tempore augmentationis. Adde his, fore, vt non differant augmentatio, & nutritio.

1590 Vident hoc *f* alij, & fatentur ingenuè, augmentationem à nutritione non differre, nisi ratione; scilicet ex horum sententia augmentatio est in additione quantitatis alimenti, quatenùs ea viuens crescit, nutritio in hac eadem, quatenùs eadem restauratio fit partium deperditarum. Fauet *g* Aristoteles, si verba magis, quam sensum attendas; ait enim alicubi, has duas naturæ operationes ratione differre. Sed ratione interpretor, idest definitione, quæ quidem interpretatio congruit Aristotelis principijs, qui sicut augmentationem à generatione distinguit, ità distinguere eandem debet ab adgeneratione.

f Tribuitur hæc sententia Marsil. 1. de Gene. q. 10.

g Lib. 1. de Gene. t. 41.

1591 Fatentur ergo *h* alij, augmentationem à nutritione distingui, sed tum demùm augeri viuens, arbitrantur, cum vi augmentatiuæ

h Zabar. lib. de accret. c. 3. 9. 10. Iand. 8. Phy. q. 7. Burl. 3. Phys. t. 67. & lib. 8. à t. 55.

mentatiuæ potentię viuentis partes extenduntur, quasi è ductili quadam massa constarent. Nil quantitatis produci volunt hac extensione, sed solum dilatari illam veluti massam, & poros complures in ea fieri, in quibus alimento implendis, vis nutritiua occupatur. Neque hæc sententia placet; tum quia augmentatio re vera non esset ad quantitatem, contra id, quod tam sępè, tam constanter asserit *a* Aristoteles; tum quia plus alimenti necessarium esset augmentationis tempore, ne pori nimis ampli fiant, quam vbi augmentatio per ætatem cessauerit.

a Lib. 3. & 5. Phys. & lib. 1. de Genera.

1592 Ego, vt rem propius attingam, aio, pendere distinctam huius actus notitiam ex alia quæstione, quam me hic explicaturum *b* alibi pollicitus sum, an quantitas in materia de nouo vnquam generetur. Timent complures, non pauca incommoda, si affirment. Ego verò cum non postremæ notę auctoribus assero, quantitatem, vi naturalium agentium de potentia materiæ de nouo educi posse, & corrumpi.

b Hoc eod. lib. c. 7.

1593 Tam est mihi hoc certum, quam certum omnibus esse debet, aliquid vnquam in rerum natura, vel vi caloris, vel ad vacuum implendum rarefieri. Fateor, nonnulli ex prisca philosophia rarefactionem in rerum natura admittebant, & eam fieri dilatato quodammodo vacuo arbitrabantur. Qui verò dari vacuum in natura neget, sicut re vera non datur, aut rarefactionem non admittet, aut nouam apponet materiæ quantitatem. Fac enim deficere aliquid, ad cuius locum implendum aer accurrat, distractio per poros non fiet, nam nihil est, vndè ij pori impleantur, & si dixeris, aere impleri, quæro vndè ille accurrerit, & an fluctuet totus mundus, & vacuum tandem detur?

1594 Adsunt hìc Nominales, & ex alijs etiam sectis non *c* nemo, ac dicunt, vbi corpus aliquod naturale rarefiat, nihil addi quantitatis, sed fieri maius, vbi condensetur, nihil detrahi, sed fieri minus, nulla re addita, aut detracta, ad summum sola relatione maioritatis, & minoritatis. Sed difficile creditu est, hanc sibi sententiam ipsos auctores probasse satis. Nam quid tandem in re est, per quod facta sit maior, vel minor, & si noua relatio est, quæ noua est fundandi ratio, seù fundamentum? Si hæc nomina sine rebus *d* Vulpi offerrentur, diceret id, quod in officina statuarij: Egregium sanè est caput, sed cerebro caret.

c Burleus 4. Phys. t. 84. & alij quos citat Bannes 1. de Genera. cap. 5. q. 10.

d Aesopus in Fab.

1595 Nominales alij esse nolunt, sed malunt modales vbi asserunt, in rarefactione naturalis corporis nihil acquiri quantitatis, sed modum; In condensatione nihil detrahi, nisi modum. Modum hunc dicunt esse, per quem res dicatur maior, vel minor, item ex quo assignetur fundamentum, seù ratio fundandi relationis. Quod si interroges, quid rei tandem sit iste modus? ait *e* aliquis, esse terminum quantitatis, modum videlicet per quem non est simpliciter extensa, quod habet per quantitatem, sed huius, vel illius extensionis, palmaris, bipalmaris &c. Paulo expressius *f* alij, modum hunc esse tantitatem, per quam videlicet quantitas habet, vt tanta sit.

e Buccafer. 1. de Gen. t. 33. & 42.

f Capr. in 1. d. 17. q. 2. & in 2. d. 1. q. 1.

1596 Placeret hęc sententia, si eo mō indigerē; Sed nihil mihi hoc mō opus est, vbi res est satis; Et quidē quia aliquid palmare per quantitatē tantā, tātū

est,non secus,ac calidum vt duo,per tãtum calorem: commentitius est quicunq; alius modus,à quantitate distinctus,excogitetur.

1597 Sed periculum, est, inquiunt, ne si in rarefactione producitur noua quantitas,sequatur huius cum antiqua penetratio. Hoc metu exterriti *a* aliqui dicunt,ad nouæ aduentum perire antiquam, quia stare simul non possunt. Sed hoc ego non dixerim;nec enim hac in re vlla est ratio afferendi,perire antiquam quantitatem aduentu nouæ, potius quam antiquam qualitatem aduentu nouæ. In opere autem augmentationis deserunt hi Aristotelem,qui expresse *b* ait, in augumentatione fieri quantitatis additamentum, & ideo(inquit)oportet habere aliquam magnitudinem id,quod augetur.

a Apud Marf. in 1. de Genera. & videtur esse eiusdẽ senten. Pompon. l.2.de accret. cap.15.
b Lib.1.de Gener. t. 25. 26. & alibi.

1598 Idem penetrationis periculum præcauentes *c* alij, fingunt sibi materiam quantam,non in omnibus sui partibus qnantitate prędita, sed in aliquibus,pluribus, aut paucioribus, prout res fuerit maior, vel minor. Ergo vbi ea rarefiat, nouam induere quantitatem, sed in ijs partibus, in quibus quantitas nulla sit,vbi condensetur,ammittere quãtitatem, quia aliquę partes quantitate spoliantur. Quid monstri tandem excogitatum non est,ad penetrationis periculum fugiendum,quod hac in re plane nullum est?

c Marsil. 1. de Genera. q.15.

1599 Monstrum dixerim materiam illam partim vestitam, partim nudam quantitate:& nascantur ex monstris monstra necesse est, quia cum sit quantitas prima materiæ dispositio ad reliquas omnes formas, illæ, quæ materia destituuntur,non erunt quid,non quale,non quantum,sed materia pura.

1600 Audiant igitur hi omnes D. *d* Thomam philosophorũ iuxta,ac Theologorum,Magistrum optimum,quem & ego audio nouam nouæ quantitatis productionem,& corruptionem afferentem. Didicit hanc ille doctrinam ex *e* Aristotele,vbi ex professo de augumentatione viuentium, & rarefactione nõ viuentium loquitur; Quamuis enim velit,nunquam materiam omni prorsus quantitate spoliari, qua in re, propter omnimodam inseparabilitatem dici potest quantitas materiæ coęua,vt *f* alibi affero;vult tamen fieri additamentum,& decrementum, augumentationem, & diminutionem, non secus ac fiat ex calido magis,aut minus calidum.

d In 1.d.17.q.2.ar.1.1.p.q.92.ar.3.ad 1. & alibi cũ Caietano,& plurib.ex Thomist.
e Lib.1. de Genera.à t.25.
f Hoc eod.li.2. cap.3.

1601 Ne plura hic apponam, quam ferat propositum veritatis, lectorem transmitto ad *g* textum; videbit eas ferme singulas sententias, quæ hactenus improbatæ à me sunt, reijci ab Aristotele; Et sunt, qui se in illis venditent Peripateticos?

g à t.25.lib.1. de Gener. vsq; ad 43.

1602 Sed quod spectat ad illum penetrationis motũ, qui tam altè in multorum animos penetrauit,nullus is est,vt dixi,quia penetratio tunc est, cum duæ quantitates sunt in eodem loco,qui vtrique seorsim sumptæ ęqualis sit; Et hic noua quantitas materiæ aduenit, in eaq; est simul cum antiqua, ità tamen,vt res,quæ maior facta dicitur, & est, occupet non eundem, quem priùs,sed maiorem locum. difficile hic est aduersarijs, intelligere quomodo noua quantitas subiecto adueniat,in quo antiqua est, Nihil hic opus est pluribus,vt noua qualitas antiquę aduenit, cum intenditur, ità noua quantitas antiquę cum extenditur.

1603 Ex dictis habes,quid sit rarũ,& densum, quę per modum qualitatum conci-

concipiuntur, cum re vera non sint aliquid, à re quanta distinctum, quicquid contra non *a* nemo arbitretur, nisi fortè loquatur de conceptu magis, quam de re, fateor.n. concipi quasi qualitates secundas ex primis natas, in his corporibus inferioribus quia raritas ferè à calore fit, dēsitas à frigore in subiectis debitè dispositis. *b* Est ergo rarum id, quod in parua entitate materiæ magnam habuerit quantitatem. Contrà densum id, quod in multa entitate materię paruam habuerit quantitatem.

a Ammon. in Prædicam. cap. de Quali.

b Ex Arist. colligitur li. 4. phys. t. 84. distinctiùs idem D. Tho. in 2. dist. 30. q. 2. a. 1.

1614 Sed redeo ad proprium actum facultatis augumentatiuę in viuētibus, & assero, situm esse in eo, quod viuens extenditur per eductionem nouę quātitatis ex potentia materiæ, quæ in subiecto quanto recepta facit magis quātum. Comitatur hic actus nutritionem non semper, sed certa ætate, in qua, & calor temperatè viget, & materię dispositio apta est. Differt à rarefactione non viuentium, tum quia ab anima certo quodam modo regulatur, tum quia certas habet conditiones, quas non semper habet extensio non viuentium.

1615 Has augumentationis conditiones tres esse statuit *c* Aristoteles, quibus ea distinguatur à rarefactione non viuentium, in qua eædem non reperiuntur, aut certè non omnes. Prima est, vt fiat secundum omnes subiecti partes, idest & secundum de nouo additas per nutritionem, & secūdum præexistentes. Altera, vt adiuncta sit augumentationi antecedens nutritio; non quia viuens augescat per alimenti additionem, nam non esset hoc augeri viuens secundum omnes partes; sed quia hanc habent hæ duæ operationes naturalem coniunctionem, vt sine prima secunda non sit. Tertia est, vt viuens sit idem antè, & post augumentationem, quia si corruptum rarefiat, non erit viuentis incrementum, sed non viuentis rarefactio.

c Lib. 1. de Gene. t. 32. et 33.

1616 Accommodantur verò suo modo eędem conditiones nutritioni, quæ necesse est fiat secundum omnes partes, quia cum in omnibus deperditio sit, etiam in omnibus erit indigentia restaurationis. Eadem adiunctam habet accessionem alimenti; nec.n. quod alitur ex nihilo alitur. Deniq; id, quod nutritur, idem esse debet, & ante, & post nutritionem, nam nutritio ad viuentis conseruationem ordinata est à natura, tantum ergo abest, vt per illam viuens destruatur, vt conseruetur. Vidit hæc *d* Aristoteles, sed vidit idem difficultates, quas specialiter habent prima, & tertia conditio in opere nutritionis, easq; dum voluit explicare rem visus est reddidisse explicatu difficiliorem.

d Lib. 1. de Gene. à t. 35.

1617 Difficultas est, dum dicitur nutriri viuens secundum omnes partes, quia nutritio supponit additionem alimenti, factam parti alendę, hęc verò secundum omnes partes fieri nequit, solum.n. pars parti adhærebit per iuxta positionem. Hanc difficultatem e medio sublatam putat *e* Aristoteles, vbi ait, secundum formam quidem possibile est, secundum materiam autem nō est, idest fieri nutritionem secundum omnes partes formę, non autem secundū omnes partes materię. Hic ergo nouus se nodus offert, quia in nutritione viuentis, & partium additione, noua materia noua forma, saltem partiali, informatur, sicut per vim naturalis caloris, & partes materiales, & formales periere.

e T. 35. & similia t. 37.

1618 Ergo ad vtrunq; nodum resoluendum definiendum est, quid nomine

formę

formæ, quid nomine materię hac in re Aristoteles intelligat. Nihil hic ad rem loquitur Auerroes, si vspiam habet id, quod illi *a* tributur, Aristotelem nihil aliud velle, nisi nutritionis principium actiuum esse formam, non autem materiam. Hac de re nemo dubitat, sed non tollitur difficultas in eo, quod dicitur nutritio fieri secundum omnes partes, etenim á quocunq; actiuo principio ea fit, penetrant ne se partes alimenti additę cum antiquis, an solum iuxta ponuntur? primum non dixeris, alterum verò oppugnat id, quod dicitur, nutritionem fieri secundum omnes partes.

a Apud Marsil. 1. de Gene. q. 13.

1619 Interpretantur *b* alij, viuens nutriri secundum omnes partes formæ, non autem materiæ, idest secundum omnes partes heterogeneas, non autem homogeneas. Non esset mihi difficile sententiam hanc in bonum sensum interpretari, sed hic, vbi agitur de dicto Aristotelis, placere hæc non potest quoad modum loquendi, quam nimis aperta oratione respuit *c* Aristoteles, vbi ipsam hanc rem agit; etenim principium ponit his verbis: suscipiendum autem causam, cum determinauerimus primum, vnum quidem, quod ea, quæ sunt dissimilium partium, augentur, quia ea, quæ sunt consimilium partium augentur, componitur enim ex his vnumquodq;.

b Alber. Tract. de augmẽ. cap. 8. Cõcil. Differ. 56. Marcel. suo 2. de Anima cap. 76.
c Lib. 1. de Gene. t. 35.

1620 Altera interpretatio est eorum, qui censent, omnem animam esse indiuisibilem, de quibus *d* alibi mentio facta à me est. His facilis est intellectus dicti Aristotelici; ad sunt. n. in nutritione materiales partes, quæ non vniuntur reliquis, nisi per ad hęsionem, & ideo nutritio nõ fit secundum omnes partes materiales; eædem verò ab vna indiuisibili anima informantur, & ideo quoquot sint partiales nutritiones, secũdum omnes animę partes fiunt, idest secundum vnam, & eandem animam. Falsum est principium, cui hi nituntur. Præterea nutritio fit etiam ratione formarum partialium, quæ indiuisibiles non sunt.

d Hoc eod. lib. 2. cap. 32.

1621 Tertia *e* interpretatio est, per formam intelligi ab Aristotele partes primigenias, per materiam alimentitias, ac esse sententiam, fieri nutritionem ratione partium formæ non autem ratione materiæ, quia partes primigeniæ manent eædem ante, & post nutritionem, alimentitiæ non item: Esto vera sint, quæ de permanentia partium primigeniarum dicuntur, & de vicissitudine aliarum additarum per alimentum. Non placet hæc sententia, quia nihil ad sensum Aristotelis, neq; .n. partes primigeniæ magis habent rationem formæ, quam alimentitiæ, aut hæ magis rationem materiæ, quam illæ, quia & illæ, & hę ab anima informantur, & heterogeneæ sunt ex homogeneis compositæ.

e Marsil. 1. de Gene. q. 13. Alb. de Saxon. ibid. q. 12. & aliorum.

1622 Sed quicquid tandem opinentur *f* alij, ità mihi videor, & mentem Aristotelis, & rem ipsam explicarè. fit nutritio secundum omnes partes, nec vllum est penetrationis periculum, quia dum secundum omnes partes fieri dicitur, non negatur, quin noua adueniat materia quanta, quæ adhæreat quantæ præexistenti, sed solum dicitur, nullam esse partem viuentis sensibilem, quę suam non capiat restaurationem, sicut nulla est, quæ suum non fuerit passa detrimentum à naturali calore.

f De quibus Piccolom. lib. de accret. ca. 8. Zabar. cap. 22. & alij, qui de accretione scripserunt.

1623 Hac ratione, dum nutritio fit secundum omnes partes sensibiles, & vi-

& vitatur penetrationis periculum; & verissimè fieri dicitur secundùm omnes partes formales, non autem secundùm omnes materiales. Materia dicuntur illæ partes additæ, & aliæ, quibus additio fit; nam ex his veluti ex materia viuens constat: quia ergo hæ non sunt eędem in principio, & fine nutritionis, non fit nutritio secundum has.

1624 Forma dicitur ea, quæ determinat hanc materiam, prout in ea cōnotat certam figuram totalem in toto viuente, & partialem in partibus. Secundùm has formas omnes dicitur fieri nutritio, quia materialis additio nouarum partium semper se se accommodat formæ, & figurę, quam, vel totum postulat, vel quęlibet partium.

1625 Hoc illud est *a* Aristotelis exemplum de vase semper eodem, mensurante tamen successiuè plures, & plures aquas, facta aquarum mutatione, quasi materiæ, eodemq; semper retento vase, quasi forma, quia semper eandem formam dat aquis successiuè in illud influentibus. Forma igitur viuentis est anima, eiusdemq; certa quędam quasi vasis structura concipitur ex structura organorum, quæ sibi in corpore determinat; Consumuntur corporis partes, tum homogeneę, tum eterogeneę, & per aduentum alimenti restaurantur, sed est quasi aquarum fluxus, reditusq; quia eædem semper sunt partes similares, & dissimilares in viuente, in ea figura, & constructione, quam forma postulat.

a Lib. 1. de Gene. t. 36.

1626 Restat de illa tertia conditione nutritionis dubitatio, quomodo possit viuens esse idem in fine, & principio nutritionis, cum tanta fiat materiæ mutatio, & ad huius mutationem mutentur etiam formę partiales, quę subtracto subiecto stare non possunt, quin subito corruant; Et quod magis est, in brutis, & plantis mutetur etiam forma totalis, anima, quam suprà asserui, diuiduam esse ad partium abscissionem. Scilicet facta mutatione partium, videtur necessario mutari totum; nō ergo in fine nutritionis idem numero erit, quod in principio fuit. Turpiter dant aliqui manus argumento, & de viuentibus, quasi de flumine, loquuntur, quod, cum semper fluat, fluminis non retinet, nisi idem nomen.

1627 Nec verò est hęc digna philosopho responsio, quia deficit ab Aristotele, vbi eam tertiam conditionem non minus in nutritione, quam in augmentatione requirit; & quia deficit ab ipsa natura nutritionis, nec.n. reuera hęc esset ad eiusdem numero viuentis conseruationem. Grauiora verò incommoda patitur eadem responsio, si in homine admittatur, vt benè probat *b* Marsilius.

b Lib. 1. de Gene. q. 12.

1628 Sed neq; in homine facilè est explicare, qui sit idem numero, etiamsi eadem numero forma totalis remaneat anima rationalis, indiuisibilis. Nam vt sit idem numero totum, debent esse semper eędem numero partes, cum totum nihil sit aliud, quam ipsę partes; non sunt vero eędem numero, vbi non sit eadem numero materia, &, vt benè alicubi notat *c* Scotus, vt sit idē homo numero in die iudicij, non sola anima erit eadem, sed etiam corpus. Qua in re non tutum habent perfugium, qui pro hac enodanda difficultate ponunt, omnes omnium viuentium formas totales indiuisibiles esse.

c In 4. dist. 44.

1629 Sed,

1629 Sed, vt meam tandem sentẽtiam aperiam, viuens est idem numero in fine nutritionis, quod fuit in principio, quamdiucunq; ea durauerit, quia perdurant eædem numero partes illius primæ materię, ex qua compositum est. Durant hæ contrà actionem caloris, eandemq; semper retinent, qua ratione faciunt, vt viuens esse idem numero possit, ac dici.

1630 Hanc partem putant aliqui, esse cor, sed non probo: Nam cor nutritur eadem ratione, qua reliqua membra. Intelligo igitur eas, quas medici primigenias vocant, & quæ per totum corpus diffusę sunt. Paucissimę hæ sunt, quamobrem dictum est, vt paulò antè retuli ex Aristotele, materiam fermè totã diffluere, & redire nouam, eæ tamen sunt, quę sint satis, ad numericam vnitatem retinendam.

1631 Augmentatio ad certum viuentis statum est, quem habet dependẽter à quantitate. Est enim quantitas prima materię dispositio ad quamlibet formam recipiendam, vt sæpiùs dixi. Pro formarum verò varietate quęri solet, quanta ad minimum esse debet, vt aliqua forma recipiatur, & an in tantum possit excrescere, vt quę priùs erat ad formam dispositio, sit per nimium excessum impedimentum. Est hic huius assertionis locus, vbi dissero de viuentium incremento; sed data occasione faciam id, quod reliqui eadem in re faciunt; definiam non solum de terminis paruitatis, ac magnitudinis viuẽtium, sed etiam non viuentium. Et vt ab his aggrediar, aio, elementa ex sua natura nullos habere terminos paruitatis, aut magnitudinis.

1632 Quantum spectat ad magnitudinem, hoc est, quod ait *a* Aristoteles, ipsaq; monstrat experientia, si pabulum apponatur, iturum ignem in immẽsum, ex magnitudine verò non solum non deficiet forma, sed erit ignis ardentior, & vehementior; Par est aliorum elementorum ratio.

a Lib. 2. de Anima t. 41.

1633 Quod verò spectat ad paruitatem, aio, spectandam magis esse naturã elementi, quam quod casu accidat ab extrinsecis agentibus; scilicet imminuetur ignis in eam paruitatem, in qua subitò extinguatur; decrescet aqua in tam exiguam guttulam, quæ subito exsiccetur; sed hic defectus ab agentibus contrarijs est, non à defectu magnitudinis; fac. n. ea agentia non agere, si pro paruitate forma aliquando corrumpetur, quæ forma adueniet eius loco?

1634 Mixta, siuè homogenea sint, siuè eterogenea, siuè sint ad animam ordinata, siuè secus, quantum mixta sunt, nullum habent magnitudinis terminum; Probabile verò est, habere paruitatis, siuè pro esse rei assignetur intrinsecus, quæ est minima quantitas, in qua forma stare possit, siuè pro rei corruptione extrinsecus, quę in minimis maxima est, in qua forma stare non potest.

1635 Quantum spectat ad magnitudinem, nihil mihi ex additione ostẽdes, quod sit impedimento formę, eam materiam informanti. Quantum verò spectat ad paruitatem, resoluetur tandem per diuisionem mixtum hoc, qualecunq; illud sit in eas, quibus constat, elementorum particulas, & quæ singulę sunt minores toto.

1636 Deniq; viuentia certum habent magnitudinis terminum, certũ paruitatis, quos naturali incremento nunquam excedent; Quin etiamità hęc deficiunt

ficiunt à ſuis perfectionibus naturalibus, propter incurrentia ab extrinſeco impedimenta, vt magnitudinis terminum vix vnquam attingant. Dixi naturali incremento à naturali animę facultate, ne vllũ ſit mihi negocium cũ quibuſdã cauillatoribus, qui, vbi hominem ad iuſtã magnitudinẽ produxerunt, importunè quęrunt, an ſi equuleo torqueatur, ſubito moriturus ſit, quia diſtẽſione mẽbrorũ fit ſe ipſo maior? an ſi podagra laboret, quia pedes intumuerunt? Nihil hęc ad rẽ faciunt, vbi de naturali incremento aſſertio eſt.

1637 Intrinſecus magnitudinis terminus horũ viuentiũ eſt maxima quantitas, in qua viuere poſſint, extrinſecus eſt, in maximis minima, in qua viuere non poſſunt. Termini vero paruitatis, intrinſecus eſt minima quantitas, in qua viuere poſſunt, extrinſecus maxima quantitas inter minimas, in qua viuere non poſſunt. Et hi ſunt vulgati illi inter Philoſophos termini, duo magnitudinis, vnus intrinſecus, alius extrinſecus, qui ſunt, Maximũ quod ſic, Minimũ, quod non, totidẽ paruitatis, vnus itẽ intrinſecus, alius extrinſecus, qui ſunt, Minimum quod ſic, & Maximum quod non.

1638 Diuerſa eſt animatorũ, & inanimatorũ ratio; habent .n. animata, & animalia maximè ſuã vitã dependenter à mẽbro aliquo principali, à quo mẽbra reliqua reguntur, & gubernantur, non ergo debent nimiũ diſtare ab illo, ſed certa quadã proportione. Vſus etiã variorũ inſtrumentorũ, quę concurrunt ad opus augmentationis, facit certũ aliquẽ eius finẽ, quia facit aliquam in ijſdem intemperiem.

1639 Rem hanc aptiſſimo ſimili deſcripſit alicubi [a] Ariſtoteles, vbi ſimilitudinẽ quandã agnoſcit inter vnius ciuitatis ab vno Principe adminiſtrationẽ, & vnius viuentis à principe corde regimen. Et in hoc, & in illa iuſtã quãdã exigit magnitudinẽ, ad quã videlicet ſe cõmodè extendat finita principis virtus: Eſt, inquit, quędã menſura magnitudinis ciuitati, queadmodũ, & aliorũ omniũ plantarũ, animaliũ, inſtrumentorũ, nam horum ſingula neq; parua nimiùm, neq; magnitudine exceſſiua ſuã potentiam retinebunt, ſed aut deſtituta erunt omnino à natura, aut male habebunt.

[a] Lib. 7. Polit. cap. 4.

1640 Tertia vegetantis animę facultas eſt generatiua, omnium pręcipua; ſi naturę vniuerſalis intentionẽ ſpectes, [b] cuius eſt, ſpecierũ conſeruationi prouidere. Hanc habent ex natura ſua viuentia, quatenus viuentia ſunt, ſiuè plãtę fuerint, ſiuè animalia, nam quãuis non omnia actu generent, procedit hoc ex imperfectione particulari, quæ ſe potiùs teneat ex parte inſtrumentorum, quam ex parte animæ.

[b] Lib. 2. de Animat. 34.

1641 Dicitur [c] generatio, prout eſt huius virtutis actus, proceſſio viuentis à viuente, principio coniuncto, ſecundùm ſimilitudinem naturæ. Pro diuerſa generantium, ac genitorum conditione communis hæc omnibus deſcriptio accipienda eſt diuerſimodè, ex parte modi generationis, neq; neceſſe eſt, vt vna ſit generantis, ac geniti natura; ſed ſi fuerit, eo perfectior erit communicatio, qualis eſt in generatione æterna ęterni Filij ab æterno Patre procedentis. Sed de humanis ego loquor, qui naturalis philoſophię terminos non excedo.

[c] Ex communi Theolog. ſententia cũ Magiſtro in 1. diſt. 13. cũ D. Tho. 1. p. q. 27.

1542 Fit hæc communicatio naturę ſimilis, per deciſionem ſeminis à viuẽte,

te,quod proportionatę materię admixtum, aptum ſit inſtrumentaliter operari,& producere viuens,ſimile illius viuentis,ex quo ſemen decisũ eſt; Quod ſi quid ſpecialis materię diſpoſitio variauerit, vt genitum nonniſi in proximo quodam genere cum generante cõueniat,minus perfecta generatio erit, quã cum planè ſynonima fuerit.

1643 Si verò in remotiori genere conuenientia ſit,vt cum ex putridis carnibus vermes prodeant,non eſt generatio, quæ ſit huius animę actus, tũ ex defectu debitæ ſimilitudinis,tum quia non eſt hæc naturę inſtitutio, ſed accidẽtarius effectus ex cauſis accidentaliter coniunctis.

1644 Non attingit immediatè anima vegetatiua per ſuã generandi potentiã productionẽ viuentis,ſed tantum elaborat in ſemine perficiẽdo, quod decisum operetur, vt inſtrumentum ſeparatum. Hoc non ſemper eſt inanimatum,viuit.n.in aliquibus plantis, ſi non in omnibus, certè in multis,in quibus ſeminalis hæc virtus diffuſa eſt per totũ plantæ corpus, ità vt ex quolibet ramuſculo,in terram defoſſo,enaſci planta poſſit, apta flores, aut fructus ferre, ſicut ferunt alię plantę, quæ ex ſeminibus propagatæ ſunt. In alijs plantis, in quibus ſemina diſtincta ſunt, ſi ea habeant vicem ſeminis,& fructus,viuũt, quamdiù adhęrent plantę,ſeparata verò non item, ſed ſunt nihilominus apta ad inſtrumentalem generationem.

1645 Cum agentia naturalia generant ſibi ſimile, v. g. cum ignis ignẽ, diuerſæ conditionis eſt hæc generatio ab ea,quæ in viuentibus reperitur. Neq; enim in igne eſt ea particulę dicisio,ratione cuius in aliquo principio ſit geniti,& generantis coniunctio. Generat videlicet ignis,agendo extrà ſe, & nihil ſui dando,ſed ſolum diffundendo virtutem; Viuens verò generat, dando aliquid ſui, & hanc ob rem propria viuentis generatio indicata eſt ab [a] Ariſtotele ſub illo eodem conceptu, quo fuſius, ac diſtinctius à Theologis explicatur, vbi dicit,generationem eſſe primam participationem cum calido animę nutritiuę.

[a] De iuuentute ſenectute &c. c.14.

1646 Cum ſit in viuente virtus excoquendi, generationis inſtrumentum ſemen, cum ſit in ſemine viuificus quidam calor productiuus viuentis, dubitant philoſophi, vna ne ſit generatiua potentia & ea in viuente ne,an in ſemine,vel potius duplex. Equidem probè video, duas eſſe virtutes neceſſarias, cum duo ſint opera, non ſolum ratione, ſed re ipſa ſeparata,vnam,qua conficitur ſemen, alteram, qua ex eo prodit diſtinctum viuens.

1647 Placet tamen aſſerere,eam virtutem,quę ſit vegetantis animæ potentia, vnicam eſſe, inq; ipſo viuente, cuius opus ſit, ſeminis elaboratio,vt dixi. Satis.n.hic anima operatur ad eum finem, qui intenditur, ideſt ad immortalitatem ſpeciei, nec virtus ſeminis quicquam eſt diſtinctum à proprijs qualitatibus,quas poſtulat illius mixti natura.

VNI-

VNIVERSA ſentiendi ratio.

CAP. XXXVII.

1648 EST anima ſenſitiua principium primum ſenſationis. Diuerſarum virtutum munera, quæ habet, infrà perſequar, hic vniuerſum quemdam operandi modum trado. Et quia operationum pręcipua ſenſatio eſt, à qua mouetur poſtmodùm appetitus, & ſępè etiam ſequitur localis motus, ſenſationis modus viam aperiet ad reliquas operationes. Eſt ſenſatio auctore *a* Ariſtotele, quędā quaſi alteratio; infertur enim paſſio à ſenſibili; nec verò ſentiet, niſi hac paſſione moueatur.

a Lib. 2. de Anima t. 37.

1649 Hinc ſuſpicati ſunt non *b* pauci, animal ſentire patiendo, non autem agendo: ſcilicet in eo eſſe ſenſationem, quòd obiectum ſenſibile, vel eius ſpecies in ſenſorio recipiatur. Aliam viam in eadem ſententia *c* alij ineunt; ſenſum paſſiuè ſe habere, ſed eius paſſionem, qua ſentire dicitur, eſſe in receptione ſenſationis, quam aliqui à Deo, auctore naturæ, eſſe volunt, alij á ſpecie ſenſibili. Nihil horum placet, quia ſentire non ſolum eſt pati, ſed etiam agere.

b Thiennen. Tignos. Venet. Niphus in 2. de Anima.
c Auer. 2. de Anima Com. 60. Alb. Sum. de Homine & in 2. de Anima.

1650 Fatentur hoc alij, ſed, vt patiatur ſenſus, antequam agat, duos faciunt, vnum agentem, alterum patientem, à primo aiunt, moueri ſecundum, dum ſpecies ſenſibilis imprimitur, poſt hanc verò impreſſionem ſecundum agere, eliciendo ſenſationem. Ego verò cum D. *d* Thoma, & *e* Græcorum optimis aſſero, nullam eſſe huius agentis ſenſus neceſſitatem, ſiuè illi demandetur productio ſpeciei ſenſibilis, qua moueat ſenſum patientem, ſiuè quid aliud. Satis.n.pro eo eſt obiectum ipſum, aut obiecti vicaria ſpecies, quę in externos ſenſus ab obiecto tranſmittitur.

d 1. p. q. 79. a 3. ad primum.
e Simpl. 3. de Anima Theophr. de Anima Themiſt. in 2. de Anima Plotin. Enn. 4. lib. 6. cap. 2.

1651 Errant

1651 Errant autem, si parem hi fecerint rationem animæ, quà intelligit, & quà sentit, etenim ad operandum necessaria est coniunctio potentiæ cum obiecto, vel obiecti specie; sed quia ad hanc vnionem in sensu satis est efficacia obiecti; ad vnionem verò in intellectu non item; hinc est diuersa philosophandi ratio de intellectu agente, quo de *a* infrà dicam, ac de sensu agente, de quo nunc loquor, & cuius vicem habere dico obiectum ipsum, quà sui speciē, vel realē ipsam qualitatē transmittere aptum est in sensorium materiale.

a Hoc eod. lib. 2. cap. 41.

1652 Igitur in sensatione passio est, qua recipicitur species sensibilis, vel realis ipsa qualitas; actio verò potentię est, qua elicitur operatio, animæ propria. Qua in re anima, & actiuè se habet, eliciendo, & passiuè, immanentem in se operationem recipiendo.

1653 Vera sensationis ratio non in illa pręuia passione sita est, sed in actione hac posteriori cum vltima passione, idest cum receptione coniuncta. Hoc illud est *b* Aristotelis cōtrà Democritū agentis, si visio sit imaginis impressio in oculū, fore vt ēt speculū, vel aqua videat, in quib⁹ similes fiūt impressiones.

b Lib de Sensu & sensibili ca. 2.

1654 Argumento est aliquibus, sensationē fieri sola passione ab extrinseco agente, quia, vt notat *c* Aristoteles, & res ipsa docet, in sensu tactus, cuius organum naturalibus qualitatibus affectum est, eæ non sentiuntur. Ergo quia deest passio ab extrinseco agente, quę si desit, nō magis in his sensus suas qualitates percipiet, quā ignis seipsum amburat. Leue hoc ego dixerim argumentū, etenim necessaria est extrinseci agētis motio, vt sensus operetur, q̃a passiua potētia est, sed nego, in ea passione sitā esse sēsationē, nisi materialē, & pˀuiam.

c Lib. 2. de Animat. 52.

1655 Argumento est alijs *d* Aristotelicū problema, vbi ait, esse in partibus animalis dexteras sinistris fortiores, & expeditiores ad agendum, sensus non item, sed valere sinistrū dextero nihilominus. Diuersitatis causā exponit Aristoteles; nā partes agūt dū pes, dū manus aliquid mouet, quare & illa validior in agendo erit, cui insit agēdi vis maior; patiuntur verò sensus in suis sensationibus, & patiuntur æqualiter, quia siuè sinistri fuerint, siuè dextri, æqualiter mouentur ab obiecto. Problema verum est.

d Sect. 31. nu. 12. & 15.

1656 Sed nego ex eo quicquam inferri, quod sensuum actionem excludat; sequitur .n. actionis probitas motionē, & ab ea pēdet; Quare vbi motio ęqualis fuerit in sensibus, æqualis item sensatio erit in ijsdem, secus ac accidat in manibus, & pedibus, quarum partium operatio pendet à cordis influxu, qui non diuiditur in has partes æqualiter.

1657 Ipsū hūc operādi modū distinctius indicabit obiecti designatio, circà q̃ sensus operatur. Sēsibile hoc dicitur noīe generico, & q̃a in sēsibus internis nihil est, q̃ nō habuerit ad eos accessū ꝑ sēsus externos, pono hic, quinq; esse sensus externos, Visum Auditū, Olfactū, Gustatū, Tactū, vt ex his de sensibili loquar in vniuersum, q̃ sē his obijcit, & per hos sensibus internis. Pręstat hoc *e* Aristoteles diuidendo sensibile, quod aliud est per se; aliud per accidens, & quod per se est, aliud proprium, aliud commune.

e Lib. 2. de Animat. 63.

1658 Sensibile per se dicitur, quod verè, & ratione sui sensu percipitur; Per accidens verò illud, quod nōnisi ratione alterius, cum quo coniunctū est habet quandam denominationem sensibilis, vt si album sit Diaris filius, inquit Aristo-

a Ariſtoteles,ſecũdum accidens enim hoc ſentit,quoniam accidit albo hoc, quod ſenſit quà propter nihil patitur, ſecundum qnod huiuſmodi eſt à ſenſibili.

a Ibid.tex.65.

1659 Ipſum hoc, quod per ſe ſentiri dicitur, duplex eſt ideſt aliud propriũ, aliud commune: Proprium eſt, quod nõ niſi ab vnico ſenſu percipitur; Commune, quod percipitur pluribus ſenſibus.

1660 Nec verò neceſſe eſt, vt quod commune dicitur, percipiatur omnibus externis ſenſibus, ſatis enim Ariſtoteli eſt pro diſtinctione à proprio, ſi ſub plures cadat, cum proprium nonniſi ſub vnum, & hæc eſt *b* Ariſtotelis interpretatio, vbi habet: Duorum autem aliud quidem proprium eſt vniuſcuiuſq; ſenſus, aliud autem commune omnium.

b Ex Philop. in 2. de Anima t.63.

1661 Numerantur communiter cõia hæc ſenſibilia quinque; Motus, Quies, Numerus, Figura, Magnitudo. Dubitauerit aliquis hic, an numerus percipiatur ſenſu, cum *c* ſolus homo poſſit numerare, ſiuè ille dicatur eſſe in collectione multorum, ſiuè in negatione continui. Res non adeo difficilis eſt; nam ſatis percipitur numerus ſenſu, dum plura ſenſum mouent, eſto ignoretur formalis ratio numeri.

c Ex Ariſtot. ſect. 30. Probl. n. 5. vbi reddit rationẽ cur potius homini, quam reliquis animãtibus credendum ſit.

1662 Sed repeto hic id, quod in alijs pluribus diuiſionibus conſtanter aſſero: negari non poſſe, quin anguſtior, aut latior fieri queat hæc communium ſenſibilium enumeratio, cum præſertim *d* Ariſtoteles non tam numeret, quam meminerit gratia exempli, vt communia, quæcunque tandem ea ſint, à proprijs dignoſci queant ex duobus indicijs: ſcilicet, quà ſenſibilia ſentiuntur per ſe, & quà communia, non ſub vnum, ſed ſub plures ſenſus cadunt.

d Lib.2. de Anima. t. 64.

1663 Cadere autem dicuntur, quacunq; tandem ratione ſenſatio immutetur, vt ſcias, etiam quietem oculis percipi, quatenus non eadem eſt rei ſtantis, ac motæ viſio.

1664 Vera eſt *e* Ariſtotelis doctrina, vbi diſcrimen ponit inter ſenſibile proprium, & commune, prout ſenſibus externis obiectantur: ſcilicet circà ſenſibile proprium nunquam contingere errorem; contingere autem circà commune, quod proprio adiunctũ eſt, Non decipitur, inquit, quiſquã quod color ſit, neq; quod ſonus, ſed quod ſit coloratum, aut vbi, aut quid ſonans, aut vbi.

e Lib.2. de Anima t. 63. & 161. item lib. 4. meta. t. 21. 24. 25.

1665 Nec verò mihi hic multas experientias inculces; audi *f* Ariſtotelem eundem: Senſus propriorum quidem eſt verus, aut quam pauciſſimum habens falſum. Intellige igitur; poſita debita diſtantia, diſpoſitione medij, & organi ſanitate, ſi contingat error illum futurum potiùs in ſenſibili communi, quam in proprio.

f Tex.cit.161.

1666 Sicut agentia naturalia, vt agant, vicinitatẽ quandã, aut contactũ poſtulant cum paſſo, ità potentiæ, vt circà propriã materiam operentur, cum ea coniungi debent. Fatentur hoc omnes, quod etiam expreſſe in re præſenti ab *g* Ariſtotele traditum eſt, ſed quæ ſit coniunctio non omnes pariter cenſent.

g Lib.2. de Anima. t.60. & ſæpè alibi.

1667 Ego verò ex hoc ipſo principio, qđ ad operãdũ neceſſaria ſit aliqua obiecti cũ potentia cõiunctio, cenſeo neceſſariã eſſe ſpeciẽ intentionalẽ quæ quaſi vicaria obiecti ſit, vbi obiectũ ipſum cum potentia coniungi nõ poſſit.

1668 Species intentionalis est accidens, ab obiecto transmissum per medium ad potentiam, repræsentatiuum obiecti,& determinatiuum potentiæ ad operandum circà illud, quod specie mediante debitè vnitur. Sensibilis dicitur huiusmodi species, cum seruit sensibus, siuè externis, siuè internis, intelligibilis verò, cum seruit intellectui. De sensibili loquor, quæ cum multa habeat similia speciebus intelligibilibus, valdè tamen differt, & in natura, quia materialis est, & in modo suæ productionis, quia actiuè ab obiecto est.

1669 Vt species est, nunquam percipitur sensu; nec enim est obiectum, sed loco obiecti, & id, quo sentitur aliud, non quod sentitur. Sic intelligibilis species, quà speciei munus habet, non intelligitur, sed est pariter id, quo intelligitur aliud. Quod si habeat eam vim intellectus, vt in species ipsas, tanquam in obiectum, intendat, id habet, non cognoscendo ipsas, quales in se ipsis sunt, sed per species alienas, & improprias, qua ratione intelligimus etiam ea, quorum proprias species non habemus.

a Ocham in 2. d.3.q.17.Gab. q.2. Gregor. in 1.d.3.q.1. ex recentioribus Dandinus in li. 2. de Anima Digress.30.

1670 Sunt *a* qui, quod spectat ad externos sensus, velint, nullam esse necessariam speciem intentionalem ad eorum operationem. Nam quod spectat ad tactum, gustatum, olfactum, auditum, ipsa sensibilia secundum suum esse reale satis vniuntur sensorijs, ergo nulla necessaria est species, obiecti vicaria, vbi ipsum obiectum adest. Assentior his hac in parte, sed ex eodem principio contrà eosdem sentio, necessariam esse speciem intentionalem ad videndum, quia ad visum non peruenit ipsum reale obiectum.

1671 Nec mihi contrariam sententiam persuadent, qui longam hac de re discussionem texuerunt, quà facilius probant, se non esse hac in re Peripateticos, quam species è medio tollant. Verentur, ne sensus deludantur, vbi rerum imagines percipiant, non res ipsas, vbi spectris his delectentur, non ipsis realibus obiectis. Nihil tamen est, quod timeant, cum non percipiantur species, vt dixi, sed obiecta realia per species.

b Alex. Philop. Themist.

1672 Adducunt ijdem ex Græcis *b* interpretibus non ignobiles, vbi sensus passionem in receptione sensationis agnoscunt, & vbi sensationem ipsam speciem, ac formam obiecti vocitant. Sed non sunt hæc maioris momenti, quam priora. Patitur ergo sensus recipiendo sensationem, sed & prius passus, alteratusque est, recipiendo obiectum, aut obiecti loco speciem. Est in sensu obiecti species, ac forma ipsa sensatio, sed est aliquandò species intentionalis, vt ad huius impressæ imitationem illa exprimatur.

1673 Sed esto velint hi Græci, non pati sensum, nec transformari in rem sensatam, nisi per expressæ speciei receptionem. Hæc si sit Peripatetica doctrina, non solum species intentionales excluduntur, sed corruit principium, quod ijdem ponunt: videlicet necessariam esse coniunctionem obiecti cum potentia.

1674 Nec verò dici potest, satis esse modicam distantiam. Nam quantu-

quantulacunque ea ſit, ſi nec mathematicus, nec phyſicus contactus fuerit, actio nulla erit. Et quæ tandem erit medij neceſſitas ad videndum, ſi per medium nihil tranſmittitur? An non vides, redijſſe, ſi ſpecies negas, *a* Democriti ſententiam, qui per vacuum acutiſſimum poſſe eſſe proſpectum aſſerebat?

a Apud Ariſt. lib. 2. de Anima t. 74.

1675 Sed per medium (inquies) lumen ad oculum peruenit, & ideò nulla eſſe poteſt in vacuo viſio, ſicut nulla in tenebris. Sat habeo; ſed cum lumen ſit idem, cur illuminata non ſe referunt eadem, ſed varij coloris?

1676 Admiſcetur (inquis) lumini color. Sed contrà: qui nam color? realis ne? at hoc eſt dicere, pariter recipi in viſu reale obiectum; ſicut in guſtu ſaporem, in olfactu odorem, in tactu tangibiles qualitates, in auditu ſonum, ſolumque hos ſenſus differre, quia hæc ad ſuos ſenſus perueniunt etiam in tenebris; color verò ad oculum, nonniſi deductum à lumine. quam ego ſententiam in ſchola Peripateticorum, & nouam, & falſam cenſeo. an verò intentionalis? at hoc eſt ſpeciem aſſerere, quam negas.

1677 Maior mihi difficultas eſt, qua ratione ſenſus vllus operetur non per ſpecies intentionales in ſe receptas, ſed per reales qualitates; ſi verum ſit illud *b* Ariſtotelis dictum; ſenſibile ſuprà ſenſum poſitum non facere ſenſationem; facit nimirum ſapor guſtatum, ſonus auditum, odor olfactum, & tangibiles qualitates tactum. Non placet huius nodi diſſectio, quam *c* quidam faciunt: ſenſibile ſuprà ſenſum poſitum non facere ſenſationem, ideſt non ſentiri, quatenus ſuprà ſenſum ponitur, ſed quatenus in ſenſum imprimit, vel ſui ſpeciem, vel realem qualitatem. Contrà hos eſt, quia nunquam ſenſibile facit ſenſationem, etiam ſi in debita diſtantia ponatur, cum ipſa eius poſitio non faciat, vt ſentiatur.

b Lib. 2. de Anima. à t. 73.

c Scotus. 2. de Anima & alij quidam apud Ferrar. Ibid. q. 21.

1678 Nec melius his philoſophantur *d* alij, qui, vt diſtinctè notent illud ſenſibile, quod ſuprà ſenſum poſitum non facit ſenſationem, diſtinguunt qualitatem productam, diffuſamque per medium ab ea, quæ in obiecto eſt; Illam volunt eſſe minùs materialem, ac propterea ſentiri, etiam ſuprà ſenſum poſitam; quæ verò in obiecto eſt, eſſe magis materialem, & poſitam in ſenſu ſenſationem impedire. Si de ſpeciebus agamus, vera eſt doctrina, vbi eæ minùs materiales dicantnr, quam obiecta ſenſibilia, ex quibus emittuntur; Sed nihil ad rem præſentem. Si verò agamus de realibus qualitatibus, quæ in aliquibus organis recipiuntur, falſum eſt, eas eſſe minùs materiales, cum ſint ab agente vniuoco.

d Aegyd. 2. de Anima t. 121.

1679 Ergò, vt ad rem propius accedam, ſic interpretor Ariſtotelis dictum. Senſibile, ideſt materiale obiectum externum, quod ſenſibili qualitate affectum eſt, poſitum ſuprà ſenſum, ideſt immediatè tangens organum contactu mathematico, non facit ſenſationem, ideſt non percipitur, vel quia ſenſus poſtulat ſpeciei receptionem, quæ non niſi per medium illuminatum transfunditur, vt accidit in viſu, vel quia poſtulat, vt realis

qualitas per alicuius saltem intrinseci medij interpositionem attemperetur sensui.

1680 Accommodari ergo potest Aristotelis dictum ad omnes sensus externos, etiamsi non omnes operentur per speciei intentionalis susceptionem. Nec mihi illud inculces, *a* omnes sensus, dum sentiunt, esse susceptiuos formarum sine materia. Nam, quicquid alij sentiant, sententia hæc est, aliter res sensatas agere in sensus, ac agant in subiecta inanimata, scilicet postquam sensus præmoti ab ijs sunt, induuntur forma sine materia, idest operatione ipsa, quæ obiecti expressiua, & imitatrix est, longè verò minùs materialis, quam sit obiectum ipsum in se. Nec verò hoc in subiectis inanimatis contingit, quia siuè qualitatem realem recipiant, siuè intentionalem, nihil ad hanc præmotionem operantur, nec rei formam in se exprimunt.

a Ex Aristo. lib. 2. de Animat. 121.

1681 Rursus verum est illud ipsum Aristotelis dictum de sensibus omnibus, & vera est ratio, quam idem reddit, videlicet, quia, vt operentur, requirunt necessariò aliquod medium inter se, & obiectum interiacens. Hoc medium extrinsecum esse debet inter oculum, & colorem, idque postulat ipsa transmissio speciei, quæ nonnisi per medium illuminatum procedit; in reliquis verò sensibus satis est medium intrinsecum, vt per illud sensibilis qualitas magis congruat potentiæ; vehemens enim sensibile lædit sensum, Et vehementiæ illi æquiualet appositio immediata.



SENSVS EXTERNI.

CAP. XXXVIII.

1682 NOBILISSIMVS externorum ſenſuum eſt ſenſus viſus, vel propter operandi modum, qui quodammodò ad ſpirituales operationes accedit, vndè & ſpiritalis dicitur, vel propter vtilitatem, quam habet ad ſcientias capeſcendas ex rerum experientijs, vt benè *a* Ariſtoteles animaduertit; & ideò propterea ego exordior cũ eodem *b* Ariſtotele diſputationem hanc de ſenſibus in particulari, de externis prius acturus, mox de internis.

a Lib. 1. meta. init.
b Lib. 2. de Anima. t. 66.

1683 Ex obiecto potentia noſcitur, ipſaq; operatio. Eſt autem color, ſed nō ſine lumine, lumenq; ipſum, dummodò terminatum ſit, & coloris potiùs vicem habeat, quam luminis.

1684 Opinati ſunt *c* aliqui hæc duo non niſi nomine diſtingui, ſcilicet colorem non eſſe, niſi lumen, ſeù diſpoſitionē quandam in mixtura elementorum ad lumen recipiendum, ità vt lumē idem diuerſos colores referat, pro diuerſitate diſpoſitionũ. Non placet hæc ſententia, quæ rebus omnibus, extincto lumine, colores detrahit, luminiq; plus defert, quam par ſit, ſcilicet non ſolùm munus oſtendendi ea, quæ natura pinxit, ſed etiam pingendi.

c Auempace apud Auer. li. 2. de Anima. Albert. ibid. et in lib. de ſenſu, & ſenſili.

1585 Nec verò his fauet id, quod habet *d* Ariſtoteles, lumen facere, vt qui erant colores in potentia, ſint actu colores. Hanc enim illis actualitatem non dat, niſi quatenùs ex eo præexiſtente ſpecies excitat, quæ per medium delatę actuent viſum, in quo colores, qui prius erant in potētia, ſint, p lumē, actu. Sic intellectus agēs facit eſſe intelligibile actu id, quod nōniſi potētia intelligibile prius erat nihil addito rei, ſed itellectui, vt *e* infrà explicabo.

d Lib. 3. de Anima. t. 18.
e Hoc eod. lib. 2. cap. 41.

Audiant hic ijdem *a* Aristotelem, vbi ait, colores inesse rebus, etiam dum in tenebris latent.

a Lib. 2. de Anima t. 66.

1686 Dixeris ergo melius cum *b* Aristotele, lumen esse actum perspicui, secundum quod perspicuum est; colorem verò esse motiuum secundum actum perspicui. Vtraque est qualitas, lumen à corpore aliquo luminoso, siuè illud ignis fuerit, inquit Aristoteles, siuè aliud è cœlestibus corporibus; color verò ex admixtione elementorum, si de veris coloribus loquamur, qui in re sunt, non autem de apparentibus, qui ex reflexo lumine apparent, habente coloris locum ipso lumine terminato.

b Lib. 2. de Anima t. 69. & 73.

1687 Descriptiones verò illę traditę sunt, non prout hæc spectantur in genere qualitatum, sed prout faciunt ad visionem; qua in re lumen actuat aerem, seù quodcumq; aliud sit simile perspicuum; color verò illuminatum aerem mouet, sui speciem transmittendo.

1688 Difficile *c* alicui visum est, generari colores ex elementorum admixtione, prout illa calida, frigida, humida, sicca fuerint: mauult ex ijsdem nasci, prout luminosa fuerint, vel tenebrosa, perspicua, vel opaca, ità vt veri colores ab apparentibus non differant, nisi quatenus lucidi, & opaci permixti, diligentius, & accuratius elaborata fuerit. Vbi is vim facit in Aristotelis dictis, digreditur ab Aristotelis mente; Etenim is de colore loquitur sępissimè, vt de obiecto visus, seù verus color sit, seù lumen, coloris vicem gerens, quod nihil facit ad coloris generationem.

c Hier. Dadino lib. 2. de Anima Digres. 35.

1689 Aio igitur ex primarum qualitatum temperamento nasci has secundas, sed pro varietate plurimum facere substantialium partium compositionem.

1690 Duo sunt colores *d* extremi, albus, & niger; Sunt autem inter hos medij complures, qui possunt ad hos extremos magis, & minus accedere, vndè mihi probabile fit, vix vllum esse certum numerum specierum, quæ inter hęc duo extrema continentur; Non quia actu dentur plures, & plures, sed quia dari non possunt, sicut inter duo puncta plures, & plures partes.

d Ex Arist. lib. 1. phys. t. 47.

1691 Non nego tamen quin eorum colorum, qui in mixtis nunc reperiuntur, congruè enumerentur species septem. Medius inter extremos est viridis, *e* oculis propterea gratissimus, quia æqua proportione ab ijs distat; ad album accedit magis puniceus, minus cœruleus, ad nigrum accedit magis purpureus, minus rubeus.

e Ex Arist. Sect. 31. Probl. nu. 20.

1692 Mediorum colorum compositio ex extremis fit, sed dupliciter; aliquando sine vlla alteratione miscibilium, sed per solam iuxtapositionem, imperfectamq; mixtionem, & hæc, mea sententia, non facit varias colorum species; Aliquando miscibilium iuxtapositioni qualitatum alteratio adiuncta est, & in his censeo, facta noua temperie, nouum specie colorem produci.

1693 Pictoribus in vsu illa prior, sed non est denegandum, quin etiam ars possit ità tractare, ac componere colores extremos, vt vera species media fiat, non ab arte, sed à natura, dum ars applicat actiua passiuis.

1694 Lu-

1694 Luminis productio à corpore luminoso est, apto eam, quam in se habet, lucem diffundere in corpus perspicuum, contrà quadam ratione, quæ longè diuersam esse naturam luminis, & aliarum qualitatum, perspicuè ostendit.

1695 Diffunditur enim hoc vniformiter difformiter in instanti, quia nullius contrarij resistentia est, diffunditur ad longissimam distantiam, qua ratione etiam species intentionales, ad quas deferendas lumen à natura datum est. Diffunditur cum facultate retrocedendi, si certum quoddam impedimentum offendat, quod etiam speciebus intentionalibus competit. Diffunditur vnicum, sed quod cum alio alterius lucidi corporis lumine non faciat vnum. Etenim sicut species intentionales, quantumuis eiusdem rationis sint, multiplicari possunt in eodem subiecto, ità & lumina, dum sint à pluribus lucidis.

1696 Distingui solet lux, lumen, radius, iubar, splendor; sed est sola, vocabulorum distinctio, cum eadem semper sit natura luminis, vbi vbi illud sit, & qualecunq; det spectaculum sui.

1697 Lucem vocant eam, quæ in primo luminoso sit; lumen illud, quod à luminoso corpore diffusum est; Radium, qui per lineam rectam deriuatur à corpore luminoso ad terminum, & rectus is est ad vsque terminum, reflexus verò cum resilijt, aut per lineam eandem perpendiculariter, aut per non eandem, facto angulo acuto, aut obtuso; Iubar dicitur, ampla radiorum diffusio; splendor, qui ex termino redditur, quasi ex imagine corporis luminosi. Non aspernor hanc vocabulorum distinctionem, sed neq; putidè consector.

1698 Sed cum certum, exploratumque sit, lumen à lucido corpore in medium diffundi, visa est *a* alicui noua commentatione digna quæstio, an ex materia perspicui educatur hæc qualitas, sicut aliæ omnes materiales qualitates. Venit ei in mentem, translatè dicta à Platonicis, & non raro etiam à Peripateticis, interpretari, vt sonant. Lumen illi sæpè vocant spiritalem qualitatem, quæ ad lucidi corporis positionem ex se foras exiliat. Annuit is, ac censet, diffundi à lucido corpore qualitatem hanc per medium, & spiritalem meritò dici, quia de potentia materiæ non educitur. addit, hæc se proponere ad experimentum ingenij. Sed mihi illa experimenta non placent, quibus physica principia euertuntur.

a Hier. Dand. in 2. de Anim. Digress. 37.

1699 Producitur ergo lumen à lucido corpore, dum ex potentia materiæ educitur, medio passiuè concurrente; nec vbi qualitas hæc spiritalis dicitur, materiæ concursus excluditur, sed ea huius qualitatis natura indicatur, quam esse diuersam à reliquis, & maximè affinem speciebus intentionalibus exposui.

1700 Et verò, si quis in natura effectus sit, non concurrente materia, qui cō stet numerus quatuor causarum? qui non dicatur creatio ex nihilo? qui dicatur agere agens, & non potiùs suspicetur aliquis, posita sola agentis præsentia, tanquam conditione, ipsam per se prodire actionem, & ex actione effe-

ctum? Hæc si in vno effectu dixeris, cur non in omnibus?

1701 Potentia visiua organica est, addictaque in sua operatione oculo, quod ei datum est, vt proprium instrumentum ad videndum. Quamquam prudenter dubites, dati ne sint animæ oculi ad videndum potiùs, quàm vt ipsa per oculos videatur, tanta, tamque potentia, in homine præsertim, sunt indicia animi, quæ ex oculis capiuntur. De ipso etiam corporis habitu sumi posse coniecturam, *a* alicubi testatur Hippocrates, nam afficitur corpore animus, animo oculi, quare ex horum affectione licebit primam affectionis originem deprehendere.

a In 6. Epidē sect. 4.

1702 Oculorum structura planè admirabilis est. Figuram rotundam habent, non solum ad receptionem specierum commodam, & ad facilem motum; Sed etiam ad organi tutelam, ad quam eandem rem, intus conditi sunt, palpebræ superinductæ, & alia similia addita munimenta.

1703 Tota constructionis materia sunt tunicæ aliquot, siuè membranæ, & humores. Tunicæ plures ab alijs numerantur. Sed haud scio, an sint plures tribus, vel quatuor, quæ à diuersis muneribus plura nomina sortiuntur.

1704 Prima sit, quæ totum oculum vestit, & adnectit non solùm neruis opticis, à quibus hæc membrana deducitur, sed etiam alijs partibus, quibus oculus internè adhæret. Hæc in parte anteriori dicitur cornea à similitudine. Altera dicitur vuea, quia vuæ nigræ acinum refert, à quo auulsus sit pedunculus; habet enim illud orbiculare foramen paruum, vbi pupilla est, oculi fenestra. Dicitur hæc eadem secundina pluribus irrigua venis in parte interiori, vt sibi, & reliquis habeat nutrimentum. Tertia dicitur reticularis, quia retis habet similitudinem: intùs reposita hæc est, sed in anteriori oculi parte tenuissima ducitur, vndè araneæ nomen habet, siuè eadem sit cum reticulari, siuè quarta numeretur.

1705 His tunicis tres continentur humores; Primus est aqueus subalbidus, positus in anteriori oculi parte inter corneam, & vueam, quin etiam per vuueæ foramen illapsus inter vueam, & araneam diffunditur. Alter est cristallinus aranea obtectus, intrà quam in globulum rotundatur figuræ lenticularis. Tertius est humor vitreus, fuso vitro similis. is reticulari tunica inclusus semiglobulum facit humori cristallino substratum, vt in eo is veluti infixus contineatur.

1706 Ex his habes definitionem diù *b* agitatæ quæstionis apud Platonicos, & Peripateticos, sint ne oculi naturæ igneæ, vt Platonici volunt, an aqueæ, vt Aristotelici. Humores hi facilè monstrant, oculum magis esse aqueæ naturæ, quam igneæ, & verò aptior est aquæ natura, ad eam perspicuitatem, quam specierum, ac luminis receptio postulat, quam natura ignis, qui innato lumine esset visioni impedimento potiùs, quam adiumento.

b Fusiùs tractat, & benè Hier. Dandinus lib. 4. de Part. Eterog. c. 41.

1707 Musculi adiacent oculis, instrumenta motus, & plures dati hi sunt, vt oculos quaquauersum versare animal possit; homo præsertim, cui

cui maximè expedit, esse benè oculatum. Vnus ex his musculis seruit ad oculum agendum versùs nasum, alter versùs oppositum angulum, tertius ad suspiciendum, quartus ad despectum, quintus & sextus oculum quasi circumagunt, septimus mouet ad aspectum rectum, aptèq; concinnatus est ad oculum attentè firmandum.

1708. Alligantur oculi cerebro per neruos, qui optici dicuntur, sed antequam hi ad cerebrum perueniant, coeunt inter se non sine naturæ conditoris sapientissimo consilio; Nam sic faciliùs alterius oculi virtus ad alterum deriuatur, vbi vnus clausus sit, vel aliud habuerit impedimentum. Censeo illam etiam inter causas referri posse, quia videlicet sic firmius vinculum est, nec facilè laxatur.

1709 Ad angulos oculorum glandulæ iacent humorum receptacula, ex quibus lacrymæ exprimuntur. Humidiores hæ sunt in mulieribus, & pueris; vnde est, vt lacrymæ faciles veniant, quæ infirmæ ætati, aut sexui adiumento sint ad commiserationem faciendam.

1710 Facilè fuit ex sectionibus hanc oculi constructionem indagare, quia ad oculum patet; Sed vbi nam sit visionis sedes, non æquè facilè est. Minimè tamen omnium probabiliter loquuntur, *a* qui in corde fieri significant, nec enim vbi Aristoteles sensationis principium ex corde reuocat, aliud indicat, quam esse illam spirituum vitalium officinam, quorum vsus maximè in sensationibus est; quam eandem ob rem cordi principatus tribuitur, vt *b* alibi exposui.

1711 *c* Qui putant, visionem in humore cristallino fieri, minùs placent, quia visio ibi est, vbi potentia, potentia ibi, vbi anima; in animata igitur parte visio fit; humores verò, quos oculus continet, nō esse animatos, tam mihi certum est, quam de sanguine, & humoribus reliquis, qui ad vitæ vsum in animalibus continentur.

1712 Censeo igitur, cristallinum humorem esse ad lumen, & species recipiēdas datum, visionem verò fieri, vbi oculus neruis opticis alligatur sub sedem humoris cristallini. Quod magis intimè fiat, idest in coniunctione illa neruorū opticorum, solum mihi probabile facit *d* D. Thomæ auctoritas.

1713 Sed vbi vbi tandē visio fiat, non fit per extramissionem, sed per intùs susceptionem; suscipit nimirū oculus rerū species, & imagines, hisq; determinata potentia, elicit visionē, actiuè ne concurrētibus speciebus, an solū determinantibus? vtrunq; probabile est, sed magis hoc posterius. Fateor non solū à Platonicis, & ab antiquioribus philosophis explicari visionis opus per extramissionem radiorū, qui quasi exploratores exeant, ac renunciēt, quid foris sit, sed etiā ab Arist. vbi hanc rem nō tractat ex professò; sed ille vulgaris est loquēdi modus, vbi verò philosophicè agit, minimè dubia est *e* Arist. sentētia.

1714 Proximus nobilitate aspectui est sensus auditus, ad sciētias percipiēdas ità necessarius, vt hic vnus *f* dicatur sensus disciplinę. Nec modus operandi ignobilis est; habet pro obiecto sonū, circà quē dū operatur, imitatur maximè spiritalē illū operandi modum, quē habet sensus oculorū. Etenim natura soni non longissimè distat à natura luminis, & specierū intētionaliū, si præser-

tim

a Alex. li. suo. 1. de Anima ca. 8. & in lib. de sensu & sensili Com. 6. Themist. 3. de Ani.
b Hoc eod. lib. 2. c. 35.
c Galen. de Hippocr. & Platonis decret. Auer. & alij de sensu & sensili.
d Lib. de sensu, & sensili.
e Lib. de sensu, & sensili c. 3.
f Lib. de sensu, & sensili ca. 1. & init. meta.

tim ſpecies multiplicationem in eodem ſubiecto, & ſi minus inſtantaneam, celerem certè productionem.

1715 Eſt ergo ſonus qualitas,ex aeris potiſſimũ fractione, quæ fit ad corporum alliſionem,reſultans.Nõ eſt ipſe corporum motus,nec eſt ipſa aeris fractio,ac repercuſſio,ſed id,quod ſequitur ex tribus neceſſariò requiſitis, id eſt verberante,verberato,intercepto,vt diſtinctè numerat *a* Ariſtoteles.

1716 Non tamen quicquid alteri allidatur,aere etiam intercepto, ſonitum dabit,nullũ.n.(inquit *b* idem)faciunt ſonum lanę,& ſi percutiantur. Quod ſi aqua alliſa aquis,aer alliſus aeri,ſonum aliquem reddit, faciunt id, vbi minus cedunt,& vicem habent ſolidorum.

a Lib. 2. de Anim. t. 78.
b Ibidem.

1717 Quod frangitur in alliſione corporũ ſonororũ,dixi potiſſimũ eſſe aerẽ. Non nego poſſe idem pręſtare alia corpora,aquã videlicet;ſed obtuſus eſt ſonus;& valdè imperfectus,vbi nihil adſit aeris,cuius natura aptiſſima eſt,tũ ad ſonum edendum,tum maximè ad deferendũ. Redditum verò ex aere ſonum per aquas deferri poſſe,ità notę probant experientiæ,vt negare non audeam. Fugiunt ad ſonitum piſces,nec vrinatores,vbi alte in aquas deſcenderint,aurium vſu deſtituuntur. Et hinc habes,non ſolum eo vſq; deferri ſonum, quo pertinet aeris commotio,ſed etiam vlterius.

1718 Cum verò illa tria concurrant ad ſonum dandum.i.duo corpora ſolida,& tertium,quod eorum alliſione frãgatur,ſubiectum ſoni hoc tertium eſt, nõ illa duo. multiplicatur autem per medium aptum, non ſecundum eſſe intentionale per ſpecies,ſed ſecundum eſſe reale ipſius ſoni.

1719 Fateor,nec ille improbabiliter loqueretur, qui multiplicationẽ hanc per ſpecies intentionales aſſereret;ſed quia maximè affinis eſt naturæ ſpecierum ipſa natura ſoni,probabilius mihi eſt, diffundi ſonum ipſum,ac per ſe ipſum præſtare id,qđ præſtarẽt ſpecies, ſi qualitas ipſa realis adeſſe nõ poſſet.

1720 Ipſa hæc natura ſoni,non diſſimillima à natura ſpecierum docet qua rõne echo reſultet,nam ſicut à vidente exeunt in ſpeculum ſpecies, quæ redeuntes indè ad oculũ,videntẽ videnti mõſtrant,quaſi alibi eſſet,quã vbi eſt, ità à loquẽte ſonus exit,alliſusq; redit ad loquẽtẽ,vt ſe ipſum aliundè audiat.

1721 Fiunt ex emiſſa ſemel *c* voce plures repetitiones,prout vox lõgè,latèq; diffuſa,retroagitur à pluribus locis,& ſi diſpar diſtantia fuerit, reditus, audituſq; erit,alius alio tardior.

c De porticu heptaphono Plin. lib. 36. cap. 15.

1722 Circà huiuſmodi igitur ſonum operatur auditus, cum in organo receptus fuerit;tunc.n.à potentia,per ipſam realem qualitatem determinata, elicitur auditio,quæ operatio eſt immanens,& forma audientis.Organum in auribus eſt,neq; ſtructura,& compoſitio eſt operæ vulgaris; artificiosè.n.facta eſt, ſiuè externas aurium partes ſpectes,ſiuè internas.Sed externas nemo nõ videt; ex tenui cartilagine conſtructæ ſunt,vt ſtent ad ſonum excipiendum, & flecti poſſint,cum vſus fert.

1723 Auris interna eſt ab illo meatu ſemper patente,qui facilè conſpici poteſt.Factus is ipſe eſt ad ſonum deferendum aptiſſimus, ad quod ſemper patet;obliquè ſurſum tendit;ſurſum,quia ſonus faciliùs eam init viam,obliquè, vt ſi quid noxium in aurem irruerit,relabi deorum poſſit. Ad finem huius ductus

ctus septum est ex membrana duriore, quod à similitudine, timpanum sectores vocant; claudit hæc innatum aerem intus repositum, structuramq; ex pluribus officulis, ac foraminibus, quæ addidisse natura creditur ad auditum perficiendum.

1724 Vult *a* Aristot. soli homini datas fuisse aures immobiles. Sic decuit, vt ne necessariæ disciplinæ aditum præcluderet. Verum tamen est id, quod nõnulli ex recentioribus sectoribus adnotarunt, etiam inter homines reperiri, qui aures, vel antè in frontem, vel retrò moueant, exiguo tamen motu, prout voluerint. Monstrantur dati à natura musculi in reliquis animalibus, quæ aures agitant, *b* ijsdemq; in homine deprehensi sunt, non ergo mirum videri debet, si datis instrumentis vti possit, cum acta sunt.

a Lib. 1. de Histor. c. 11.

b Vt testatur Andr. Laurēt. lib. 11. suæ Histor. anato. ca. 12.

1725 Vbi fiat auditus, pari ratione censeo, definiendum, ac paulo ante dixerim de visu. Peruenit ad timpanum sonus, & per membranã ad innatum etiã aerem diffunditur. Non est hic aer animatus, nec in eo potentia residet, sed vbi sonus in eo fuerit, potentia satis determinata dici potest ad eliciendam auditionem in proxima parte, quæ fuerit animata.

1726 Tertius inter externos sensus numeratur olfactus: Minimè hoc homo valet præ cæteris animalibus, vt vel hinc intelligat, nõ esse natũ ad minimè necessarias odoramẽtorũ delicias, quibus ij, *c* qui melius olẽt, minùs benè olẽt.

c Ex D. Hiero. epist. 8. ad Demetriadem.

1727 Odoratus obiectum est odor, cum ad nasum, vbi huius sensationis instrumentum est, peruenerit; Hebetudo verò, quam homo habet in odorando ex organi imperfectione est, nam quod ad potentiam spectat, credibile est, hominis animam, præstantissimam omnium animarum, prẹditam esse potentia, aut paris, aut certæ proportionalis præstantiæ.

1728 Est odor secunda qualitas ex cõpositione primarũ resultãs, maximè ex siccitate; quã ob rem sola mixta odorata sunt, non autem elementa, quæ si quando tetrum odorem exhalant, ex impuritate, & mixtione id habent, non ex conditione elementi.

1729 Odorum varię sunt species, sed quia parum homo valet hoc sensu, nõ ità exactè illas distinguit, vtiturq; saporum nominibus, vel pro coniunctione, quã odor in eadem re habeat cum sapore, vel per non dissimillima affectione organi recipientis pro odoratu odorem, & eius, quod recipit pro gustatu saporem. Hinc est, inquit *d* Aristoteles, vt odores alios dulces, alios amaros vocemus &c.

d Lib. 2. de Anima. t. 95.

1730 Diffunditur ex odorata substantia odor per medium dupliciter, aliqñ per transpirationem exhalationum fumidarũ, quę admouentur organo odoratus; aliquandò non per transpirationem, sed per qualitatis productionẽ in medio, & per medium tandẽ ab ipso organo. Vtrouis modo fiat, dum odorata substantia admota fuerit illi parti, in qua anima residet, ad odorandũ præsens, odoratus actio elicitur ea rationẽ, qua de reliquis sensationibus dictum est. Et hinc habes, nullam esse specierum intentionalium necessitatem, sed solius intrinseci medij, quo obiectum attemperetur potentiæ.

1731 Frequentius hæc odorum diffusio fit priori illa ratione per transpirationẽ, quã per diffusionẽ qualitatis solius, & hæc est causa, cur multa sint, quę

ad

ad maiorem quandā distātiam melius olent, quā ad minorem: Scilicet *a* purior exhalatio peruenit ad sensorium, vbi aliquātulum per aerē vagata fuerit, quā cum subito erumpit ex odorata substantia. Adde tamen, cum etiā odor diffunditur per partium transpirationem, sentiri posse, etiam vbi eā exhalatio non peruenerit, quia semper medium inficitur illa qualitate.

a Ex Aristot. sect. 12. Probl. n. 2. 4. 9.

1732 Hoc medium ait Aristoteles, esse aerem, & aquam; intellige quia hæc aptiora sunt; ceterùm alia etiam inficiuntur, ac odorem, quo semel imbuta sunt, diù seruant.

1733 Non percipit homo odorem, nisi aspiret; Indicat hoc instrumentum odoratus altè repositum esse, nec facilem ad illud esse accessum exhalationi, aut aeri odorifero, nisi aspiratione attrahatur.

1734 Non est tamē cōmuniter hęc aspiratio in omnibus necessaria. Sunt. n. quæ non respirant, & tamen odoratum habere creduntur, vt notat *b* Aristo. Situs igitur organi spectandus magis est, si quid desit ad illam coniunctionem obiecti, & potentiæ, quam sæpius dixi, esse necessariam; itemq; dispositio; Videtur. n. (inquit *c* Aristoteles) in hominibus differre hoc sensorium ab ijs, quę aliorum animaliū, sicut oculi, ab oculis eorum, quæ duros habent oculos.

b Lib. 2. de Anima. t. 99.

c Lib. 2. de Anima. t. 100.

1735 Iam quod spectat ad proprium huius sensationis instrumētum, nasus is est, ossibus, & cartilaginibus apto artificio compositus, vel ad odorandum, vel ad alios vsus. Sed odorandi vis in intima parte residet, illic, vbi constructio est ossis ethmodis, caruncularum, quasi mammarum ritu protuberantium. Varia est ossis figura, cribrosa ob multa foramina, fungosa, seù spongiosa ob raritatem, ex parte etiam lęuis est, & plana. Carunculæ illæ, quas processus mamillares vocant sectores, sunt in quibus potentia residet, & operatur.

1736 Dissensio aliqua est inter Peripateticos, & medicos; an in animalibus, quæ respirant, vllū sit operculū appositū organo odoratus, quo prohibeatur odoribus accessus, nisi p aspirationē remoueatur. Affirmāt Perip. q̄a Affirmat ipse *d* Arist. Negant Medici, quia negat *e* Galenus & quod magis est, fidem faciunt aliqui Anatomici, tale operculum nullū reperiri. Non puto, magni momenti esse dissensionem; Audiāt Medici quid operculi nomine intelligat Aristoteles, quiescent opinor; Odorantium sensorium (inquit) alijs quidem sine operculo est, alijs verò aerem recipientibus operimentum est, quod respirātibus aperitur, dilatatis venis, & meatibus. Non est, cur sectores operimentum quærant; nam in contractione venarum situm illud est.

d Lib. 2. de Anima. t. 100. de sensu, et sēsili. cap. 5. & alibi.

e Libello de organo odoratus, & alibi.

1737 Gustatus, auctore *f* Aristotele, est quidam contactus, & magis materialis, quam sit olfactus, propter sapidi corporis substantiam crassiorem, quā ea sit, per quam odor defertur. Saporem prò obiecto habet, etenim circà hūc operatio est, cum per accessum, mediatum tamen, organi potentia satis determinata fuerit ad operandum.

f Lib. 2. de Anima. t. 101.

1738 Non itā hebes homo inguistando est, etiā in cōparatione cæterorum animaliū, sicut est in odorando; causam reddit *g* Aristot. quia magis accedit ad rationē tactus gustatus, quā olfactus, homo verò exquisitissimi tactus est.

g Lib. 2. de Anima t. 94.

1739 Sapor non nisi substantijs mixtis inest; est. n. secūda qualitas, resultās ex tēperamēto primarū, humidi maximè, & sicci, calore concoquēte; Siccū, quod

quod inest, terrenum esse debet; humidum, aqueum, quia eadem sunt sapida, quibus animal nutritur, nutritur verò iisdem, quibus constat, tanquā ex materia. Hinc habes illam *a* Aristotelis descriptionem: Sapor est facta à sicco passio in humido gustus, qui secundum potentiam, alteratiua in actum.

a De sensu & sensili. c. 4.

1740 Duo sunt sapores extremi, amarus, dulcis, ex quibus medij cōponuntur, sicut *b* suprà asserui de coloribus. Pari. n. ratione dupliciter fieri potest extremorum compositio, primo per iuxtà positionem artificialē, sine vlla transmutatione, & hæc non facit speciem vllā mediam, secundo per magis propriā mixtionem, ex qua noua species resultet per naturalē alterationē, & sic plures fiunt saporum species mediæ, prout magis, vel minùs distāt ab extremis.

b Hoc eod. cap.

1741 Vix censeo posse vllum certum numerum assignari harum specierū, si loquamur de omnibus possibilibus, nam extremorum admixtio suscipit magis, & minùs sine vlla certa commensuratione partium.

1742 Si verò de his speciebus loquamur ad sensum; sicut in coloribus certę numerātur species, ità in his (placetq; enumeratio *c* Aristotelica) vbi ait: Species autem saporum ità se habent, sicut colorum; Dulce namq;, & amarum contraria simplicia sunt, hæret autē dulci quidem pingue, amaro autem salsum, at inter hæc collocantur, acre, acerbum, acidum, atq; acutum.

c Lib. 2. de Animā. t. 105.

1743 Scio numerari ab *d* alijs species plures, sed facilè est alias reuocare ad has, nec repugno, si quis cōtrahat in capita pauciora, quod indicat Aristoteles, vbi dicit, non longè à dulci distare pingue, non longè ab amaro salsum.

d Plin. lib. 15. cap. 27.

1744 Etiam hic minimè acquiescunt Medici Peripateticis. Aiunt, auctore *e* Galeno, malè assignatos fuisse sapores extremos; nā ij sunt, qui propius accedunt ad primam saporum originem, idest ad primas qualitates, in se consideratas; tales verò sunt sapor acutus, qui plurimum de calido habet, & acerbus, seù ponticus, qui plurimum de frigido. Sed negandum est, desumi extremitatem saporū ex accessu ad calorem, vel ad frigus. Aristotelis philosophandi ratio, & in saporibus, & in coloribus est, quatenus potentiam mouent; extremi verò dicuntur, qui maximè diuerso modo hanc mouent.

e Lib. 4. Simplic. medicam. cap. 10.

1745 Instrumentum gustatus lingua est, in quam, non species intētionales saporum, sed ipsa corpora sapida, necesse est imponātur ad gustationem ciēdam. Aptissima ad hanc rem homini data est lingua à natura, lata, rara, fungosa, sed ad longè meliorem vsum eandem habet, accommodatā; videlicet ad orationem distinguēdam, in qua homo dissidet ab omnibus animalibus. Addit *f* Arist. hanc gustādi vim inesse maiorē primoribus linguę partibus, quā partibus magis intimis, vt nimirū certius, ac citius fit de saporibus iudicium.

f Lib. 1. de Histor. Anima. cap. 11.

1746 Constat lingua, carne, membranis, neruis, venis, arterijs, musculis. Caro rara est, nō musculosa, sed peculiaris naturæ, nec facilè similem in reliquo corpore reperias. Membrana tenuissima est, & hoc ego crediderim esse medium intrinsecum, quo sensibili sensui attemperatur. Residens autē in neruis, & carne potentia, ea est, quę gustationem elicit. Venæ, arteriæ, ad nutritionē linguæ datæ sunt, ad eos videlicet vsus, ad quos per reliquū corpus diffundun tur, musculi itemq; nerui ad motum, sicut in alijs partibus eterogeneis.

1747 Præuidisse naturam dixeris, quanta, quamq; multa mala ex linguę volubilitate

lubilitate prodire possent, vbi parum prudenti locutioni fræna laxarentur, propterea sub lingua funiculum collocauit adnatum illi ligamento, quo lingua, ne præter modum diducatur, continetur. Frenum hoc dicitur, vt ipso saltem nomine admoneamur, exigere ciuilem vitam, loquendi modum, & rationem orationi adesse debere, quæ veluti prudens sessor patientem fræni faciat, & à lapsu securam.

1748 Par est philosophandi methodus de cõtactu, quę de sensibus reliquis, nisi quod maior quędã dubitatio hic est, an sit vnus tactus circà vnũ obiectũ, & quod sit illius instrumentum, cum hæc operatio vix vlli animalis parti alligata videatur. Quæstionẽ hãc optimè definit *a* Arist. tactum vnũ esse, itemq; obiectum vnũ; Nam quod diffusus hic sit fermè per vniuersum corpus, nõ facit illud esse diuersæ rationis in partibus; sed solum docet, maximã fuisse eius necessitatem, ad animalis vitam conseruandam.

a Lib. 2. de Anima. t. 108.

1749 In obiecto multiplex continetur contrarietas tangibiliũ; tanguntur.n. calida, frigida, humida, sicca, & secũdæ quædã qualitates, quæ ex his sunt. Sed nihil nouũ, quod non sit idẽ in alijs sensibus; nã & in voce (inquit) *b* Arist. multiplex differentia ingeritur auditui, acutũ, graue, magnũ, paruũ, lene, asperũ.

b Eod. t. 108.

1750 Quod si non sit vnum nomen tangibilium qualitatum, sicut est, vnum in his, videlicet sonus, non facit hoc magis ad potentiæ multiplicationem, vel vnitatem quam si sono nomen non fuisset impositum, qui videlicet vnius potentiæ vnum esset obiectum, etiam sine nomine.

1751 Sunt, qui tactus instrumẽtum velint esse cor, & quidem magni nominis *c* philosophi in hanc sententiam veniunt, quia in eandẽ fuisse primus videtur Aristoteles. Ego verò in tam aperta experientia, quæ docet, tactũ esse per totũ fermè corpus diffusum, neq; his auctoribus assentiri possum, nec in animum inducere, esse eam sententiam Aristotelis (qui) vt in aliorum sensuũ discussione dixi sæpius, primã sensationis originem in cor retulit, tamquã in publicam officinam, vbi ij spiritus perficiuntur, sine quibus sensatio nulla est.

c Themist. Simplic. in 2. de Anima.

1752 Sunt *d* alij, qui sensum tactus reponunt in neruis; eũ ergo diffusum esse per totum corpus, quia per idem distẽti sunt nerui vndecunq; tandem principium habeant, siuè ex cerebro, siuè ex corde. Equidẽ aptissimos esse ad hãc sensationem neruos, etiam si substantiæ durioris sint, arbitror exploratum esse, vel maximè in doloribus, qui vehementes sentiũtur in neruis; sed nego, solos neruos esse huius operationis instrumenta, & nego etiam propterea diffusos esse, vt per corpus diffundatur sensus; habent.n. nerui alium vsum deferẽdi spiritus animales, sine quibus, nec tactus, nec vllus alius sensus est.

d Auer. Philo. Alexand.

1753 Aio igitur, huius sensationis instrumentum esse carnem, & neruum, etiam vbi caro sine neruo detur, etiam vbi neruus sine carne, quamquã alteram partem alteri ferè natura adiunxit, vndè est, vt non facilè dignosci possit per experientias id, quod vtriq; parti tribuitur, etiam separatim.

1754 Carnis nomine nõ solum intelligo musculosam, sed cutim, membranas, & in neruis etiam tendines, fibras, & alia similia. Ossibus nullus inest sensus tactus propter nimiam duritiem.

1755 Intrinsecum medium, quod hæc operatio exigit, ferè cuticula est, sed

cum

cum tangibile immediatè ponitur suprà partem animatam, cui vis sentiendi insit, sensatio fieri potest, non in parte, quæ tangitur, sed in viciniori, ità vt tũc pars tacta immediatè medij locum habeat. Sic etiam crediderim dictum *a* ab Aristotele, carnem videri potiùs medium ad hanc operationem, quam sensorium ipsum, quia scilicet viget maximè hæc sensatio in neruis, quos inter, & obiectum tactus, sępissimè caro media est.

a Lib. 2. de Anima. t. 111.

1756 Ex his habes numerum sensuum externorũ, quos assero esse quinq; cum communi sententia. Numeri huius congruentias alij aliter assignant. Ait *b* aliquis ex doctrina Platonis, quinq; esse, quia quinq; sunt sensibilia corpora, videlicet quatuor elementa, & cœlum; Non improbo, si fiat comparatio in operandi modo; Est.n. tactus terreus circà solidiora, & maximè materialia; est gustatus aqueus; olfactus aereus; auditus quasi igneus; maximè omnium remotus à materia visus quodammodo cęlestis. Alias congruentias ex *c* alijs habes, non est, cur huc eas congeram.

b Philop. in 2. de Anima.

c D. Aug. lib. 3. de Gene. ad lit. c. 5. D. Tho. in 2. d. 2. q. 2. a. 2.

1757 Dati sunt sensus externi, vt internuncij internorum, quamobrem eos natura in hominis capite omnes collocauit, vt breuè iter ad cerebrum sit, vbi sensus interni operantur. Sunt ijdem necessarij ad rationalis animæ functiones; Sed rectè *d* quidam monet, diligentem eorundem habendam esse custodiam, ne nimis multa in mentem ingerant, quibus eædem mentis operationes perturbentur. Sic venatici canes sub custodia habiti, sunt ad prædam meliores; ad licentiam dimissi, nec adsunt, vbi res poscit, nec vigent ad cursum.

d Plutar. opusc. de curiositate ad finem.

INTERNI

INTERNI *Senſus.* CAP. XXXIX.

1758

MINOR eſt diſſenſio inter philoſophos de ſede ſenſuum internorum, ac ſit de ſede externorum; Fatētur enim ferè omnes, in cerebro hanc animę partem ſuas obire functiones. Cerebrum cum dico, ſubſtantiam intelligo ſub caluaria, duabus tunicis inuolutam, & ad has functiones, de quibus loquor, artificioſiſſimè in ſinus excauatam. Hanc alicubi. Homerus *a* cælum appellat, quia per eandem ſimili quadam ratione ac per Cęli influxum, & illuſtrationē inferiora animalis mouentur, ac ſentiūt.

a οὐρανόν.

1759 Et verò decuit, nobilem hanc animalis partem egregie muniri contrà externos impetus. Hanc ob rem non ſolum capilli, cuticula, cutis, panniculus carnoſus, & membrana durior, quæ dicitur pericranium, ſunt illi pro integumento ſuperinducto; ſed os duriſſimum, quod cranium dicitur. Nec verò pondus oprimit, eſt. n. huius oſſis ſtructura veluti ex arte facta concameratio: ſcilicet concaua, & conuexa ſuperficies ſolidæ, ac leues ſunt; media verò ſubſtantia fungoſa, ac rara, quaſi ex pumice conſtructus fornix.

1760 Sed nè vlla in parte mollis cerebri ſubſtantia ab oſſis duritiæ lędi poſſet, eam duæ membranæ (Meninges Medici appellant) vndecunque veſtiunt; altera durior, quæ eſt oſſi propinquior, & dura mater dicitur; altera tenuiſſima, quæ cerebrum immediatè attingit, & dicitur pia mater.

1761 Figura cerebri figuram capitis imitatur. Eſt quaſi medius globus, ſed oblongior à ſincipite ad occiput; In baſi cōtinuum eſt, ſupernè verò duas habet inciſuras vnam quà diſcriminatur pars poſterior, quæ cerebellum dicitur, ab anteriori, quæ dicitur cerebrum, alteram, quà deſignatur vna cerebri pars ad dextrum tempus, vna ad ſiniſtrum.

1762 Non

1762 Non altè descendunt in cerebrum hæ incisuræ, de quarum vsu dum dixit *a* Erasistratus quidam, factas eas esse ad intelligendum, rem malè intelligere visus est; nam eædem pariter in animantibus, non intelligentibus, conspiciuntur.

a Apud Andream Laurẽtiũ in sua hist. anatom.

1763 Quin potius dixerit, factam fuisse à natura hanc partitionem, vt alimentum, quod in ductibus piæ matris continetur, in cerebri profunditatem commodè illabatur, quam ob rem eas ipsas incisuras pia mater, factura matris officium, intrat. Sic necesse fuit alimentum cerebro aduenire; nullas enim in se venas habet, arterias nullas, vt verè animaduertit *b* Aristoteles.

b Lib. 1. de hist. c. 17. & lib. 3. cap. 3.

1764 Cerebelli substantia non planè similis est substantiæ cerebri, sed solidior, ac pinguior; Quamquã nec in ipso cerebro par est omnium partium ratio; Est enim supernè rarius, ne inferiores partes nimium grauarentur; sub ipsam vero incisuram, quam ingrediens dura mater messoriam falcem figura imitatur, densius apparet; tum ad pondus sustinendum; tum ad firmiorem structuram ventriculorum, ac sinuum, qui in eo locum habent. Callosi corporis in his penitùs repositis partibus, cerebrum nomen habet.

1765 Sunt ergò intrà hoc callosum corpus duo sinus, vnus ad dextrum tempus, alter ad sinistrum, alter alteri proximus, alter alteri æqualis, eiusdem vterque figuræ semicircularis, seù auris directæ. Non tamen sunt hæ veluti Orisptę æqualiter excauatæ, sed quosdam habent anfractus in concaua superficie, in quibus opinor vitales spiritus detinentur, & innato cerebri frigore temperantur ad sensationem, ex qua temperie, qui prius vitales spiritus dicebantur, appellantur postmodum animales. Istud ipsum indicium est, in cerebro sensus internos operari, vt *c* mox dicam.

c Hoc eod. cap.

1766 Nec verò incautè in hoc sinuũ numero, sicut in duobus oculis, duabus auribus etiã natura prouidit. Etenim vno vitiato potest esse *d* alius sanus, & integer.

d Ex Gal. li. 8. de vsu partiũ.

1767 Diuidit hos duos sinus tenuissimus paries, ex ipsa cerebri substantia erectus, habetq; à tenuitate, ac materia nitorem quendam, à qua, & nomen. nam propterea septum lucidum, speculum, lapis specularis, & alijs nominibus appellatus est.

1768 Sinus anteriores hi dicuntur, nam quamuis ferè medium cerebri situm obtineant in distantia ad occiput, & ad sinciput fermè æquali; versus cerebellum tamen alij item sinus posteriores latent, præ quibus hi sunt anteriores.

1769 Eunt hi duo sinus anteriores in vnum posteriorem, descensu leuiter decliui. Mira vero hic habes naturæ miracula, non solum in textura retis admirabilis, vt sectores vocant, sed in ipsa sinuũ cõcameratione. Etenim quia altè sinus quidam desidet in cerebrũ, eidemque cerebelli substantia densior, ac grauior imminet, ne comprimeretur, alius illi sinus superstat, fornice super inducto, firmis columellis fulto ad molẽ sustinendã. Retuli cerebrũ fuisse aliquando cęlũ nuncupatũ en hic Athlantem habes, oneri dorsum supponentẽ.

1770 Hæc cum sit cerebri constructio, quę quidem ad oculũ explorata est; de numero tñ sinuũ dissẽsio est, sed minimè grauis. Alij quatuor numerãt;

alij tres, & ex horum numero desumunt argumentum pro potentijs in his officinis operantibus numerandis. Ego quod spectat ad hoc posterius, haud scio, quam firmum sit argumentum, cum plures esse possint sinus vnius potentiæ, sicut plures sunt oculi vnius videndi facultatis. Quod spectat ad numerum duos censeo, idest anteriores pro vno, posteriorem pro altero, suprà cuius fornicem non ad vsum vt dixi, sed ad molis firmitatem alius sinus patet.

1770 Communis est sensus, dari communem sensum, Operatur is in duobus anterioribus cerebri sinibus, vbi externarum sẽsationum species ad eos delatæ sunt, ad quã rẽ dedit natura neruos, qui nõ solum vnà cum musculis ac tendinibus vsum habent in motu locali, nec solum sunt veluti ductus ad animales spiritus deferendos; sed etiam, per quos à sensibus externis deferãtur ad cerebrum species intentionales sensationis vniuscuiusque.

1771 Persto in illo principio, quod *a* supra ponere me memini, non operari potentiã circà proprium obiectum, nisi coniunctum debitè fuerit. Retineo hic id, quod communiter traditur, communem sensum percipere omnium externorum sensuum operationes. Hæc verò mihi harum specierũ necessitas est. Nam nec obiecta, nec operationes externorum sensuum deferũtur in cerebrũ; aliquid ergo quasi eorum vicarium deferatur necesse est, estq; ad id satis species operationis ipsius, quę obiecti forma est sine materia.

a Hoc eod. li. 2. cap. 37.

1772 Huius communis sensus operatio pendet à pręsentia obiecti; & ad hoc datus est, vt dum sensus externi sentiũt, ipsę eorum sensationes innotescant, quas ij percipere non possunt, vt *b* melior philosophorum pars censet, & apertè ab *c* Aristotele traditum est alicubi, licet *d* alibi hanc quasi dialecticam quæstionem in vtranque partem exagitet.

b D. Tho. 1. p. q. 78. art. 4. & q. 87. art. 3. & Thomistæ communiter.

c Lib. de somno, & vigil. c. 2.

d Li. 2. de Anima. à t. 136.

1773 Cum item sensus externi debitè applicati sunt, quasi operaturi, nec operantur, quia obiectum non adest, vel cum eo coniunctio nõ est, tunc, neque sensus externus cognoscit, se non operari, neq; sensus communis aliud nouit, nisi esse potentiam debitè applicatam, & quantum in ipsa est, paratam ad operandum.

1774 Vbi *e* Aristoteles communem sensum in corde videtur collocare, nõ ipse à se discordat; loquitur enim de hoc, sicut de alijs externis sensibus, quorum originem primam à corde repetit, quia hic principatus est animæ, tum sensitiuæ, tum etiam vegetatiuæ.

e De inuent. senect. c. 2. lib. 2. de Part. c. 1. & 10. lib. de sẽsu, & sensili. c. 2.

1775 Nihil ergo est, cur se medici contrà Aristotelem acuant, vbi contendunt, hanc animæ vim inesse cerebro, dant hoc ipsum Peripatetici volentes, datq; ipse *f* Aristoteles, dum ait, communem sensum esse veluti in centro constitutum, ad quod à sensibus externis, quasi in circumferentia lineæ deducantur. Nec verò Aristoteles ignorauit sensus omnes externos in homine suum habere locum in capite.

f Lib. 2. de Anima t. 149.

1776 Ex operationibus dignoscendum est, an sensus interni sint plures vno hoc communi, quem hactenus cum cõi sentẽtia posui. Operationũ verò genera, quæ ad hanc animæ partem spectant, hæc sunt; Percipit sensibilia medijs externorum sensuum sensationibus, dum pręsentia sũt, hoc opus est com-

communis sensus, vt dixi. Percipit etiam sensibilia, cum absunt, nec percipit solum, prout per externos sensus oblata primùm sunt, sed sæpè noua quadam compositione, quam extrà sensum nunquam habuerunt: Sic illi operantur, qui aureos sibi Persarum montes imaginantur, qui chymęras, aut sphinges.

1777 Sed, quod magis est, percipit ėt sensus, quę sensata non sunt; Nā quid vnquam ouicula experta est sibi detrimentosum in lupo, ratione cuius sensatæ imaginis eum fugere debeat, vbi primum videt? Si ea, quæ sensata in lupo sunt, spectes, deberet illum ouis sequi, quia plurimum instar canis in illo est; fugit tamen & aliquid interior sensus nouit in eo sibi aduersarium, quod sensus externus dignoscere non potest.

1778 Ad hanc ipsam operationem spectant sexcenta alia similia, ex quibus de animaliū sympathijs & antipathijs philosophamur. Quid nouit in luto hyrundo, dum luteum celsa sub trabe fingit opus? quid nouit sapientissimū genus araneorū, vt *a* Arist. appellat, cū tanto artificio casses nectit, ac ponit?

a Lib. 9. de hist. Anim. c. 39.

1779 Esse hęc operationū genera in sensitiuis, certum est, & ex ijsdē facilè adducor, vt cōcedam sensum phantasiæ distinctum à sensu cōmuni, residentem in interiori illo cerebri sinu, in quo rerum sensatarum imagines asseruātur. Huius sensus est, rerum sensibilium simulacra intueri, etiam dum obiecta longè absunt, & intueri composita, etiam si ea simplicia sint, ac disiuncta.

1780 Idem maximè operatur in somnis, dum ea vidētur esse præsentia, quę non sunt; dum sępè spectra rerum componuntur, quę talem compositionē in re, nec habent, nec habere possunt. Huiusmodi somniorum portenta etiā bruta animalia habent, saltem quadrupedia, quæ animal pariunt, vt de illis philosophatur *b* Aristoteles.

b Lib. 4. de hist. Anim. c. 10.

1781 Dicitur hic sensus phantasia, seù imaginatio, à phantasmatibus, & imaginibus rerum sensatarum, in quas intuetur, non vt in obiectum, sed vt in medium cognitionis, & id, quo obiectū ipsum noscitur, velut in speculo. Dicitur *c* Chrysippus hanc fecisse distinctionem inter phantasiam, phantaston, phantasticum, & phantasma. phantasiam dicebat esse ipsam potentiā, phantaston obiectum ipsum, phantasma simplicem rei imaginē, phantasticū verò spectrum illud, ex pluribus imaginibus monstruosè compositum.

c Ex Plut. lib. 4. de Plac. c. 12.

1782 Quod verò spectat ad eam operationem, quæ in ijsdem animalibus est, dum minimè sensata sentiri videntur, complures sunt, qui huius principium ponunt, in brutis Aestimatiuam, in homine Cogitatiuam, aiuntq; esse sentientis animę facultatem, distinctam à phantasia, & à sensu communi. Nō placet mihi hæc sententia, quia non video, cur ad id non sit satis ipsa phantasia, quam si in brutis ęstimatiuam, in homine cogitatiuam appellare volueris, non repugno, dummodo non plures potentię, sed vna, & eadem varijs nominibus appelletur. Ratio est, quia actus non eam habent distinctionem, quæ distinctionem principiorum, ac facultatum postulet.

1783 Vidit hoc oculatus *d* Philosophus nostri temporis, vbi negat, posse animam sentientem sentire, quod sensatum non sit. Quod verò ouis lupum fugiat non est ex aliquo nociuo, quod æstimat sibi à lupo futurum, sed est ex

d Zabar. de facultatib. Animæ.

actuali diſplicentia,cum qua lupi ſpecies in phantaſia repræſentatur. Nō ergo hæc lupum auerſatur,ſed aſpectum illum, qui præſentem diſplicentiam ſenſui ingerit ex naturali antipathia.

1784 Sic multa proſequuntur beſtiæ,quibus delectantur, nō quia vlla pręceſſerit ſenſata experientia,ſed quia illorum phantaſmata,& imagines phantaſiæ offeruntur cum præſenti delectationis ſenſu, nec rem illam amant ob futurum bonum,ſed ſenſum voluptatis præſentem.

1785 Sed cur,inquis, vni vnius ſpecies obijcitur cum ſenſu delectationis, eidem alterius rei ſpecies cum ſenſu diſplicētiæ? Dixerim, hic ſatis eſſe argumenti antipathias,ac ſympathias, quæ in rebus etiā inanimatis reperiuntur; Nam,ſi in his hæ ſunt,in quibus nulla eſt æſtimatiua, vel cogitatiua facultas, hoc ſatis indicij eſt pro huiuſmodi experientijs, non eſſe facultates animæ ſentientis multiplicandas.

1786 Dixerim tamen clariùs,vel ex ipſa rei forma, vel ex formæ diſpoſitionibus,& qualitatibus, naſci rerū antipathias, ac ſympathias; Illud ergo delectat,aut nocet,quod fuerit,vel naturali formæ ſtatui, vel qualitatūm temperamento proportionatum,aut debitæ proportionis expers.

1787 Hæc verò ſi vera ſunt,longiùs mea ſentētia diſtāt à veritate, qui brutis non ſolum tribuunt vim ſentiendi,quæ ſenſata non ſunt,ſed vim etiam diſcurrendi. Vident,eſſe quandam prudentiæ participationem in brutis, quorum aliqua,vt rectè *a* D.Tho.diſtinguit ſuaptè natura prudētia ſunt,alia exculta præceptionibus artis,ac diſciplinis. Sed neq; hæc participatio ſatis docet,ea diſcurrere,licet imperfectus dicatur diſcurſus,& circa particularia.

a In lib. 2. de Anim. t. 156.

1788 Satis mihi eſt ad huius metaphoricæ prudentiæ opera perficiēda, dare brutis phantaſiæ ſenſum,ex cuius intuitu vis appetendi, quę item in ſenſu eſt,excitatur ad ea proſequenda, quæ naturæ conducunt, & ad auerſionem eorum,quæ naturæ aduerſantur. Artificiosè videntur à brutis fieri, quæ docta ſunt; ſed in illis ipſis operari naturam per phantaſmatum ordinationem ſine vllo diſcurſu,dicendum eſt,ſicut in alijs natura operatur, nōdum etiam inſtituta.

1789 Et quidem ſi diſcurſum in brutis ſemel admitterem,hūc, qui dicitur imperfectus,& circa ſingularia,vererer,nę ijſdē daretur etiam perfectus. Nā quęcumq; tandem materia diſcurſus ſit,ſi forma bona fuerit, perfectus erit.

1790 De memoria,qua etiam beſtiæ præditę ſunt,dubitatur, an inter ſenſus internos numeranda ſit. Eſt hæc cuſtos phantaſmatum,ſedemq; habere creditur in illo eodem interiori ſinu,vbi phantaſia reſidet. Sed ad cuſtodiam nulla actio neceſſaria eſt,nec quantum ego cēſeo vlla potentia, quia impreſſę ſemel rerum imagines in cerebrum,ſatis ex ipſius cerebri qualitatibus cōſeruantur,aut deficiunt,prout maior fuerit humiditas,ſiccitas &c.

1791 Reor tamen,dandam eſſe hanc facultatem diſtinctam, cuius munus ſit,rerum imagines mouere,vt phantaſiæ iterum proponantur.

AP-

APPETITVS, & Motus. CAP. XL.

1792 ANIMA, quæ ſenſitiua à ſenſationibus, tum externis, tum internis dicitur, nõ ſolum ſenſitiua eſt, ſed etiam appetitiua eorum, quę ſenſus præmonſtrauerint. Duplex diſtingui ſolet in naturalib. appetitus; innatus videlicet, qui eſt naturæ propenſio in finem, etiamſi nulla finis notitia præceſſerit, & elicitus, qui eſt etiam tendentia in finem, ſed cognitum, tametſi nõ ſub formali ratione finis, vt optimè hac in re *a* D. Tho. ratiocinatur. Hic, vbi aſſero, ineſſe vim appetendi animæ ſenſitiuæ, appetitionem elicitam intelligo.

a 1. 2. q. 1. art. 1. & 2.

1793 In vno appetitionis nomine duplicẽ actũ cõprehende, proſecutionis videlicet, & fugę. Nã quãuis potentiæ inditum ſit nomen á proſecutione, cõuenit vterq; actus eidẽ, ſiuè proſequatur bonũ, ſiuè malũ auerſetur. Nec verò ad vitę cõſeruationẽ, ad quã & ſenſus, & appetitus dati sũt, minus neceſſe eſt noſſe, quę naturę aduerſantur, vt caueas, quam quę proſunt, vt conſecteris.

1794 Quod in voluntate de actu proſecutionis dici ſolet, adęquatũ eius obiectũ eſſe bonũ, ſiuè verũ, ſiuè apparens, actus verò fugę adęquatum obiectum eſſe malum, proportionaliter hic aſſero de appetitu, cuius proſecutio nunquã ſit circà malum ſenſibilem, auerſio, & fuga nunquam circà bonũ.

1795 Duę *b* verò ſunt appetitiuę aĩę partes, ſeũ facultates, ſ. cõcupiſcẽtia, & ira. Cõcupiſcẽdi vis eſt in bonis appetẽdis, quę ſine difficultate habẽda ꝓponuntur, auerſandoq; oppoſito malo. Iraſcendi verò in appetendis bonis, quę adiunctã habent difficultatem, ipſisq; obſtãtibus difficultatibus repellendis.

b Ex Ariſt. li. 2. de An. t. 27.

1796 Non admodum certum eſt, an hæ duæ facultates inter ſe plus quam ratione diſtinguantur; ſed diſtingui probabile eſt, vt optimè ratiocinatur D. *c* Thom. multam enim facit in obiecto, ipſoq; operandi modo diſtinctionem, ſi ſimplex delectabile fuerit, aut ſi delectabile arduum.

c 1. p. q. 82. ar. 5.

1797 Visa est *a* alicui vis irascendi solis hominibus conuenire, non autẽ bestijs. Sed, opinor, is iram à rabie, & effrẹnata ferocia distinxit. Quis enim neget, etiam bestias pro delectabili consequendo certare, & vitam ipsam ponere in repulsa contrariorum? Spumant apris ora, inquit *b* ille ipse, dentes acuunt attritu, taurorum cornua iactantur in vanum, arena pulsu pedum spargitur, leones fremunt, inflantur iratis colla serpentibus, rabidarum canũ tristus aspectus est, nullum est animal tam horrendum, tamq; perniciosum natura, vt non appareat in illo, si ira inuasit, nouæ feritatis accessio.

1798 A facultate concupiscendi, seu etiam irascendi, prout circa bonum operantur, solo nomine distinguitur, quæ à sensu dicitur sensualitas; Describit hanc *c* D. Thomas, appetitum rerum ad corpus pertinentium.

1799 Soli tamẽ homini attribuitur, & quamuis vocabulum sit anceps, vsus eius est cum appetitione allectus, deficit à præscripto rectæ rationis. Qui debeat hęc vis in officio contineri per imperium rationis, vidit, & edocuit *d* Aristoteles vbi ait. Sicut puerum ad pedagogi præceptum viuere oportet, ità concupiscibilem animæ facultatem rationis imperio obtemperare.

1800 Omnia animalia, quæ sensum habent, *e* saltem tactum habent omnia, habent eadem appetitum; Non tamen omnia ex appetitu cogniti, adamatiq; boni, loco mouentur, nisi localis motus nomine dilatationem aliquã, aut contractionem intelligas. Non ergo omnia progrediuntur, incedunt, serpunt, quia satis *f* aliquibus à natura prouisum est sine hoc actu.

1801 Quæ verò perfectiora sunt, habent pręter assignatas facultates, aliam, qua se agant, ac loco moueant. huius instrumenta indicata à me sunt, musculi, nerui, spiritus nihil repeto.

a Senecæ lib. 1. de ira c. 3.

b Idem Senec. ibid. c. 1.

c 1. p. q. 81. ar. 1. in argumẽto sed contra.

d Lib. 3. Ethic. c. vlt.

e Ex Arist. lib. 2. de Anima. t. 17. & 4. de hist. c. 8.

f Vt spongijs & alijs de quibus Arist. lib. 1. de hist. c. 1. li. 5. c. 16. Pli. lib. 9. c. 43.



ANIMA RATIONALIS.

CAP. XLI.

1802 PRAECEPTVM *a* est pijs philosophis, & catholicę fidei sectatoribus, qualem me esse profiteor, vt de anima rationali accuratius philosophentur, quam de alijs animæ partibus, quia maius est errãdi periculum. Pono igitur ea principia, quibus subesse non potest error, cũ ea nos diuina edocuerit sapiẽtia. *b* Est in vno hoĩe vna anima numero; rationalis videlicet, quæ sit eadẽ principiũ, tũ rationis, tũ sensationis, & vitæ.

1803 Non est hæc anima diuinæ substantiæ particula, quæ in humanum corpus illabatur portentosa illa distractione diuinę substantiæ, quam *c* quidã malè sani sibi somniarunt, sed est diuinæ omnipotentiæ effectus, à Deo videlicet creata de nihilo, non extrà corpus, sed in corpore ipso, materia recipiẽte quidẽ, sed minimè causante. Est ergò vera forma informans humanum corpus, verumq; compositum substantiale, vnumq; per se cum eo constituens.

1804 *d* Error est arbitrari, vnam esse numero animam rationalem, vel in omnibus, vel in pluribus hominibus. Sua enim vnicuiq; est, & ad nouas hominum generationes noua semper à Deo creatur. *e* Nam error pariter est, fuisse omnes animas rationales à Deo simul cum Angelis primùm creatas, mox in corpora demitti. Simile quid cõplures Platonici cõmẽti sunt; sed q̃squis melioribus Catholicę fidei principijs imbutus fuerit, palã fatebitur, cõmẽtitiã esse tum primam illam creationem, tum trãsmigrationẽ in corpora.

1805 Difficile alijs visum est, nasci ex homine hominem, nec tamen animam ex patris anima esse, sicut est corpus ex patris corpore, & hac falsa ratiocinatione permoti asseruerunt, hominis animã, non secus, ac aliàs formas generari. Error hic est, & grauis in Catholica, quę sola vera philosophia est, & meritò viri *f* Doctissimi cõfutarũt; est.n. vt dixi, hæc forma à Deo immediatè,

a Concil. Later. 3. Sub Leone X.

b Ex 8. Syn. Gener. act. 10. Can. 11.

c Stoici. Gnostici, Manichæi, Priscillianistæ, damnati Concil. Bracar. 1. c. 5.

d Ex defin. cit. Cõcil. Later. 3. Sess. 8.

e Ex Cõcil. Bracar. 1. c. 6. & Longiori Disp. D. Cyrilli li. 1. in Ioan. c. 9.

f S. Hier. epist. ad Marcellinũ quæ est 27. inter epist. D. August. S. Tho. 1. p. q. 118. a. 2.

naturæque spiritualis, & immortalis, duraturæ videlicet extrà corpus, vt benè factorum pręmia recipiat, aut debitas malefactis pœnas.

1806 Hæc sunt principia, quæ pono, non vt de ijs disputatio habeatur, sed vt ijs positis veram hac in re philosophandi ratione sequamur, Nec verò ratio vlla, vel ex Aristotelis, vel ex cuiusuis alterius doctrina, afferetur, quę has veritates vlla ex parte labefactare queat.

1807 Quamquā quod spectat ad Aristotelem, valdè mihi probabile est, eū animæ immortalitatē agnouisse; hæsitanter tamen, quia non certò nouit eius generationis modum, cum nō nouerit creationem ex nihilo, quæ dicitur cū nouitate essendi.

1808 Quod verò spectat ad alios philosophos, multi, nobilesq; fuere animę immortalitatis *a* assertores. Et si non alio nomine, hoc saltem digna est, quæ laudetur plurimum platonica philosophia, in qua communis hæc totius humani generis causa, tā multis, tā validis rationibus *b* demōstratur, vt vix quicquā à naturalis luminis cōmentationibus desideres. Audis in ea Socratem, hausto iam veneno, mortē, idest honestissimum è vita exitum, expectantē, & de animi immortalitate ità certū, vt hæc vna illi scientia mortē in votis faciat.

a Quos citat Eugubinus lib. 9. de perenni Philosophia.
b Passim, sed ex professo in Phædone.

1809 Et quidem humanum animum esse immortalē, non solum catholica fides docet, sed etiam rationes, quas, nisi cui animus sit turpi viuendi cōsuetudine obcęcatus, naturale lumen facilè ostendit. Deducuntur hæ potissimū ex operationibus, à materia, materialiq; instrumento separatis, vt rectè monuit D. *c* Augustinus; tum vero etiam ex appetitu beatitudinis, vitæq; perēnis. Cū immortalitate verò facile coniuncta agnoscuntur, esse eādem formā substantialem, spiritualem, à Deo creatam, & similia, quæ de anima asserui.

c Lib. de Immort. Animæ.

1810 Vbi verò dicitur anima immortalis, intellige longè diuersam illi perēnitatē tribui, ac sit Dei immortalitas. Etenim dupliciter aliquid dicitur immortale, primò quod nec habet, nec vlla ratione habere potest interitū; mox illud, quod quantùm postulat eius naturę conditio, nunquam habiturum est interitum, habere tamē potest, si is, à quo liberè conseruatur in esse, noluerit amplius conseruare. Primo illo modo solus Deus immortalis est, deq; ipsius Dei natura immortalitas est; Vbi verò dicitur humanus animus immortalis, dictum habes hoc posteriori genere immortalitatis.

1811 Perfectissima hæc animę pars principium est perfectissimarum operationum; non tamen immediatū, sed medijs potentijs, tanquā proprijs instrumentis coniunctis. Quotquot sint huius animę potentiæ, & operandi facultates, in hoc differunt ab alijs aliarū animarū, quod non sint determinatę, aut alligatæ ad vllum certum organum corporeum, vndè dicuntur potentiæ inorganicæ. Et ex eodem prouenit, quod huius animæ operationes non solum tribuuntur coniuncto, sed verè, & propriè etiam ipsi animæ.

1812 Quod est in senibus, sentire, & appetere, longè nobiliori ratione est in anima rationali intelligere, vel velle, & quod in ijs est, conseruare rerū phātasmata, quę iterum excitata, rerū pręteritarū memoriam excitent, in hac est conseruare rerū intelligibiliū species, & imagines, quę excitent memoriā intellectiuam. Tres igitur numerari possunt huius animę facultates, intelligētia

voluntas,

volũtas, memoria, qua de partitione ſępè *a* Theologi meminerũt, vbi impreſſam à Deo in homine Sanctiſſimę Trinitatis imaginem, philoſophantur.

1813 Sed in ſingulis animalibus intellectus duplex numeratur, vnus dicitur agens, alius poſſibilis. Huius diſtinctionis neceſſitas eſt ex neceſſitate ſpecierum intelligibilium, ſinè quibus videlicet, intellectio non eſt, quia nimis longè diſtaret obiectum à potentia.

1814 Neq; verò hæ ſpecies ſunt ipſi animę congenitę, vt *b* Plato cenſuit; Nec ab externis obiectis poſſunt aduenire, ſicut ab ijs adueniunt ſenſibiles; Nam, vt rectè congruant potentię ſpirituali, ſpirituales item, ac immateriales eſſe debent. Has ergo producit intellectus, qui dicitur agens, in altero, qui dicitur poſſibilis.

1815 Malè *c* quidam agentem hunc intellectum extrà animam poſuerunt, aut vnum omnibus communem, & vniuerſalem. Malè alij eidem vim intelligendi tribuerunt. Scilicet non eſt hæc facultas ad cognoſcendum, ſed ſolum ad ſpecies, & ſpirituales imagines formandas, imprimendaſq; intellectui poſſibili, qui his determinatus, reducatur de potẽtia in actum, intellectionẽq; eliciat, quam eandem in ſe ipſa recipiat. Arbitror, neceſſariam eſſe inter has duas facultates diſtinctionem maiorem, quam quæ à ratione eſt, ſiuè illam formalem dixeris, ſiuè ex natura rei.

1816 Comparat Ariſtoteles intellectum agentem lumini, ijs verbis: Eſt quidam intellectus, qui omnia fit, quidam verò, qui omnia facit, vt habitus quidam, quale eſt lumẽ; quodam.n.modo, & lumen facit, potentia exiſtentes colores, actu colores. Hinc vulgo dicitur is intellectus illuſtrare phantaſmata, quod mea ſententia nihil aliud eſt, quam ad phantaſmatũ præſentiã, ipſiusq; imaginatiuę operationem, producere rerum intelligibilium ſpecies, ijſq; ratione explicata reducere intellectum de potentia ad actum per ſufficientem determinationem ad operandum.

1817 Receptę ſemel ſpecies intelligibiles in intellectu poſſibili, durant, non ſolum quamdiù quis operatur, ſed etiam poſt operationem, aſſeruatęq; ab alia facultate excitantur, cum rurſus operatio futura eſt.

1818 Hæc facultas dicitur memoria intellectiua, cuius munus eſt, excitare ſpecies, ex quarum recurſu rerum pręteritarum iterata cognitio ſit, quæ dicitur memoria. Meritò hac in re D. *d* Thomas Auicennam reprehendit, exiſtimantem tamdiù durare ſpecies, quamdiù durat intellectio, & memoriam, quam non denegat brutis, homini, qua homo eſt, denegantem.

1819 Impreſſę ſimùl in potentia ſpecies intelligibiles perpetuo conſeruantur. neq;.n. contrarium ipſę habent, neq; ex parte ſubiecti, in quo ſunt, vllam pati poſſunt corruptionem, quia ſubiectum, immateriale, & incorruptibile eſt. Non tamẽ hinc ſequitur, vt indelebilis ſit memoria rerum intellectarum, quia enim oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari, ſi phantaſmata, quę in organo ſenſitiuæ facultatis ſunt, depereant, nullus amplius erit vſus ſpecierum intelligibilium, dum hominis anima in corpore ſit, & huius mortalis vitæ ſtatu.

1820 Vim intelligendi ſequitur vis appetendi, quæ dicitur appetitus rationalis,

a S. Ambroſ. lib. de dignit. hominis c. 2. S. Baſil. & alij in Hexam. Theologi, vbi de opere ſex dierum.

b In Phædone, vel de Anima.

c Alex. lib. 2. de Anima ca. 20. & 21. Auic. 9. meta. cap. 4.

d Lib. 2. contra Gent. cap. 74. & de verit. q. 10. a. 1.

nalis, voluntas. In bonũ hic fertur, tanquã in propriũ obiectũ, & adęquatum, si spectes actum prosecutionis; per fugam verò adęquatè versatur circà malũ.

1821 Neq; verò ex eo, quod obiectũ huius appetitus videatur esse idem cũ obiecto appetitus sensitiui, sequitur, vt nulla sit inter has duas potẽtias distinctio; appetitus.n. sensitiuus solum fertur in bonum, quod sensus præmõstrauerit, scilicet sensatum bonum; rationalis verò in illud, quod præmonstrauerit intellectus, sub quem non solum sensibile bonum cadit, sed etiam intelligibile, nec solum particulare, sed etiam vniuersale.

1822 Sed aliud discrimen est inter sensualem, & rationalem appetitũ, quod facit hunc longè præstantiorem illo: libertas videlicet, quæ huic competit, & qua se ipse mouet, aut retinet, etiam obiecto proposito. Cum contrà appetitus sensitiuus obiecto proposito in illud statim incitetur, & verò irruat, nisi voluntatis imperio retineatur in officio, per quod imperiũ habet in homine sensus quandam libertatis participationem, qua bestię prorsus carent; dum quia voluntas non vult, etiam sensus abstinet, & quia illa vult, hic etiam ad rei consecutionem adnititur. Hoc est, quod in schola Theologorũ pro recepto *a* axiomate est, hominẽ, dũ vult, agere, bruta agi potiùs appetendo, quã agere.

a Ex D. Damasc. Lib. 2. de fide cap. 27.

1823 Distinguitur in duas partes sensitiuus appetitus, vt *b* supra dixi, idest in concupiscentiam, & iram. Sed non est necessaria par distinctio in appetitu rationali; satis.n. est voluntas vna, *c* quæ cum intra latitudinẽ sui obiecti contineat bonum, etiam sub vniuersali ratione boni, quæcunq; specialis ratio boni repræsentetur, ad illam ferri poterit, tanquam ad comprehensam sub illa vniuersali. Hæc ergo vna, & eadem bonũ amabit, aut malum detestabitur, siuè difficultatem adiunctam habeat, siuè secùs. Sed nihil hìc de amore supernaturaliũ loquor, qui de sola naturali huius facultatis vi dissero.

b Hoc eod. lib. 2. cap. præced.
c Ex D. Tho. 1. p. q. 82. a. 5.

1824 Cũ tres sint rationalis animę facultates, intellectus, voluntas, memoria, tria ex his habes operationum genera, intelligẽdi, volendi, & memorandi. Cæterũ ab eadẽ potẽtia plures actus distinguuntur, nõ ex partitione principij, sed aliquãdò obiecti partialis, aliquãdò finis, aut similiũ circũstantiarum.

1825 Talis est illa diuisio, qua dicitur, & intellectio, & intellectus ipse speculatiuus, aut practicus. Vnica videlicet est potentia, vt rectè ratiocinatur *d* D. Thomas cũ cõmuni consensu diuisa ex accidentalibus obiecti cõditionibus, dũ circa illud, aut sui gratia cognitio est, aut gratia operis faciẽdi, agendi ve.

d 1. p. q. 79. a. 11. quem male impugnat Zabar. lib. de facult. animæ cap. vlt.

1826 Siuè autem intellectus speculatiuus dicatur, siuè practicus, triplicem illã habet operãdi rationem, quam *e* alibi tradidi, apprehensionem videlicet, compositionẽ, seù iudiciũ, & discursũ. Ratiocinari idẽ dicitur, & intelligere. Ratiociniũ idẽ est cũ discursu, & est homini magis propriũ, quam intelligere; quatenùs hoc Angelis magis propriè tribuitur, quæ substantiæ dicuntur intellectuales, homo verò dicitur animal rationale.

e Lib. 1. cap. 1.

1827 Huc spectant illa *f* Platonis, intelligentias propiùs ad Deũ accedere, quã humanas animas, quia illę immobiles sunt, hæ mobiles. Harum motus est in discursu, earum immobilitas est in simplici intelligentia.

f Ex Ficino Cõment in Cõuiu. orat. 6. cap 15.

1828 *g* Duplex item ratiocinij actus homini tribuitur, qui dicitur aliquandò ratiocinari secundùm rationes æternas, alias verò secundùm temporales.

g Ex Arist. Idẽ lib. 5. eth. ca. 1. D. Tho. 1. p. q. 79. a. 9.

Secun-

Secundum æternas discursus est, dum ex recto iudicio, quod de æternis, ac super cœlestibus habet, consilium capit in rebus agendis, quæ propiùs ad vitam politicam spectant. Secundum temporales verò, dum ex humanis ratiocinatur, nec ad altiorem sapientiam se se eleuat. Vtriusq; ratiocinij tunc demum rectus erit vsus, cum humanorum consiliorum regula ex diuinis capietur, aut ex humanis, quæ minimè discordent à diuinis.

1829 Ad intellectum etiam spectant, synderesis, & conscientia, quę duo sũt inter se non parum affinia. *a* Synderesis est habitus iudicij de principijs practicis in communi, ac respondet accommodata quadã proportione iudicio, quod in speculatiuis scientijs quisq; habet de speculatiuis principijs. Respõdet ergo huius synderesis habitus habitui, qui dicitur intellectus circa principia prima, & acquiritur exercitatione, quamquam propter inditam vim naturali lumine facilè quisq; in hoc exercitio operabitur, nisi mentis acies praua viuendi consuetudine hebetetur. Synderesis vulgo dicitur, sed magis emendatè diceretur *b* Synteresis, idest conseruatrix earum communissimarum notitiarum.

a Ex D.Tho. 1. p.q.79.a.12.

b συντήρησις

1830 Hic ipse synderesis habitus est, qui dicitur aliquando naturale iudicatorium, & principium illius iuris, quod naturale dicitur, seù gentium; naturę videlicet ex attenta consideratione, firmoq; iudicio inscriptum, ac gentibus omnibus euulgatum, nisi præ nimia barbarie in feras bestias degenerarint. *c* Exempla illa habes: Deum colere, parentibus, ac patrię parére, vim vi repellere, hominem homini insidiari nefas esse, censere. Hęc ipsa prima sunt virtutum omnium semina, datura prouentum, si cultura non desit.

c Ex ff. de Inst. & iure lib. 1. §. ius gentium & cap. ius naturale dist. 1.

1831 Huius eiusdem habitus actus conscientia dicitur, quando coniunctus est cum notitia particularium circunstantiarũ, cum quibus particularis actio practica coniuncta est, siuè de factis loquamur, siuè de faciendis, hinc interprete D. *d* Thoma dicitur conscientia, quasi cum alio scientia.

d 1.p.q. 79. a. 13.

1832 Bona dicitur conscientia, cum particulares circumstantiæ in rebus agibilibus aptę congruunt cum illa vniuersali notitia; Contrà dicitur mala, cum discordant, dummodo quisq; sibi bene conscius sit, discordent ne illæ, an congruant, ex qua notitia sequitur conscientiæ securitas, vel accusatio, seù morsus. *e* Recte ille Prima, & maxima preccantium est pœna, peccasse. Hæ verò sunt precipuę quędam rationalis animę operationes. De voluntatis actibus nihil addo, ne longius digrediar à physicis ad moralia. Nunc ad metaphysica progredior.

e Seneca epist. ad Luc. 98.

METAPHYSICAE *Habitus, & Ordinatio.*

CAP. XLII.

1833 TERTIA naturalis philoſophiæ pars eſt, quæ à loco, quē poſt phyſicam habet, metaphyſica *a* appellatur. Neque verò, quia doctrinæ ordine poſterior eſt, eſt eadem item poſterior dignitate; etenim hæc eſt omnium ſcientiæ, ac philoſophiæ propriè dictæ partium digniſſima, & nobiliſſima, & ex hoc ipſo principatu, quem inter eas obtinet, habet, vt aliquando hæc ſola dicatur abſolutè philoſophia, *b* aliquando prima philoſophia.

a Lib. 4. meta. t.5. & alibi.

b Lib. 1. phyſ. t.83.

1834 Theologia *c* eadem dicitur, non illa, qua nunc Theologię nomine cēſetur ex illis principijs deducta, quę Deus verę ſapientię magiſter nos docuit, credenda magis, quam euidenti notitia percipienda; ſed illa, quam naturali ſolo lumine pręlucente habere poſſumus de Deo, deq; nobiliſſimis ſubſtantijs, quę apud ipſum Deum æuum beatiſſimum viuunt.

c Lib. 6. meta. t. 20.

1835 Neq; verò, quod hęc nobiliſſima ſcientia de Deo ratiocinetur, vllam facit ſuſpicionem, an vera ſcientia eſſe poſſit, *d* cùm ſcire ſit rem per cauſam cognoſcere, & Deus cauſam non habeat, qui eſt omnibus cauſa, & cauſa cauſarum. Etenim ad perfectę ſcientię naturam ſatis eſt, Si loco cauſę reddatur ratio, iuxtá noſtrum intelligendi modum prior, neq; tales rationes in Deo deſiderantur.

d Lib. 1. poſt. t.7.

1836 Dicitur eadem ſapientia, & verò ſapienter, iudice non ſolum illo, qui multum in ſapientia profecerit, ſed quolibet etiam de populo. Horum enim iudicio ſtare vult *e* Ariſtoteles, vbi ſapientis conditiones, ac notas ex vulgi ſēſu perſequitur, mox in metaphyſicum conuenire ſingulas, ſiuè materiam, quā tractat,

e Lib. 1. meta. cap. 2.

tractat, siuè tractationis modum spectes, disertè probat. Sapientiam cum dico, ne intelligas cum Stoicis omnium honestorū habituum, quibus homo, quà homo est, perfici potest, conuentum; neq; cuiusuis alterius habitus excellentiam, qua ratione peritissimi quiq; in actibus practicis *a* vocantur sapientes, sed specialem habitum speculatiuum, qui de nobilissimo obiecto ex altissimis principijs philosophetur.

a Socrate in Theage, vel de sapientia.

1837 His verò notis vulgo describitur sapiens, vt ex eijsdem agnoscatur, quasi de facie. Opinamur, inquit *b* Aristoteles, sapientem esse illum, qui maximè omnia nouerit, vt nosci possunt, non habentem singularum rerum scientiam. is est, qui scientiam habet maximè vniuersalem ex primis, & maximè communibus causis. Hoc enimuerò metaphysicus habet, ergo, & primam notam.

b Lib. 1. meta. cap. 2.

1838 Sapientem, inquit idem, existimamus illum, qui difficiliora, neque scitu homini faciliora cognoscere possit. hinc sapientia non sensibus, quos quisq; expeditos habet, hauritur, sed alta animi contemplatione, quæ ad res penitus abditas pertineat. Hoc pariter metaphysicus habet, qui rerum abditissimarum, & suprà sensuum notitiam repositarum scientiam consequitur, quę eiusdem secunda nota est.

1839 Sapiens item ille dicitur, qui de sua cognitione certus, ac securus sit, habet nimirum causas, easdemq; suę doctrinę reddere poterit, vbi velit alterum ad sapientiam instruere. Neq; in hoc metaphysicus deficit, cui rerum causas nosse datum est, nec verò hęrebit, vbi de suis assertionibus interrogetur.

1840 Deniq; hæ ipsę sapientis notę in eodem sunt, quasi regni insignia. Digna est, quæ per se ipsam ametur sapientia, digna, quæ omnium oculos in se conuertat, digna, quæ omnibus vna imperet. Talis verò metaphysica est, quę item propterea dicitur maximè gratia sui, quia eidem reliquę subijciuntur, vt minores in dignitate, & gradu.

1841 Mirum est, quam multa, quamq; diuersa complectatur *c* Aristoteles in metaphysica tractatione, & verò sic fieri decuit in eius tractatione scientię, quę communissima est. De ordine tamen dubitatur, quia vix vllus videtur esse; Quamobrem venit in sententiam *d* aliquis, hos libros non esse Aristotelis, ergo nec tanti faciendum esse quam auctor sequatur methodum, cum quisquis ille fuerit, magni nominis auctor non fuerit. Non placet hæc sententia, quia contrà est communis Peripateticorum consensus, qui hos libros, veluti Aristotelicos agnouerunt, & suis lucubrationibus dignos.

c Lib. 14. qui vulgo τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ inscribuntur.

d Francisc. Patritius lib. Discuss. peripat. 2. & 3.

1842 Visum est *e* aliquibus, contineri in ijsdem dignam, auctore Aristotele doctrinam, sed in hos libros, veluti in promptuarium, sine vllo ordine, vt fit, congestam, digerendam aliquandò, vel in ijsdem libris, vel in alijs tractationibus, si tempus ferret. Sic in ethicis libri Magnorum moralium congeriem habent moralium quęstionum ordinatè translatarum in alios libros, quibus ea philosophia suo ordine traditur. Neq; id placet, & re vera hoc est apertè fateri, nullum in his libris ordinem conspici. Hæc ergo est, quantum ego arbitror, quatuordecim librorum ordinatissima expositio.

e Vicom. lib. 2. phys. init. & alijs.

1843 Libro

1843 Libro primo post proemium de principijs entis disputatur, quia de ente futura tractatio est. Sed anne principiorum infinita est series? hoc definitur libro secundo. Mox ad rē propiùs venitur libro tertio, in quo discutiendę deinceps quęstiones, quasi in indice discribuntur. De ente metaphysica est, vt paulo post dicam; de hoc igitur à libro quarto ducitur disputatio; Sed incidit vocabulorū ambiguitas, cui tollendę datur liber quintus, quem ipse *a* Aristoteles vocitat librū Quoties, siuè vt alij legunt, de eo quod multipliciter. Expositis vocabulis, proposita res postulat, vt ad ens, eiusq; species redeatur, hoc exequitur liber sextus. Diuisio aliqua entis est in substantiā, & accidens, præstat illa huic, quantū id, quod per se est, illi, quod alterius indiget adminiculo; præit igitur de substantia disputatio, deq; eiusdē principijs, libro septimo, octauo, nono, & verò facile est ex hac naturam accidentis odorari. Reditur ad passiones entis libro decimo, & vndecimo, eiusdem enim scientię est, considerare subiecti species, & passiones. Mox quia de substantia minus distinctè dictū fuerat, distinguitur sensibilis ab intelligibili libro duodecimo. Absoluiturq; tandem disputatio duobus reliquis libris, in quibus antiquorū sententię de entibus abstractis reijciuntur.

a Lib. 7. meta. t. 1. & lib. 10. t. etiam. 1.

1844 Sic agitur, pro ea capitum, sententiarūq; varietate, quę inter homines est; vix vnquam omnes in vno conuenimus. Vbi de metaphysicę obiecto quęritur, alij in vnum extremum abeunt, alij in alterum, dum, vel angustius, quā par est, illud accipiunt, vel amplius. Vtinam ego mediū tutus teneā. Angustè nimis, *b* qui volunt, obiectum metaphysicę esse solum Deum. fateor, hoc esse principale, nego adęquatum.

b Auer. lib. 1. phys Com. vlt. sequuntur aliqui recētiores.

1845 Anguste item, *c* qui volunt, esse solas Intelligentias. Etenim verum est, considerare metaphysicum substantias abstractas, sed similem quandam abstractionem ab omni materia possunt alia plura habere, quę metaphysica erunt nihilo minus.

c Tribuit hanc Niphus lib. 1. meta. eidem Auer.

1846 Idem verò censeo de alijs, qui in solius substantiæ contemplatione sitam esse metaphysicam, voluerunt. Nec magis his placent, qui *d* vt plura intrà huius obiecti latitudinem admittant, Deum excludunt, dum *e* dicunt, considerari per se à metaphysico sola entia prædicamentalia.

d Apud Niphū in Dilucidatio meta. lib. 1. Disp. 1.

e Domin. de Fland. 1. meta. q. 1. Mirād. 17. sing Cert. Sect. 1. & 2.

1847 Qui verò hoc ipsum obiectum latius accipiunt, quam ipsius scientiæ fines patiantur, sunt *f* ij, qui statuunt, ens, vt ens, siuè illud reale sit, siuè rationis, siuè sit ens, quod per se vnum est, siuè quod per accidens, explurium malè congesta congerie. Non sunt omnia hæc scientificis contemplationibus apta pariter.

f Apud Zimar. in tab. verbo Ens.

1848 Sentio cum *g* melioribus totale, & adęquatum metaphysicę obiectum esse ens, vt verè, & realiter ens est, accipiendo esse reale, pro vt contradistinguitur ab ente rationis; hoc enim non per se à metaphysico consideratur, sed occasione accepta ab ente reali, quatenus non malè vna, eademq; scientia ab vno ad alterum oppositum digreditur.

g Alex. Albert. S. Tho. & alijs pluribus.

1849 Huius entis amplitudo Deum ipsum, qui infinitus est, amplectitur. Etenim generica, vel quasi generica eius ratio abstrahit à creato, & increato, à finito, & infinito. Nec verò repugnantia vlla est, quod Deus huius generis

species

ſpecies dicatur, quamuis veriſſimum ſit, planè nihil eſſe prius Deo. In huius entis intuitu metaphyſicus quid non videt? Non.n.ità perſtat in illa ſuprema ratione entis, quin deſcendat ad particulares etiã quidditates. Perſtat tamen ſemper in ſua abſtractione, ad quam ſe volens aſtringit, & inferiora quę ſunt, abſtractè ſemper ab omni materia ſpeculatur. Sic recepta ſemel ſcientiarum diſtinctio minimè perturbatur.

1850 Inter alia, quæ ad ſciendum neceſſaria ſunt, principia complexa recẽſentur, ex quibus aptę conſequentię deriuentur. Etenim verum eſt *a* Ariſtotelis dictum, quod *b* alias vſurpaui, tractauiq; Doctrinam omnem, diſciplinamq; diſcurſiuam ex præexiſtente fieri cognitione. In ipſis verò complexis incomplexa continentur, definitiones videlicet, quæ ad demonſtrandum aſſumuntur, & definitionis partes genus, & differentia, quæ ſpecialis entis, vel ſunt partes, vt contingit in ente creato, vel quaſi partes, proportionata quadam noſtræ intelligentiæ ratione, intelliguntur, vt contingit in ente increato.

a Lib. 1. Poſt initio.
b Lib. 1. cap. 5.

1851 Nobile in metaphyſica principium cõplexum eſt, quod magno verborum apparatu *c* Ariſtoteles pronunciat, Idem ſimul ineſſe, & non ineſſe eidem, & ſecundum idem impoſſibile eſt. Aliquid hic muſſitat Heraclitus, ſed ſi ſanus ſit, credibile non eſt, eum ex animi ſententia loqui: Nec vero neceſſe eſt, inquit *d* Ariſtoteles, quęcumq; quis dicat, eadem & vera exiſtimare.

c Lib. 4. meta. t. 9.
d Ibidem.

1852 Sed qua ratione, (inquies) ipſum hoc principium contra Heraclitum Ariſtoteles demonſtrat ibidem, vbi illud affert, cum notiſſima principia demonſtrari non poſſint? Nego vllam eſſe huius principij probationem in Ariſtotele. Etenim, dum is non potuiſſe contrà opinari Heraclitum docet, id ipſum ex ipſo principio inducit, quia non potuit idem duas contrarias de eadem re habere ſententias. Principium hoc eſt principiorum, eodem auctore *e* Ariſtotele; Omnes, inquit, demonſtrantes ad hanc vltimam opinionẽ reducunt, etenim hæc cœterarum quoq; dignitatum omnium principium eſt. Rectè, nam hoc principio phyſica, & mathematica, ſi res ferat, clariora fiunt, & firmiora.

e Eod. lib. 4. meta. t. 9. in fine.



ENTIS ANAlogia & Vniuersalitas.

CAP. XLIII.

1853 ENTIS nomine *a* Auicenna intelligit id, quod existit, cui videlicet præcipua essendi ratio ipsa sit existentia. Alij id, quod est, cui essendi ratio sit ipsa quæ est prior existentia. Placet D. *b* Thomę distinctio, posse videlicet ens accipi, vel quà est participium verbi sum, & sic veram esse Auicennę sententiam, & ex mente *c* Aristotelis; vel quà est nomen, significans communem rei rationem, contradistinctam á nihilo, & sic veram esse aliorum sententiam, itemq; ex *d* Aristotelis mente.

a Apud D. Tho. li. 4. meta. lect. 3.

b Quodlib. 2. a. 3.

c Lib. 2. phys. t. 1. lib. 8. phys. t. 21.

d Lib. 4. meta. t. 20.

1854 Ex eadem vero distinctione natura entis significatur; Nec. n. hic requiras huius abstractissimi gradus definitionem, quia supremus cum sit, ac simplicissimus, vt rectè *e* D. Thomas admonet, ipseq; *f* Aristoteles, definiri non potest, sed solum descriptione indicari. Frequentius tamen entis vocabulum, vt nomen sumitur.

e De Verit. a. 1. q. 1.

f Lib. 5. meta. t. 14.

1855 In hac notione de omnibus prædicatur, quę non sint planè nihil, quo verò prædicationis genere, vniuoco ne, æquiuoco, an analogo? lis est. Et quia id, quod prædicatur est ipse obiectiuus conceptus prædicantis, hęc ipsa, quęstio est, quæ de vniuocatione, æquiuocatione, analogia entis, proponi solet. Nec verò pro hac re censeo, vllam imponi mihi necessitatem de formali entis conceptu disputandi, de quo ex obiectiuo facilè philosopheris.

1856 Non probo *g* eorum placitum, qui volunt, ens de suis inferioribus æquiuocè prædicari. Et quidem malè hac in re *h* Porphirius Aristotelis doctrinam interpretatur, nisi ęquiuocorum nomine analoga intelligat, id quod, fateor, non raro ipse intelligit Aristoteles, vt *i* alibi asserui. In aliud autem

g Quorundam apud D. Tho. q. 7. de pot. a. 8. apud Capr. in 1. dist. 2.

h Cap. de Specie.

i Lib. 1. cap. 9.

extre-

extremum concedunt *a* alij, qui volunt, ens vniuocè prædicari; ſed ſecũ trahit hæc aſſertio aliam quæſtionem, quæ videlicet vnitas in obiectiuo prędicatorum conceptu requiratur ad vniuocationem, qua vniuoca ab analogis diſtinguuntur.

a Scotus in 1. d. 3. q. 1. & alibi cum ſuis.

1857 Sentio pro hac ſecunda, id quod vniuocè prædicatur, & non analogicè, abſtrahere ratione, ac re; vt maior videlicet diſtinctio ſit inter abſtractũ ſuperius, & inferius, à quo abſtrahitur, quam quę naſcitur ex ipſa abſtractione. Eſt hæc diſtinctio formalis, ſiuè ex natura rei, quam non ex ſeparabilitate cognoſcimus, ſed ex affectionum diuerſitate.

1858 Sentio pro illa priori, ens nõ vniuocè, ſed analogicè prædicari, & verò grauiſſimi conſentiunt auctores, quos D. *b* Thoma magiſtro optimo, doctiſſima habet ſchola Thomiſtarum. Conceptus verò obiectiuus qualis erit? vnus opinor in mẽte dũ ſuprema entis ratio, ſuis quaſi denudata differẽtijs, repræſentatur, ſed nõ vnus in re, quia ipſæ entis differentiæ re ipſa entia ſunt.

b In 3. d. 1. q. 1. art. 2. ad 1. de verit. q. 1. a. 1. 4. meta. lect. 1. & alibi.

1859 Qui ergo (inquies) entis differentiæ per abſtractionem ab ente ſeparantur, ſi entia ſunt, ſiq; in ente includuntur? Teneo dignam Scotiſtarũ ſchola ſubtilitatem, ſed ad eoſdem reſpondeo, minimè nouum in philoſophia eſſe, rem aliquam non in eadem ſemper imagine in animo exprimi. Eſto igitur entis differentiæ in re ſint entia, in mente, quatenus differentiarum notionem habent, non dum vt entia referuntur, atq; ideò nondum in conceptu entis includuntur.

1860 Inſtas, an fortè ſub eadem illa notione referantur, vt nõ entia? Enimuerò difficile dictu eſt, ens à non ente diuidi, conſtitui uè, tanquam à differẽtia. Laudo parem in inſtantia ſubtilitatem; ſed nego illa referri, vt non entia, quia reflexa operatio nõdum eſt elicita, qua videlicet intelligatur, an ipſę entis differentiæ entia ſint.

1861 Habet ſe ad illas intelligentia negatiuè, vbi verò eſſe entia, nouerit, in ente comprehendet, vt ſpecies, data alijs differentijs differentiarum notione. Timet hic aliquis progreſſum in infinitum, & verò ego ipſe timorem, ſi in rebus in infinitum iretur, nec in ſolis cõceptionibus. Sapienter ceſſabis tandem, cum videris, nullam eſſe in proceſſu maiorem ſapientiam.

1862 Pono autem, duas eſſe analogiæ ſpecies, attributionis alteram, alterã proportionis. *c* Quæ enim dicitur analogia inæqualitatis, analogia nõ eſt, ſed vniuocatio, cum ſpecierũ inęqualitas, quę ex differentiarũ conſtitutione naſcitur, nullam omnino faciat in generibus, quę re abſtrahunt inęqualitatem.

c à Caiet. opuſc. de Analogia nom. c. 1.

1863 Analogia attributionis eſt in vnius, vel pluriũ cõparatione ad vnũ principale, à quo reliqua denominationem ſortiuntur. Vix reperias, aut ne vix quidẽ, huius analogię nomẽ apud Ariſt. vtuntur tamen hac appellatione philoſophi, ipſaq; hæc analogia eſt, quã *d* Ariſt. ab vno, & ad vnum vocat; Ab vno ſcilicet, à quo fit denominatio; Ad vnum, ad quod denominata referũtur, illud principale analogatum dicitur, hæc minus principalia.

d Lib. 4. Meta. t. 2. lib. 7. t. 15. lib. 5. t. 11. li. 1. Ethic. c. 6.

1864 Dubiæ verò quęſtionis eſt, an hęc minus principalia extrinſecã ſolũ denominationẽ à principali recipiãt, an verò ẽt intrinſecè formã participẽt, ſed perfectè minus, ac diuerſimodè. Sentio, ſi extrinſeca denominatio ſit, ſed

certa cum ratione facta, esse attributionē, itemq; esse, si denominatio intrinseca sit, sed non à pari perfectione formæ.

1865 Analogia proportionis dicitur, quando inter terminos, ad minimum quatuor, proportionaliter se habent duæ rationes. Non nihil hac de re *a* supra asserui in mathematicis nihil hic repeto, nisi hanc esse alteram analogiæ speciem in Aristotelis doctrina benè notā. Quod verò spectat ad ens, cuius analogiam inuestigamus, eam ex his ipsis vestigijs modo notatis facilè deprehendas.

a Hoc eod. lib. 2. c. 1.

1866 Dicitur ens analogicè analogia attributionis, nec enim generica hæc ratio in pari perfectione reperitur in ijs quæ sunt, & principaliùs dicitur de Deo perfectissimo ente, quam de creatis rebus; item principaliùs de substātia, quam de accidente.

1867 Est idem analogum, analogia proportionis; Nam illa, de quibus prædicatur, comparabilia sunt in hac participata ratione essēdi, & vnumquodq; ad suum esse habet se proportionaliter, sicut alia ad suum. Hanc assertionem, etiam aduersarij probant, dum contendunt *b* aliqui, esse ens analogum analogia solum attributionis, *c* alij solum proportionis. Probant vtriq;, quod volunt; sed non illud solum.

b Aegid. 4. meta. Suar. Disp. 28.

c Caiet. de ente, & essentia.

1868 Quod si nomen entis ad ipsum ens rationis extendere voluerimus; vtraq; analogia reperietur; attributionis, quà entia rationis entia dicũtur per quandam imitationem realium, ad quæ referuntur, vt ad principalia analogata; proportionis verò, vbi facta rationum comparatione, ità se habet ens rationis ad suum esse, sicut reale ad suum.

1869 Quod spectat ad entis vniuersalitatem vel in ipso supremo gradu entis, vel in suis inferioribus duplex hæc a *d* Philosophis distinguitur: vniuersalis videlicet, et formalis, posterior hæc dicitur, cũ forma, vel quod se per modum formæ habeat, abstrahitur à subiecto. Et hæc illa est, ex qua suum habet prædicandi modum differentiæ, proprietates, & communia accedentia, de quibus *e* supra suas posuimus assertiones; nec enim quod sic abstrahitur vnquam prædicabitur in quid, sed in quale, vel quale quid.

d Ex D. Tho. 1. p. q. 40. art. 3. Caiet. opusc. de ente, et essētia.

e Lib. 1. c. 2.

1870 Abstractio vniuersalis dicitur, cũ ratio superior ab inferiori prẹscinditur, videlicet aut species ab indiuiduis, aut genus à speciebus, nec alia datur præter has duas, nisi quæ fortè has imitetur. Et vbi has solas spectarũt aliqui, optimè mea sententia dixerunt, duo tantum esse vniuersalia, non quinq; idest genus, & speciem. Sed qua ratione eadem dicātur quinq;, *f* alibi asserui. Hęc ergo superior ratio ab inferiori abstracta, si de eadem prædicetur secundum nomen, & respondentem nomini substantiam eandem, species quędam entis est, quæ de subiectis sibi partibus vniuocè prædicatur, & dicitur vniuersale definitum, seù descriptum ab *g* Arist. vnum in multis, & non æquiuocè.

f Lib. 1. c. 2.

g Lib. 1. meta. t. 30. & 57. li. 7. c. 45. lib. 1. post t. 25. vel 81.

1871 Diuisio est ex antiquis Peripateticis accepta, vniuersalis antè multa, in multis, & post multa, & de singulis quæsitum est, an, & vbi reperiantur. Nec enim recepta est apud sapientes Pyrrhonicorũ persuasio, *h* aliorumq;, qui dari vllum vniuersale, obstinatissimè negabant. Ac tantundem negasse mihi vidēt Nominales, q; vniuersale in solis vocibus, ac nominibus reponũt;

h Cratyli Heracliti apud Aris. 4. meta. t. 22.

sci-

ſcilicet quia quicquid eſt,ſingulare eſt,nihilq; vnius commune eſt alteri, niſi nomen,aut,ſi mauis,formalis conceptus, res verò ſe ipſis totis inter ſe diffident.Hæc hi dum aſſerunt,aut non reſpondere nominibus conceptus, conceptibus res, volunt, quod eſt ſcientiam rerum è medio tollere, aut ſi concedant reſpondere,in nominibus rerum communitatem velint,nolint,concedunt.

1872 Platoni adſcribitur opinio de Ideis,quaſi eas voluerit,eſſe ipſum vniuerſale ante multa.Pluribus nec vno in loco contrà hunc agit *a* Ariſt. & quidem firmiſſimis rationibus,ſi Plato ſuas has ideas extrà Deum,reſq; ipſas ideatas poſuit.Sed hac de re quis iudicet uiris diſertiſſimis altercantibus, & in contraria euntibus?Nihil ego hic definio, hac de re.Illud verò, vt certũ,aſſero,Ideas,vbi vbi ponantur,non eſſe vniuerſale,quod dicitur in eſſendo, atq; ideo etiam ideis datis,nego dari vniuerſale ante multa.

a Lib. 1. 3. 7. 12. 13. Meta. & alibi.

1873 Rerum naturę, quæ nondum exiſtunt,ſed poſſunt aliquandò, non ſunt ſimpliciter nihil,ſed aliquid,non ratione exiſtentiæ, ſed ratione eſſentię, ſuntq; antè multa, quatenus omnis potentia prior eſt actu; non tamen ſunt vniuerſale,quod quęrimus ante multa, quia non habent ſufficientem vnitatẽ ad vniuerſale requiſitam,nec cum vnitate aptitudinem ad multa.

1874 Libet hic de his naturis poſſibilibus aperire,quid ſentiam,*b* viri doctiſſimi verbis latinis, quantùm ſatis eſt ad rem philoſophicè tractandam: Eſt, inquit,vltrà nihilatem,quæ eſt carentia actualis exiſtentiæ, eſſentia in eſſe eſſentiæ,quæ abſolutè cõſiderata,vt natura,vel quidditas,eſt ſubſtrahibilis nileitati exiſtentiæ,& aliquidditati exiſtentiæ. Hoc eſt ipſi eſſe,vel non eſſe actualis exiſtentiæ,& ipſa ſecundum ſe ſemper eſt aliquid in genere eſſentiarum,& in eſſe intelligibili,& in potentia actiua creatoris,licet non in eſſe reali actuali.

b Capr. in 2. d. 1. q. 2. ar. 3. ad 4. Aur. contra 4. concl.

1875 Vbi autem res ipſa exiſtit,certam quandam naturã habet,quę in ipſa eſſe dicitur,eſtq; re vera in multis,aut ſpeciebus,ſi natura generica ſit,aut indiuiduis,ſi ſpecifica. Hanc fortaſſe dicent eſſe vniuerſale in multis, *c* qui cenſent eãdem eſſe in multis formali quadam vnitate vnam, minori,quã ſit vnitas numeralis.Sentio cum Thomiſtis,formalem hanc vnitatem non dari,nec ipſum vniuerſale in multis.

c Scotus 7. meta. q. 16. & in 2. d. 3. q. 1. cum ſuis.

1876 Quid verò ſi natura,quæ eadem eſt in pluribus,aut ſpeciebus, aut indiuiduis,abſtrahatur cogitatione,ſeparetq; vel à ſpecificis differentijs, vel à numericis,vna ne erit,an multiplex?Aio,in re multiplicem futuram pro ſpecierum,indiuiduorumq; multitudine;in mente autem,nec vnam,nec multiplicem,ſed non unam negatiuè,uel non multiplicem negatiuè.Ego hic item interrogo.Materia ab omni forma ſeparata,eſt ne quid,an quale,an quantũ? Niſi ab *d* Ariſtotele defeceris,nihil horum dixeris,ſed hæc omnia in potẽtia.

d Lib. 7. meta. t. 8.

1877 Simili ratione de unitatis forma philoſophare. Fateor, naturã illam ea ratione abſtractam,ſub conceptu entis in intelligentia reprǫſentari;ſed ne hinc inferas propterea, cognoſci eandem ut unam, nam prior eſt conceptus entis,quam unius, etſi unitate entis cognoſceretur, non hæc illa eſt, quam Scotiſtis denego,dari,minorem unitate numerali.

1878 Sed,vt quale tandem sit illud vniuersale,quod datur, aperiam : dico, esse vniuersale post multa, quod ipse sibi intellectus intelligendo facit, & dicitur post multa,quia ex præexistente, vel certè ex prænota, aut specierum, aut indiuiduorum multitudine, colligitur in vnitatem, aptitudinemque ad eadem multa.

a Lib. 2. Post. t. 27. vel 104.
b Opusc. 55.

1879 Hoc illud est vniuersale, quod *a* Aristoteles ait esse in anima experimento,nimirum ex præhabita,singularium notitia,vt D. *b* Thom. optimè interpretatur.Dum verò hoc ipsum dicitur esse in rebus,quod palam Arist. fatetur,ipsaq; vniuersalium natura postulat, intellige materialiter & non secũdum propriam vniuersalis formam,quam reales rerum naturæ,quę sunt entis reales species,sine intellectus operatione non habent.

1880 Ad huius vniuersalis constitutionem certa quædã requiruntur; quia enim natura,quæ est quasi materia, ex qua vniuersale constituitur, in multis diuisa est,ex multis ea prius colligenda est per abstractionem intellectus,quã fiat vniuersale formaliter. Neque vero, si in multis non sit, sed solum in vnico indiuiduo,satis erit,ab illo vnico abstrahere, nisi simul à pluribus possibilibus,aut explicitè,aut virtualiter abstractio fiat.

1881 Qua verò potentia illa plura debeant esse posse, an naturali, & physica,an per non repugnantiam,& logica,seu meliùs dixeris,supernaturali, & diuina non omnes cõueniunt. Sentio, quacunq;, tandem potentia esse possint,dummodo possint,satis eam esse ad vniuersalis formam, quantum est ex parte inferiorum,ex quibus natura abstrahitur.

1882 His addo,nullo etiam existente indiuiduo,posse fieri speciem, quę ex multis possibilibus nunquam in re existentibus,sed in sola cognitione abstrahitur;sic nulla existente specie genus fieri potest, abstrahendo à speciebus possibilibus.

c Albert. Boet.

1883 Et hinc habes ad illam quæstionem,an possit vniuersale generis in vnica tantùm specie, vel vniuersale speciei, in vnico tantùm indiuiduo conseruari.Quicquid *c* alij dicant,Aio naturam genericam in vnica specie, specificam in vnico indiuiduo conseruari secundum materiã vniuersalis.Quin etiã, si habeatur eius notitia potest ab intellectu habere vniuersalis formam,etiãsi nihil,de quo prædicetur,existat.

1884 Hinc verò proficiscuntur illæ, quæ dicuntur æternæ veritatis enunciationes;Quod enim prædicatum subiecto conueniat, non pendet ex mutabili rerum existentia, sed ex immutabili conceptu quidditatis, cuius partes genus,& differentia, aut semper eædem sunt,aut nunquam. Hinc ipsa scientia de æternis est,& incorruptibilibus, nec semper sublata scientiæ materia de numero rerum existentium ipsa scientia propterea tollitur.

1885 Vt autem eiusdem vniuersalis perfecta constructio habeatur, non satis duco,abstrahere á pluribus,sed volo accedat,aut ipsorum plurium in natura abstrahenda comparatio, aut naturæ iam abstractæ, & ad instar vnius conceptæ,ad illa ipsa plura,ex quibus abstracta est.Siç eadem natura intelligitur tandem,& vna,& apta, quæ duo sunt ad completam vniuersalis formã requisita.

1886 Nec tamen propterea, cum vniuersalis naturæ vnitas, & aptitudo à ratione sit, eam dixeris esse ens rationis: videlicet sunt hæc duo, quædam veluti vniuersalis notæ, sine quibus vniuersale formaliter non sit, sed non ipsæ dant esse formale. Quod si verum sit, addo cũ probatis *a* auctoribus, vniuersale formaliter esse ens reale, prout ipsum ens reale fuerit, à quo abstrahitur.

1887 Sunt qui aptitudinẽ vniuersalis ad plura per *b* repugnantiæ negationem tradant. Magis probo si per modum positiuæ habilitatis, quę in ipsa negatione repugnantiæ suum veluti fundamentum habeat, etenim sic semper philosophamur, vbi de rerũ aptitudine, & habilitate sermo est. Nec vero hæc aptitudo rei conuenit absq; vlla operatione intellectus, est enim aptitudo naturę, iam vnius, qualis non est sine opera rationis.

1888 Huius vniuersalis entis quędam quasi affectio est prædicabilitas, nã ex eo, quod vnum est, vel aptum est esse in multis, sequitur pariter, vt prædicetur, vel aptum sit de ijsdem prædicari. Nec plura de eo addo, nam pari ratione de vniuersalis, & prædicabilis constitutione dicendum puto. Habet autem tum prędicabile, tum vniuersale sub se duas species, ex abstractione vniuersali, idest genus, & speciem, aut quinq;, ex addita abstractione formali, idest suprà illas duas, differentiã, proprium, accidens, de quibus *c* alibi dictum.

1889 Est ergo vniuersale, in vniuersum acceptum, quoddam genus ad genera, & species, tanquam ad species? Fateor; sed nego propterea, diuisum cũ altero è membris diuidentibus coincidere, nam genus, quà est vniuersalis species, dicitur vniuocè de suis inferioribus, vniuersale verò, quà est vniuersalium genus, dicitur analogice sic est diuisi, & alterius partis diuidentis cõmunio nominis, non item rei.

1890 Huius igitur analogici generis prima species est, quæ magis propriè Genus dicitur, cuius descriptionem alibi *d* attuli hic addo, cum dicat Genus, & realem naturam, & proprias suæ vniuersalitatis notas, quæ à ratione sunt; si metaphysicè agamus, non describi in ea commenta nostrę rationis, sed naturam ipsam, primo intentionaliter dictam, quamuis non sine secundis intentionibus. Et hoc ipsum de speciei descriptione dictum volo.

1891 Est genus naturę pars, quę continet alterã partẽ, nec vnã solũ ad vnã naturam integrãdã, sed si *e* Arist. credimus, ne dicã *f* Porphirio, ẽt oppositas.

1892 Qua ergo ratione insint eidem opposita, & quasi contraria? immo qua ratione, uel alterum tantum oppositorum inesse possit, cum Genus abstrahat ab omnibus differentijs? Vnica mihi satis est vtriusq; obiectionis solutio; continere genus, uel differentiam, uel differentias, non actu, ut *g* quidã uoluerunt, sed potentia, non ut totum, quod dicitur actuale, uel integrum, sed quod dicitur potentiale.

1893 Nec uerò planè nihil dicit hæc cõtinẽtia, etenim hinc habet genus, ut quãuis tota rei quidditas nõ sit, quidditatis tñ uicẽ gerat. Cęterũ genus, qđ uerũ genus uniuocũ est, ab illa ipsa differentia, quã actu in specie cõtinet, distinguitur, nõ realiter, *h* ut quidã subindicant, nõ sola ratione, ut *i* alij magis expresse tradunt, sed medio quodam modo, formaliter nimirum, siuè ex natura rei, quę mihi Scoti distinctio, si unquã placet, in hac maximè re placet.

a Cum D. Tho. & suis.

b Scotus cũ plurib. suorũ, Fonseca 5. Meta. q. 4. in c. 28.

c Lib. 1. c. 2.

d Lib. 1. c. 2.

e Lib. 7. Phys. t. 31.

f In sua Introduct. c. 4.

g Platonici apud Ammon. c. de differ.

h Iand. 2. Meta. q. 9. & alij pauci.

i Caiet. Sonc. Sotus & alij plures.

1894 Altera vniuerſalis entis ſpecies eſt, quæ proprio nomine ſpecies dicitur, non ſolum quatenus ſuperiori generi, vel vniuoco, vel analogico ſubeſt, ſed etiam quatenus inferiora indiuidua reſpicit, de quibus prędicatur. Quæritur, vtro horum reſpectuū ſortiatur eſſe ſpeciei. Aio paucis, quà ea ſpecies eſt, reſpicere ſuperiora, quà talis ſpecies ex abſtractione vniuerſali, reſpicere inferiora.

ENTIS PASSIONES.
CAP. XLIV.

1895

NEGARVNT *a* aliqui, eſſe poſſe de ente veram, perfectamq; ſcientiam, eo ducti argumento, quod paſſionibus careat, quæ in vera ſcientia demonſtrentur. Verum nihil his accidit noui, cum falſum ex falſo deriuant, deceptiq; in antecedenti facilè labuntur in conſequēti. Standum eſt igitur ſententiæ communiter receptæ, ens habere veras, & proprias paſſiones.

a Quidā apud Niphum.in dilucid.Met.q.1.

1896 Conuenit item fermè inter omnes, has eſſe tres Vnum, Verum, Bonum; & verè quaſcunq; alias aſſignaueris, quæ cum ente adæquatè conuerti videantur, ſolam facies multiplicationem vocum, ad eoſdem planè conceptus ſignificandos, qui vel entis, vel unius, vel veri, vel boni nomine ſignificantur, vt cum dicitur Res, Aliquid, & ſimilia.

1897 Non pariter tamen conueniunt auctores in diſtinctione harum ipſarum paſſionum ab ente, diſtinctè tradenda. Putat *b* Scotus, diſtingui formaliter. Sed mihi magis probatur ſententia D. *c* Thomæ, non eſſe maiorē diſtinctionem, quam rationis, quæ dicitur ratiocinatæ. Et verò, quid enti addat paſſio, quod non ſit ipſum ens?

1898 Congruentem huius ternarij numeri rationem habes ex D. *d* Thoma. Ampliſſimus conceptus entis, qui dicit poſitiuam rei, quatenus eſt in ſe ipſa, comprehenſionem, vel determinatur in eadem abſoluta entis acceptione, per

b In 1. d.3.q.3.& d.8.q.2.& alibi cum ſuis.
c Quæſt.1.de verit.art.1.& q.21.art.1.& alibi cum ſuis.
d Ead.q.1.de verit. ar.1. in corpore.

per id, per quod eſt indiuiſum in ſe, & ſic eſt Vnũ, vel in acceptione relatiua per conuenientiam cum proprijs eſſendi principijs, & eſt Verum, vel cum extrinſeco appetitu, & eſt Bonum. Rectè D. *a* Tho. cõuenientiæ menſurã ex anima deſumit; quæ, inquit, quodammodo eſt omnia, ſicut dicitur in libris *b* de anima.

a Ead. q. 1. de verit. ar. 1. in corp.
b Ariſt. lib. 3. t. 37.

1899 Et quidem ex eadem harum paſſionum inueſtigatione habemus etiam ordinem, cum enim conceptus vnitatis adueniat enti, in abſoluta conſideratione entis, veritatis verò, vel bonitatis in relatiua, paſſionum prima dicenda eſt vnitas, quia vnumquodq; prius eſt ad ſe, quam ad aliud. Eidem autem enti relatiuè conſiderato priùs videtur competere veritas, quam bonitas, ſicut prior eſt vniuſcuiuſq; comparatio ad intrinſeca, quæ ſimul cum ipſo ſunt, quam ad extrinſeca, quæ non neceſſariò ſimul cum ipſo ſunt; & ſanè bonum tunc demum alicui conuenit, cum fuerit verum bonum.

1900 Quod ſpectat ad vnitatem, cauendum eſt, ne hæc, quæ dicitur paſſio entis, cum alijs vnitatibus malè confundatur, etenim non eſt omnium par ratio, quod etiam diſertè *c* Ariſt. animaduertit, vbi quatuor vnitatum genera diſtinguit, videlicet numericæ, ſpecificæ, genericæ, analogicæ. De numerica dicam *d* infrà, ex numerica, quæ realis eſt, formamus imitatione quadam conceptum ſpecificæ, & genericæ, ſicut ex imitatione entis realis formamus entia rationis. De analogica hic agitur, quæ ſequitur naturam entis, vt paſſio, ideſt quam latè vagatur ipſum ens, eſtq; illud ipſum, prout ſecundo quodam cõceptu, etiam in illa abſtractiſſima ratione, intelligitur indiuiſum in ſe.

c Lib. 5. Meta. t. 12.
d Hoc eod. lib. cap. 46.

1901 Dubium eſt, an dicat quid negatiuum, vel poſitiuum. Equidem non eſſe puram negationẽ, ex eo mihi perſuadeo, quia poſitiui entis, aut eſt poſitiua paſſio, aut realis paſſio non erit. Non tamen approbo ſententiam *e* eorum, qui volunt, eſſe quid poſitiuum enti ſuperadditum. Cenſeo, eſſe ipſum ens, nouo quodam conceptu cognitum, in poſitiua continuatione entitatis, ratione cuius dicitur, & eſt, indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio.

e Auicen. li. 3. & 7. Metaph. Scoti, & Sectatorum.

1902 Se ipſo hoc habet ens, ſed eſt in ipſo ratio intelligendi prius, quod ſit, quam quod indiuiſum ſit, vndè eſt, vt diſtinguatur conceptus entis à conceptu vnius; ſequatur tamen conceptus vnius ipſum conceptum entis. Hæc, quantum ego dijudicare valeo, ſunt illa *f* Ariſtotelis: Ens, & vnum idem, ac vna natura ſunt, propterea, quod ſe ſe inuicem ſequuntur, quemadmodum principium, & cauſa. In hanc item ſententiam illa *g* Platonis: Neque ens vni, neque vnum enti deeſt, ſed duo hæc potiùs per omnia coæquantur.

f Lib. 4. Meta. t. 3.
g In Parmenide, vel de vno rerũ principio.

1903 Facta vnius partitione, fit ex vno multitudo, quę ipſi vni opponitur. Accipe aũt hic ex D. *h* Tho. duplicẽ acceptionẽ vnius, etenim vnũ dr̃, quod numeri principiũ eſt, & huic opponitur multitudo relatiuè, ſicut mẽſuratum mẽſurę, quia vnũ, quod numeri principiũ eſt, eiuſdẽ numeri mẽſura eſt, ut aſſerit *i* Ariſt. & res ipſa docet. Vnum prętereà dr̃, quod conuertitur cum ente; hoc itẽ opponitur multitudini, ſed priuatiuè, ſ. ut indiuiſum, diuiſo. Ne magis hic attendas ad uocum ſonũ, quam ad res, cum enim indiuiſum tale ſit per quid poſitiuum, priuatio non erit ex parte huius, quamuis uox priuationem ſonet, ſed ex parte diuiſi.

h 1. p. q. 11. a. 2.
i Lib. 10. Meta. t. 2.

a Ex Arist. lib. 10. Meta. c. 1.

1904 Vſurpant item *a* philoſophi frequenter diuiſionem entis in vnum, & multa. Difficilè autem hic explicatu eſt, quomodò vnum ponatur in hac diuiſione pars entis, cum idem toti adæquetur, quia entis eſt paſſio, quà ens eſt. Rem ſic expedio; vbi diuiditur ens in vnum, & multa diſtinguitur idem indiuiſum, à ſe ipſo diuiſo. Ne ergo concipias ens, veluti totum, has ſub ſe partes continens, ſed vnum prius, quia indiuiſum, mox idē multa, quia diuiſum.

1905 Analoga ergo eſt hæc entis diuiſio in vnum, & multa; vni enim reſpondet ens, deque eius ratione eſt indiuiſio, multitudini autem entia potiùs, quam ens, de quorum ratione diuiſio eſt; Item ex indiuiſione eſt per ſe vnitas, ex diuiſione multiplicitas, quæ vnitatem per ſe nón conficit, ſed accidentariam potius congeriem, vt ſubſtat diuiſioni.

1906 Huius eiuſdem diuiſionis ordo hic eſt, vt natura ſua præeat vnitas multitudini. Nam ſi multitudo ex vnitatibus conſtat, prius natura ſunt vnitates multitudinem componentes, quam ſit multitudo ipſa. Item ex diuiſione multitudo eſt, at quod diuiditur, prius indiuiſum fuit.

1907 Nihil his repugnat, multitudinem ad vnitatem tendere, quæ enim ipſarum partium compoſitione, & quaſi compactione progreditur ad vnum totius, exit à ſingularitate, & vnitate partium. *b* Imitatio eſt hæc illius curſus, quem res creatæ ab vnitate ad vnitatem habent, à Deo videlicet ad Deum.

b Ex D. Dionyſ. c. vlt. de diuinis nominibus.

1908 Vnum, quod dicitur indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio, recipit per diuiſionem ab alio diſtinctionem ab eodem. Duplex hæc primò eſt, poſitiua videlicet, qua ens ab ente diſtinguitur, aut negatiua, qua ens diſtinguitur à non ente. Vtraq; realis dicitur, & benè, ſed cum addito, & limitatione per eos terminos, poſitiuè, negatiuè.

1909 Quæ realis, & poſitiua dicitur, non ſolum à negatiua contradiſtinguitur, verum etiam ab alia, quæ realis nullo modo eſt, ſed à noſtro intelligendi modo proficiſcitur, quo nimirum rem aliquam in ſe indiuiſam, & planè vnā, diuidimus intelligendo in partes: & hac diuiſione facta dicuntur diuiſa inter ſe diſtingui ratione.

1910 Neque ipſa hæc diſtinctio rationis vnius rationis eſt; vbi enim quæ indiuiſa in ſe ſunt, tāquā diuiſa cōcipimus, aut datur nobis in ipſa re diuiſionis fundamentum, vel à rei perfectione, quæ vna pluribus æquiualet, vel à noſtræ intelligentiæ imperfectione, quæ rem vnam vno conceptu non aſſequitur, aut nullum eſt tale fundamentum. Si primum, diſtinctio eſt, quæ dicitur rationis ratiocinatæ, ſi ſecundum, dicetur ratiocinantis.

1911 De diſtinctione, quæ realis dicitur, contradiſtincta ab ea, quæ rationis eſt, altercantur Doctores, quam habeat amplitudinem, & in quas veluti ſpecies ſubdiuidatur, prout etiam nemine cogitante maior, vel minor fuerit, aut rerum, aut formarum metaphyſicarum in vna re diuiſio. Cenſeo, de nomine eſſe altercationem, aut inter omnes, aut inter plurimos, *c* qui dum vnicam realem aſſerunt, realem vocant, quæ non ſit á ſola ratione.

c Dur. Ocham, Heruæus, Soncin. Caiet. & alij complures.

1912 Ego, vt in hoc diſtinctionum examine diſtinctiùs procedam, aſſero, tres eſſe ſpecies diſtinctionū, quæ eſto vno quaſi generico nomine diſtinctionis realis appellentur, nō pariter tñ omnes reales sūt. Sequunt hę diuiſionē,

quæ

quę in rebus ipsis est; Etenim in hoc principio etiam cum aduersarijs conuenio, non esse plura distinctionum genera, quam sint in ipsa re diuisiones. Sed aio, non esse in re qualibet diuisiones pares.

1913 Distinguuntur ergo realiter, cum duę sunt res, & neutrius existentia pendet necessariò ab existentia alterius. Indicat hanc distinctionem actualis rerum separatio, cum loco, vel subiecto dissitę sunt; indicat eandem separatio, quæ si nunquam naturaliter sit, esse certè potest per diuinam potentiam, & ad hanc rem illud *a* Aristotelis interpretare: Si potest alterum sine altero esse, non erit idem.

a Lib. 7. Top. c. 1. loco. 15.

1914 Distinguuntur modaliter, quę ad inuicem comparata habent se, vt res, & rei modus. Rei modus res ipsa non est, neq; ipse in se ipso spectatus est propriè res, nisi in quadam latissima significatione, qua quodlibet ens res dicitur. Necesse est ergo, aliqua sit ex hac diuisione distinctio, non realis, qua res à rebus differunt, sed modalis, qua modi differunt à rebus modificatis.

1915 Huius modalis distinctionis dispar est conditio, ac alterius pręcedentis, quæ dicitur absolutè realis; Etenim, esto, possit res sine suo modo, vel naturaliter, vel per Dei potentiam supernaturaliter in re operantem existere; modus sine re nunquam existet. Dicunt hic aliqui, quia modi existentia non est, nisi ipsa existentia rei, sed hoc non placet; Malo, modi existentiam esse ex sua intrinseca natura necessariò dependentem à re, cuius est modus.

1916 Distinguuntur denique formaliter, siuè ex natura rei, quæ vnum faciunt non planè incompositum, ac simplex, sed constans ex pluribus, quorum natura, si seorsim considerentur, vna non est. Neq; est indicium huius distinctionis separabilitas, vel ex parte vtriusq; extremi, vel ex parte alterius, sed diuersitas proprietatum, ex qua principiorum, vndè emanant, diuersitas intelligitur.

1917 Quod spectat ad Veritatem, quę altera est passio entis, remouenda est prius vocabuli ambiguitas. Duplex enim distinguitur à philosophis veritas, vna cognitionis, qua ipsa rei cognitę conformis est, & de hac, quantum satis esse visum est, asserui *b* supra. Nec verò, si de hac ipsa loquamur, probo *c* quorumdam sententiam, qui illam ipsam conformitatis rationem, non in conceptu formali ponunt, sed in obiectiuo. Placent *d* Thomistę meliores, ipseque *e* D. Thom. qui rem hanc ex Aristotelis mente definiens conformitatem collocat inter conceptum formalem, & ipsam rem.

b Lib. 1. c. 4.
c Dur. Heru. Iauel. Dom. de Fland.
d Caiet. Ferrar. Soncin.
e 1. contra gēt. c. 59. 60. & 1. p. q. 16. art. 1. 2. 8.

1918 Verum hoc est, quod de veritate cognitionis dico, siuè cognitio speculatiua fuerit, siuè practica, nimirum necesse est illi res respondeat, sicut mensurato mensura. Nec obstat, quod practica cognitio in ordine ad rem cognitam habeat potiùs mensurę rationem, quam mensurati. Etenim habet vtriusq;, mensurę videlicet, quatenùs efficax est; mensurati verò, quatenùs vera est, conformis videlicet suæ regulæ, quia iudicatur esse faciendum, quod reuera faciendum est, vel non esse, quod non est.

1919 Altera veritas rei dicitur, & hæc est, quæ dicitur passio entis, habetq; id,

id, quod commune est reliquis affectionibus, vt non præeat, sed sequatur conceptum entis, in quo sensu verissima sunt illa D. *a* Thomę: quamuis possit ens apprehendi nulla facta apprehensione veritatis; non tamen contrá potest entis veritas intelligi, quin ipsum ens intelligatur. Priorem tamen illum conceptum interpretare de exclusa ab ente veritate abstractiuè tantum, non negatiuè. In quo hæc veritas sita sit *b* supra indicaui. Rem hic expono magis disertè.

a 1.p.q.16.a.3.ad.3.

b Hoc ipso ca.

1920 Est veritas, entis conformitas ad sua prima essendi principia, nimirum cum tale est, quale esse postulat. Non me latet, quanta hic sit sententiarum varietas. Verum censeo, dum vnusquisque in veritatem collimare studiosius voluit, verborum magis factum esse dissidium, quam sententiarum. Principia essendi possumus distinguere, alia intrinseca, alia extrinseca, & vtraq; prima non incommodè dixeris, nam & re vera sunt, vtraque in suo genere.

1921 Intrinseca appello, quæ rem ipsam constituunt, propria nimirum prædicata quidditatiua. Et hinc discas, entis veritatem in re non esse, nisi ipsam entis entitatem, variato solum conceptu, quo idem cum se ipso conferatur, sibiq; dicatur congruere, atq; conuenire. Principia extrinseca sunt diuinæ Ideę, prima rerum omnium exemplaria, & mensura participatę veritatis. Ens ergo, quà conforme est his formis, verum est. cumq; rei cuilibet, si res sit, sua respondeat idea, quicquid Plato dixerit, qui auctore *c* Aristotele, in sua Idearum contemplatione non omnes vidit, nihil res erit, quæ non sit eadem vera.

c Lib. 7. meta. à t.51.

1922 Hinc habeo in discordi sententiarum varietate concordiam, nam qui desumunt veritatem ex conuenientia cum intrinsecis principijs, verè de veritate philosophantur; Quid.n. dabis, quod id sit, quod esse debet ex suis intrinsecis principijs, & non sit eo ipso verum?

1923 Sed verè & illi ratiocinantur, qui veritatem desumunt ex conformitate ad ideas, vel ad primum intellectum, qui solus est mensura cœterorum. Quod.n. hæc huius rei magis propria principia sint, quam alterius, diuina tandem, & absolutè prima exemplaria docent, diuinusq; intuitus.

1924 Plurimum alij in hac eadem veritate explicanda vtuntur relatione, qua de quęrunt, realis ne sit, an rationis. Ego relationem conuenientię nō excludo, qualis qualis ea sit; facit.n. ad veritatis explicationem, dum primus entis conceptus, qua ens est, determinatur ad posteriorem conceptum veri, nō sine illa conuenientia, veritas tamen fundamento inest, quod pariter de veritate cognitionis dictum volo.

1925 Quę hactenus de rei veritate asserui, ab optimo veritatis magistro tradita sunt D. *d* Thoma, vbi expresse definit, rem quamlibet veram esse, secundum quod actum proprię naturę consequitur. Parum est, didicisse illum hanc veritatem ex *e* Auicenna cum eandem ex magistris melioribus acceperit, D. *f* Augustino, vbi habet, veritatem esse summam principij similitudinem, Diuoq; *g* Anselmo, vbi dicit esse eam in rectitudine quadam, mente perceptibili.

d 1. contrà gent. cap. 60.
e Tract. 1. suæ meta. cap. 6. & tract. 8. ca. etiam 6.
f Lib. 2. de vera relig. c. 36.
g In Dial. de Verit. cap. 12.

1926 Fal-

1926 Falsitas item duplex distingui potest, sicut veritas, videlicet cognitionis, & rei. De falsitate cognitionis *a* alias dictum est; de falsitate rerum hic assero, planè nullam in rebus esse; etenim quicquid est, verum est, quod verò non est, est verè non ens; Cum ergo de vnoquoque verum sit dicere, aut ens esse, aut non ens, quale illud sit, verum erit, verę q; enunciacionis materia.

1927 Quæ ergo à nobis falsa in re dicuntur, talia sunt extrinseca quadam denominatione ab errore, quia in formato, formandoque ea de re iudicio fit, aut esse possit. Sic asserit D. Thomas ex verissima D. *b* Augustini sententia. Dixeratis, verum esse id, quod est, & ideò falsum nusquam esse: sed breuem doctrinam clarius ille edisserens: Sicut, *c* inquit, in his, quę sunt, inuenitur quoddam non esse per comparationem ad nostrum intellectum, ita in ijsdem inuenitur quędam ratio falsitatis.

1928 Quod denique spectat ad bonitatem, eam inesse rebus quis neget, cum omnia in bonum tendant, vel *d* Aristotele docente, vel ipsa natura? quid verò sit ea, quæ dicitur entis affectio, quæque illi opponatur malitia, longis contentionibus quæsitum est: vsque adeò hebetes sumus, vt quid amemus, quid detestemur, ignoremus. An sita hæc sit in aliquo enti superaddito, an in relatione, siuè illa realis sit, siuè rationis, definitum est à me satis modò, vbi de veritate quid veri habeam, asserui.

1929 Est ergò bonitas ipsa rei entitas comparata per relationem conuenientię ad appetitum, siuè innatum, siuè elicitum appetentis. Neque me ab hac sententia dimouet nota bonorum *e* distinctio, qua aliquid bonum dicitur, quia in se bonum, alia, quia sunt alijs bona. Omnia enim alicui bona sunt, sed quia Deus Optimus reperitur, qui omnibus bonus est, hoc illud est, quod dicitur in se bonum, non exclusa relatione conuenientię, sed sine limitatione adiuncta.

1930 Proportione non omnino dispari respondet bonum vero, malum falso. Ergo sicut in re nihil est, quod verum non sit, pariter de bono sentiendum est, nihil in re esse, quod bonum non sit. Hanc si philosophiam Manichęi, & Priscillianistæ tenuissent, nihil in rerum cathegorijs mali admiscuissent, nihil, quod à malo principio proficiscatur. Quid referam, quę contrà hos *f* viri sanctissimi, ijdemq; disertissimi scripserunt, audiant, si saltem naturę ductum sequuntur, *g* Aristotelem, vbi tot boni cathegorias facit, quot entis.

1931 De relationibus dubitatum est, an bonę sint, esto reales sint; Inter Theologos agitatur quæstio, vbi de sanctissimę Trinitatis arcano disquiritur. Tam altè ego non aspiro, nisi quatenùs eo me fides, qua Sanctissimum hoc mysterium profiteor, ac tacitus veneror, promouet. In rebus verò creatis relationes bonas esse, tam mihi certum est, quam esse entia, suamque has item facere boni classem, sicut reliquas cathegorias. Bonum, inquit Aristoteles, & in substantia dicitur, & in quali, & in eo, quod est ad aliquid.

1932 Quid verò de entibus mathematicis asseram? Auctor est *h* Aristoteles, boni


a Lib. 1. cap. 4.
b Li. 2. Soliloq. cap. 8.
c 1. p. q. 17. a. 1. ad 1.
d Lib. 1. Ethic. cap. 1.
e Desumpta ex D. Augustino 8. de Trinit. cap. 3. & ex D. Tho. in 2. dist. 27. q. 1. a. 2. & q. 1. de Verit. a. 2. & alibi.
f S. August. in plurib. opusculis cōtra Manichęos D. Tho. 1. p. q. 48. & 49. & ex SS. Patribus plerique.
g 1. Ethic. li. 6.
h Lib. 3. meta. t. 3.

boni naturam in ijs non reperiri hoc ipso, quod immobilia sunt. Huius doctrinæ interpretem *a* D. Tomam audi; Non est, inquit, vllum incommodum, quod in aliquo ente secundum rationem non sit bonum, vel ratio boni, cum ratio entis sit prior, quam ratio boni. Est ergo de bono Mathematica, quià de ente est, & vbi neglecta boni ratione quærit in suo ente veritatem, nec motu finem, ac bonum inuestigat, non propterea desinit mathematicum ens esse bonum.

a 1.p.q.5.a.3. ad 4.

1933 Mala autem complura dicuntur, & verò sunt, non in sua entitate, sed quà à debita entitate deficiunt. In hoc dissidet à falso malum; & præterea si spectes conuenientiam, pleraque sunt, quæ cui conueniunt, sunt bona, eademque mala dicuntur alijs, quibus non conueniunt æquè.

1934 Substantia nulli mala est, si quam enim habeat cum alio disconuenientiam, eius fundamentum erit, non ipsius substantiæ ratio, sed aliqua aduersa qualitas. Mali etiam denominatio sæpè extrinseca est, vbi disconuenientiæ ratio non in ipsa re reperitur, sed accipitur ab extrinseco, ab effectu videlicet, quem causat alteri disconuenientem. Optimus quisque iudex dum pœnas exigit à reo, reo malus est, quia pœnæ parum naturæ conuenientes inferuntur.



ENS

ENS REALE, & rationis.

CAP. XLV.

1935 SPECIES entis sub certis generibus positas contemplaturus, eiusdem aliquas diuisiones præmitto, quia sic entis amplitudo postulat, quia sic ipsa rerum genera distinctè magis sub intelligentiam venient. Prima sit, quæ breuissima est sed adęquata diuisio in ens finitum, ac infinitum. Infinitum solus Deus est, finitum quicquid à Deo est.

1936 Eadem est cũ hac prima tributione altera, qua ens dicitur aliud à se, aliud ab alio. A se est Deus, ipsaq; hæc infinitę illius immensitatis ratio perbenè *a* à Theologis notatur, ab eoq; sunt alia omnia, quæ ex infinito essentię Oceano finitis deductionibus deducuntur.

a In 1. p. D. Thomæ vbi de infinitate Dei.

1937 Idem dicis, vbi dixeris ens simpliciter necessarium, & quod non pari necessitate est. Nam quamuis in finitis entibus multa dicantur necessaria, necessitas nulla est, nisi quam Deus esse extrà se liberè voluerit Idem pariter dicis, vbi appellas ens aliud per essentiam, aliud per datam quandam cõmunicationem, participationemq;. Quod per essentiam est, Deus ipse est, in quo solo *b* idem est, esse, & essentia, idem existere, & esse; participat autem de hoc esse creatura, non quia aliquid à Deo distrahatur, vt malè ex priscis philosophis complures, aut opinati, aut locuti sunt, sed quia finita quadam imitatione diuini esse res omnes sunt.

b Ex communi Theologorum doctrina. 1. p.

1938 Deniq; vbi audis, ens aliud increatum, creatum aliud, aliud actus purus, impurus aliud, ac potentialitate admixtus, idem intellige, Deum videlicet ex vna parte, res creatas ex alia. Nec ego diutiùs hic moras traho cum *c* Scotistis, vbi nec finitum, nec infinitum volunt esse Deum, quia quantus nõ est,

c Scot. quol. 5. lychetus, & alij.

est, ipsumq; ens prius diuidi in quantum, & non quantum, mox diuisione facta trimembri, aliud finitum esse in sua quantitate, aliud infinitum, si vspiam detur, aliud neutrum, quia quantum non est. Nego finiti, vel infiniti appellationem esse necessariò alligatam quantitati.

1939 Finiti verò entis species quis certò subdiuidat numero? breuis & ad rem nostram partitio, quà aliud substantia est, aliud accidens, item quà vel in substantia, vel in accidente distinguitur esse, & existere, quà res, & rei modus. Deniq; & substantiæ partes plures sunt, alia materialis, & corporea, spiritualis alia. Accidentium etiam plura sunt genera. Item si latius accipiamus ens, aliud reale est, aliud rationis, neque huius natura ignoranda est, cum eadem sit scientia oppositorum.

1940 Ens rationis, quod est non ens, entis nomen, atq; conceptum habet ex ea facultate, quæ in nobis est concipiendi etiam, quæ non sunt, perindè ac si essent; Nec verò semper temerè comminiscimur, ac fingimus, sed sæpè horum conceptuum occasionem, ac materiam dant ipsę reales res. Vndè ipsius entis diuisio nata est, dicitur enim aliud planè fictitium, atq; chimericũ, aliud certę cuiusdam, ac determinatæ conceptionis.

1941 Primum longam commentationem non desiderat, & verò vsum nullum in scientijs habet, nisi fortè hunc ipsum, vt ab eo alterum contradistinguamus, quod, esto nullius facultatis sit proprium, ac legitimũ obiectũ, vsum certe, in scientijs habet, spectatq; ad metaphysicum, ad hoc etiam digredi, sic enim contraria iuxta se posita magis elucescunt. Illo igitur posthabito, quod quisq; sibi temere fabricari potest, hoc secundum communi omnium consensu ità describitur. Quod habet esse solum obiectiuum in intellectu, conceptuque, præhabito ex re fundamento concipiendi.

1942 Sed quid si in hac descriptione omnes cõsentiant, mox vbi distinctiùs edifferendum est de huius entis natura, alij alio abeunt? *a* Non nemo diligẽtiùs hanc rem intuitus, ne in explicanda definitione laboret, negat, ens rationis vllo modo dari; Nam si est ens, reale est, non rationis, si non est ens, cur ens dicitur, & ad instar entium definitur? Sed puerilis est ratiocinatio; Aio esse ens, sed quia non simpliciter, nec reale, propterea addi rationis, vt ex addito prioris termini notio accipiatur.

a Apud Suar. Disp. 54. meta.

1943 Ergo quęritur, quid sit tandem hoc, quod allata descriptione minus vniuersaliter adumbratur. Non probo, quod *b* aliqui dicunt, nihil esse præter extrinsecam denominationem ab actu intelligendi. Etenim sola extrinseca forma nulla ratione denominat subiectum, nisi aliquem cum ea nexum, & coniunctionem habeat, aliquid igitur præter extrinsecum rationis actum, ponendum est. His adde, quod ens rationis à ratione nomen habet. Benè est inquiunt, & illa pariter extrinseca forma rationis actus est. Sed neq; hoc placet; nam quid tandẽ si forma extrinseca denominans nõ sit rationis actus, sed alterius potentię, v.g. tactus visus. an entia rationis erunt, & non à ratione?

b Dur. in 1. dist. 19. q. 5. nu. 7.

1944 Nec item probo aliorum dicta, qui, vbi intellectus circà aliquod obiectum operatus sit, aiunt, exinde in re cognita formam quandam de genere qualitatis intelligi, eamq; esse ens rationis, quia re ipsa non est, sed esse intelligitur.

gitur. Equidem non video, quę pro re intelligenda, eiusq; statu explicando, quatenùs intellecta est, sit necessitas huius qualitatis addendę. Sit hoc, vt isti volunt, ens rationis; Fictitium tamen, & chimericum, non illud, quod ego dixi, habere in re sui conceptus fundamentum, & de quo hic disputo. Nam si de figmentis agatur, quid non erit tandem ens rationis?

1945 Mea igitur sententia est, ens rationis esse relationē rationis, in re conceptam, circà quam præcedens aliqua operatio versata est. Ab operatione, tanquam à forma extrinseca fit denominatio; relatio verò vim habet necessarij nexus, vt extrinsecum ab extrinseco denominetur.

1946 Respondet operatio rationi fundandi, quæ in realibus relationibus ab actione redditur, & fundamentum relationis concipiendę ex ipsa eadem operatione petitur, cœterùm relatio in re denominata concipitur, eiusq; terminus est operans.

1947 Cauendum hic est, ne quia obiectum dicit ex sua natura relationem ad potentiam operatricem, vna relatio cum altera confundatur; etenim hæc obiecto conuenit, etiamsi nulla fuerit circà illud actualis operatio, sicut scibile dicitur etiam esse id, de quo hactenus scientia non est, sed esse potest; Altera verò relatio, quam requiro in ente rationis, in re non prius cōcipitur, quam pręcesserit actualis operatio circà rem.

1948 Hinc verò facilè deducitur, qua nostri intellectus operatione ens rationis fiat. Ea est intellectus nostri vis, vt nō solum directè in res, quæ sub eius notitiam cadunt, feratur, vel in notitias aliarum facultatum, quibus præditi sumus, sed se etiam supra suas operationes reflectat, quamobrem non immeritò *a* Plato illum aliquando circulum appellauit. Pro hac ergo facultate, vbi ens rationis ex ipsa rationis operatione denominante concipitur, non fit, nisi per actum reflexum.

a In Timęo vel de generatione mundi.

1949 Per directum verò fieri potest, cum operatio, quę circà rem versata est, non ipsius intelligentiæ fuit, sed alterius facultatis. Actus ergo rationis necessarius semper est, vt sit ens rationis formaliter; nam antè ipsum non est, nisi fundamentaliter, & sanè secum ipsi pugnant, qui volunt, illud fundamentale esse ens rationis, nam esset idem à ratione, nec à ratione.

1950 Quęri etiam solent entis rationis causæ, quasi verò causas habeat id, quod esse non habet; habet verò aliquales. Subiectiua est ea, in qua relatio concipitur; formalis ipsa relatio, cuius species ex termino desumitur; efficiens intellectus; finalis ea, gratia cuius ens rationis fit, cognosciq; potest ex entis rationis vsu in scientijs tractandis.

1951 Valet enim ens rationis ad nostram in intelligendo tarditatem, & obscuritatem, vtcunq; subleuandam, illustrandamq;, sic.n. res distinctius intuemur, vbi ex non arbitrarijs figmentis id, quod in fundamēto est discernimus. Et ex hoc capite Deus, qui in intelligēdo perfectissimus est, qualis in essendo, non indiget entis rationis adminiculis. Sed redeo nūc ad reales species entis, spectando prius hæc naturalia, vt ad intelligentias tandem, & ad ipsum Deū, quantum fas est de eo naturaliter philosophari, deueniam.

ESSEN-

ESSENTIA, & Existentia.

CAP. XLVI.

1952 PER essentiam vnumquodque est, tanquam per propriam formam, & rationem; per existentiam habet esse extrà suas causas, qua ratione proprio quodam modo dicitur esse id, quod existit, idest esse simpliciter. De creatis, & finitis loquor, de quibus certum est, non eam habere simplicitaté suæ perfectionis, quam habet ens infinitum, & increatum, in quo ratione ratiocinata distingui quidem possunt esse, & existere, sed maiori distinctione non item. Maior verò videtur esse in entibus creatis hoc ipso, quod composita sunt, & à diuina simplicitate logissimè distant.

1953 *a* Complures sunt, qui existétiam ab essentia distinguunt realiter; sed ambiguitas esse potest in acceptione huius distinctionis, nam apud multos realis dicitur ea omnis, quæ à sola ratione non est, & in hoc sensu si loquantur non abnuo, solum displicet termini ambiguitas.

a D. Tho. 1. p. q. 3. a. 4. de ente & essentia. cap. 5. & alibi. sequuntur antiquiores Thomistæ.

1954 Quod si quis contendat, distinctionem esse, quę propriè realis dicitur, id mihi nunquam persuadebit, quia existentia rei modus est, nec per vllã potentiam separari ab essentia potest, ità vt superfit, quod ad distinctionem verã realem necessarium est, vt *b* alibi assero.

b Hoc eod. lib. 2. cap. 44.

1955 Distinctionem rationis *c* alij inter hęc asserunt, nimirum in ente, quod existit, essentiã per se ipsã dare esse, & in se ipsa habere, vt sit extrà suas causas; diuersitatem verò cõceptuum esse, quia prout essentia, est entis forma, prout existétia est actualis entis forma. Quod si cũ existétia cõparetur essétia nõdũ existens, monent hi, distinctionẽ esse maiorẽ, quã à conceptu, videlicet, qualis est inter non ens, & ens, quia, inquiunt, essentia dum non existat, nihil est. Im-

c Alés. 7. meta. & complures alij apud Capr. in 1. dist. 8. q. 1.

probata

probata est à me hæc posterior cõclusionis pars *a* alibi eo lectorẽ trãsmitto.

1956 Sed si loquamur de essentia existẽte, adhuc maiorẽ requiro distinctionẽ, quã per cõceptũ; modalẽ dicerẽ, si separata, destructaq; existẽtia, diceretur essentia simpliciter esse, idq; suadet existẽtię natura, q̃ ab ijs ipsis, q. negãt hãc distinctionẽ, cõcipitur ad instar modi. Sed quia, sublato hoc mõ, desinit ipsa res esse simpliciter, nec essentia retinet esse, nisi secũdũ quid. i. in potẽtia agentis, non approbo *b* eorũ sententiã, qui hęc duo modaliter distinguunt.

1957 Malo igitur asserere, distingui hæc duo inter se formaliter, seù ex natura rei ità vt essentia sit rei forma metaphysica, per quam est, existentia sit necessarius essentiæ modus; non quia necessariò existat, sed quia ea non est simpliciter sine hoc modo, sed solùm in potentia.

1958 Modũ cũ dico, intellige imperfectionẽ existẽtię, quę nõ est propriè ẽs, sed entis ens. Cũ verò dico necessariũ, eũdẽ intellige, tanquã formã dantẽ essentiæ esse simpliciter, in quantũ talis creatura est capax reduci de potentia in actum. Cum deniq; assero, distingui formaliter, intellige in ipsa distinctione alterius ab altera dependentiam, ità vt nec essentia sine existentia simpliciter sit, aut esse possit, nec existentia sine essentia.

1959 Cæterum quod non sit satis hæc duo distinguere solo conceptu, illud mihi argumento est, quod de rei quidditate, & intrinseca ratione, non solum prout in mente est, sed prout in re ipsa, non est existentia rei, vt memini me *c* alibi asserere. Qui enim tandem fieret, vt creatura non existeret, si de eius quidditate esset forma existentiæ?

1960 Sed instas; Ergo existentia est accidens rei. Quid si concedo totũ? Sed ne perge vlterius, indagando, cuius nam prædicamenti sit accidens; quã in re nonnulli, qui à rei quidditate existentiã excludũt, modo ad vnũ, modo ad alterũ prędicamẽtũ recurrũt. Sed nihil opus est recursu. Est. n. existẽtia rei modus eiusdẽ naturę cũ re, cuius est modus. Accidẽtalis dr̃, q̃a nõ est de essẽtia, substantialis tñ ẽst, si sit substãtiæ modus, & accidẽtalis, cũ est modus accidẽtis, & in hoc sẽsu intellige ꝓbatos *d* auctores, cũ dñt existẽtiã naturę accidere.

1961 Conuenit existere, non solũ substantijs completis, sed etiã incompletis, nec solũ perfectioribus accidẽtibus, sed etiã imperfectioribus, in summa omni, quod actu sit, quantumuis diminutam, & imperfectam habeat naturam. Dispar verò est existentiæ ratio, pro rerum disparitate.

1962 Ipsa tamen existentia non existit per aliam existentiam, sed se ipsa, sicut accidit in alijs similibus formis, & hinc est, vt non pari ratione distinguas in existentia esse possibile, & esse actuale, sicut in alijs entibus, in quibus esse possibile intelligitur in ordine ad quasi quandam receptionem existentiæ distinctæ, esse actuale in ordine ad eandem existentiam quasi receptam.

1963 In corporeis existẽtia totius nihil est distinctũ ab existentia partiũ, sed sicut ipsę partes faciunt vnum se ipsis, ità partiales existentiæ faciunt vnam totalem, aptæque ipsę sunt se ipsis vniri, sicut partes vniuntur, videlicet, vel ad faciendum vnum simpliciter, vel solũ vnũ per aggregationẽ. Hinc habes, dari rerũ existentias, sicut dantur rerũ naturæ, s. alias simplices, aliàs cõpositas. Et quæ est in rebus diuisibilibus possibilis dissectio partiũ, vel secũdũ

V enti-

a Hoc lib. 2. c. 43.

b Soti 2. Phys. q. 2. & quorundam aliorum apud Suar. disp. meta. 31. Sect. 1. nu. 11.

c Supra cita. c. 43.

d D. Tho quodl. 2. art. 3. ex doctrina Coment. 5. meta.

entitatem, vt in materia, & formis materialibus, vel secundum extensionem, aut intensionem, vt in quantitate, & qualitatibus, est item distinctio existentiæ, quæ rem semper sequitur, quandiu actu est.

1964 Cum sit existentia rei modus, sequaturq; illius naturam, sicut ipsę res specie differunt inter se, aut etiam genere, ità pariter de existentijs philosophandum est, s. proportionaliter sese habere existentiam vnius, comparatam ad existentiam alterius, sicut se habet res ad rem.

1965 Effectus igitur formalis existentiæ, qui est dare esse actuale, non dicit quid vniuocum, sed analogicum, quatenùs est ab existentijs, solum analogicè conuenientibus in esse constitutiui in actu. Quod si ex hac assertione inferas, existentiam cum existentia conuenire quodammodo genericè, & habere sub eo genere differentiam, per quam differat, nō repugno, si loquaris de nostris conceptibus, & non de veris, ac proprijs generibus, & differentijs.

1966 Facilè concedunt philosophi, qui negant dari in re naturas vniuersales, esse aliquid in ijs, per quod cōtrahāt ad esse singularis, & indiuidui, quod appellant principiū indiuiduationis: est videlicet illud, à quo natura postmodum per conceptum separatur, vt fiat de singulari vniuersalis.

1967 Sed quid hoc sit, longis enimuerò discussionibus examinatum est, fueruntq; vt fit, sententiæ capitibus fermè pares. Incido primū in *a* quosdā, qui opinantur, nihil esse ab ipsa natura distinctum, nisi mente, ac conceptu. Sed hi placere mihi nulla ratione possunt, cum sciam, vnum indiuiduum ab alio differre, nemine cogitante, Qui verò differāt, cum in natura nulla differentia sit, cùm indiuiduatio nihil addat naturæ?

a Nominales Ochā, Gab. & alij in 1. d. 2.

1968 Nec verò satis est ponere negationem, qua vnum indiuiduū dicatur ab alio differre, quia vnum non est aliud, nam huius negationis fundamentū quæritur, quod & positiuum esse debet, & in natura, prout natura est, esse nō potest. Positiuum, inquam, quia res ipsæ singulares, quarum vna dicitur non esse alia, positiuæ sunt; In natura verò, qua natura est, nulla est radix huius negationis, quia plurium indiuiduorum sola indiuiduatione distinctorum natura, quantum est ex se, aut vna, aut indifferens est. Hoc verò est, quod dicitur, vulgari vnitatis descriptione, Vnum est, indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, habens scilicet in se aliquid positiuum, per quod quodammodo sibi vniatur, & non sit quid vnum cum alijs extrà se.

1969 De substantijs materialibus opinātur cōplures, *b* earū principiū indiuiduationis esse materiā signatā. Nec verò negare possū, quin me plurimū moueat horum doctorū auctoritas, cū præsertim ità loqui videantur, etiam auctore Arist. sed libet ex huius dictis, eorū sententiā interpretari. Ea, inquit *c* Arist. vnū numero sunt, quorū vna est materia. Loquitur de his, quę sūt vnū cōtinuatione, apta vz. vniri, ac postmodū diuidi, de q̄bus ibidē frequētissima mentio Arist. est, hęc ergò vnū numero sunt, quandiù materia quātitatis beneficio vna est, indiuisa in se, & diuisa à qualibet alia materiali substātia; Nō est vnitas formaliter, ipsa materia quāta, sed ex materiæ quātæ continuatione illa cognoscitur, vndè dici verè potest indiuiduationis principium ex signata materia facilè intelligi, & in ea situm esse, tanquam in signo.

b D. Tho. 1. p. q. 3. ar. 3. opusc. de ente, & essentia c. 2. & communiter Thomistæ.
c Lib. 5. meta. t. 12.

1970 Ma-

1970 Malũt *a* alij, in ijsdẽ materialibus subſtãtijs principiũ indiuiduationis esse substãtialẽ formã. Nõ placet hoc placitũ, quia à substãtiali forma est rei species, prout materię adiũcta fuerit, deq; ipsa forma quęri debet, vndè hẽat, vt sit vna numero, & singularis. Quid enim, si formæ darẽtur vniuersales, quę vniuersali materiæ adiunctæ naturas constituerent vniuersales? Fateor, hę nõ dantur, sed cur tales non sint istæ, quæ dantur, non ex ipsa ratione formę, quę eadem esset in formis vniuersalibus, sed ex aliquo alio formæ superaddito assignandum est; Illud ergo est, vndè materialis substantia vna sit.

a Auer. 1. de Anima. & lib. 2. Cõ. 7. & seq. sequuntur Auerroistæ.

1971 De materialibus accidentibus philosophantur *b* alij eadẽ in re, habere suam indiuiduationem à subiecto. Hanc etiam sententiam libet in bonam partem accipere; Peripatetica. n. doctrina est, accidentia habere totũ suũ esse in subiecto; sicut ergo in eo habẽt esse specificũ, ità & esse indiuiduũ. Intellige tamen, ex subiecto non tam esse formam, differentiãq; indiuiduationis, quam indicium, ac signum.

b D. Tho. 1. p. q. 29. art. 1. Opusc. 29. in fine quodl. 7. a. 19.

1972 Si. n. cõiter de accidẽtibus loquamur, excipiendo tñ relatiua quędã, quæ nõ tã sunt, vt in subiecto sint, quam, vt per ea subiectũ ad aliud sit, itẽq; species intẽtionales, aliaq; naturę nõ absimilis, vt lumẽ, sonus ẽt quæ nõ tam gratia subiecti sunt, quam gratia obiecti, si inquam de alijs perfectioribus accidentibus in communi loquamur, cum eiusdem speciei sunt, si in vno subiecto sint, sunt etiam eiusdem numeri, vt non malè hinc afferas, quandam indiuiduationis notam ex subiecto in his accipi.

1973 Sed, vt meũ tãdẽ sẽsũ eadẽ in re aperiã, nec de indicijs loquar, sed de ipso formali principio indiuiduationis, Aio, vnũquodq;, siuè illud substantia materialis fuerit, siuè spiritualis, siuè accidens perfectũ, siuè imperfectũ, siuè res, siuè rei modus, siuè natura, siuè naturę gradus, aut proprietas; quicquid sit, dummodo Deus non sit, singulare esse, & indiuiduum formaliter, per distinctam existentiæ formam, per quam habet simul esse actu, & esse numero vnum. Hoc illud positiuum fundamentum est, in quo, & quædam quasi vnio eiusdem ad se ipsum fundatur, & negatio paris vnitatis ad alia, quæ ipsum non sunt.

1974 Vbi verò materiatum aliquid ratione quantitatis, entitatisq; materiæ, & formæ vnum quid est per vnam formam existentiæ, mox verò diuiditur, & fit duplex; item cum plura disiuncta sunt, mox vniũtur, & vnum fiunt, nihil planè necesse est addere ipsi existentiæ, quæ, quia sequitur naturam rei, cum res continua est, dat esse vnum se ipsa formaliter; cum res diuiditur dat esse vnum singulis partibus, sui partibus formaliter; cum res diuisæ rursus vniuntur, dat esse vnum sui partibus in vnam existentiam vnitis. Hanc existẽtiam si appelles hæceitatem, dummodo nihil præter existentiam ponas, non me admodum mouet, nec mihi tanta est hic solicitudo vocabulorum.

1975 Argumẽtatur nõ *c* nemo cõtrà hãc sententiã, quia si existẽtia est principiũ indiuiduationis, cõtrahet veluti actus naturam, quasi potentiã ad esse singulare, sed ipse hic actus singularis est, & præsupponit potentiam singularem, non ergo potentia per illum singularis est; aut si ipse per se ipsum, quid ni etiam potentia per seipsam? Sed nec noua est argumentatio, nec nouam

c Suar. disp. metа. 5. Sect. 5. nu. 4. & 5.

postulat solutionem; Quà.n.dicitur, quod actus singularis est, est perindè ac si diceretur albedo alba; quà dicitur præsupponi potentiā singularē, dicitur falsum; natura enim se ipsa est in ratione essentiæ, nec singularitatem habet, nisi prout per hanc formam determinatur ad esse singularis hoc ipso, quod ponitur in actu extrà suas causas.



ACCIDENS.

CAP. XLVII.

1976 INTER diuisiones entis retuli *a* suprà adęquatā partitionem in substantiam, & accidens; hic quia distinctā eiusdē illius generis notitiam exquiro, per gradationē à speciebus ad primum, & perfectissimū entium Deum, adnoto quæ omnibus accidentibus cōmunia sunt, mox ipsarum specierū rationes inspectabo. Illud præmoneo, quęcūq; sit communis ratio accidentis, non esse conceptu obiectiuo vnā, nisi analogicè, siuè accidētis noīe cōprehendas, quod verā habet naturā accidētis, & diuidi solet in nouem genera prædicamentalia, siuè quicquid extrà rei essentiā est, quod comprehendit etiam substantiales partes, & modos.

a Hoc eod. lib. 2. c. 45.

1977 Sed loquor ego de accidente, quod in sua entitate, & natura accidēs est; certū verò est, cōem huius rationē, per quā á substantia distinguitur in ordine aliquo ad subiectum consistere; hinc accidens ex eo, quod subiecto accidat dictum est. Sed est accidentia, siuè inhęrētia duplex, alia actualis, per quā actu in subiecto inhęret, alia dicitur aptitudinalis, per quam etiamsi actu non inhæreat, aptum tamen est inhærere.

1978 Non placet *b* eorum sententia, qui de ratione accidentis volunt esse inhærentiam actualem; Nec vero ea stare potest cum veritate catholicę fidei, quæ in augustissimo Sanctiss. Euch. Sacramento vera accidentia agnoscit, à suo naturali subiecto naturaliter separata. Nec in eo vim mihi facias, quod

b Fermè communis apud antiquos Philosophos.

quod in hoc qualitates panis,& vini pro subiecto habeant quātitatem; Nam quantitas accidens est, subiecto indigum, nec est aliarum qualitatum subiectum connaturale,& illud primum,quod in suo naturali statu postulant.

1979 In aliud extremum est *a* alia sententia, nullam inhærentiam, neq; actualem,neq; aptitudinalem esse de ratione accidentis. Non negant hi,accidens inhærere,aut posse inhærere;sed negant,vllam siue actualē, siue aptitudinalem inhærentiā includi in ratione accidentis,vt accidens est;s.quia quædam accidentia reperiuntur,quæ sunt ad aliud,vt relatio,alia, quæ sunt ab alio vt actio,& si quæ sunt similia,de quorum cōceptu nō est esse,vel esse posse in alio.Ponit hæc sententia falsum principium,idest accidentia, quæ sunt ad aliud,vel ab alio,non esse in alio.

a Scoti 7. met. q 1. Anto. Andr. ibid. & quorundā aliorum.

1980 *b* Dico igitur,de cōmunissima ratione accidentis esse inhærentiā aptitudinalem,qui est ordo essentialis,& necessarius ad subiectum, vt actus, non qualiscunq;,sed inhæsiui ad potentiam.

b Ex cōmuniori sententia, præsertim Thomistarum, & latè Caiet. opusc. de ente & essentia c. 7. q. 15.

1981 Sunt cōplura accidentia,quę etiam actualiter inhærent,itā vt nec per Diuinam potentiam possint separari; sed hæc inseparabilitas nascitur ex imperfectione existentię,non ex eo,quod actualis inhęrentia sit de eorū essentia. Sic illa,quæ per Dei potentiā separantur nō id habent, quia minus postulāt actū inhęrere,quam alia accidentia inseparabilia; sed quia perfectiorem sortita sunt existentiam, minusq; dependentem ab existentia subiecti.

1982 Cū verò accidens actu inhęret,se ipso inhęret, & non per aliquid sibi superadditum:scilicet se ipso inhęrere aptum est, vbi sortitum sit proportionatū subiectū; Pari ratione,vbi à subiecto separatur, & extrà illud à Deo cōseruatur,nihil intrinsecū amittit,per quod prius actu inhęreret. Qua in re sequor probabiliorem sententiam ex duabus, quas *c* alibi proposui, actum videlicet & potentiam se ipsis vniri apta nata esse,& non per superadditā vnionem. Quòd si quis vnionem in formis substantialibus admittat, non video, cur hic modum aliquem actualis inherentię debeat excludere.

c Hoc eod. li. 2. cap. 5.

1983 Accidēs per hāc aptitudinē,quā in sua ratione cōmunissima includit, respicit,vt subiectum primum,substātiam,sed mutuus respectus est,si loquamur de substantia creata, quæ s. non minus ipsa facta est ad accidentia sub-stentanda,quam factum sit accidens ad substantiam actuandam.

1984 Pro mutuo respectu sunt hæc duo simul natura, sicut quęcunq; alia relatiua,formaliter accepta, vt relatiua sunt. Huic verò nihil obstat id, quod dicitur alicubi ab *d* Aristotele,substantiam esse priorem accidente, ratione, cognitione,tempore,&.natura.

d Li. 7. met. t. 4

1985 Dictum verò sic intellige,substantiā esse priorem ratione,quia necesse est,inquit Aristoteles,in cuiusque ratione inesse rationem substantiæ scilicet in corporibus physicis, in quibus singulis prædicamenta complura distinguas,prima rei ratio substantia est.Hoc ipsum est, esse substantiam priorem cognitione,quia ex rei ratione innotescunt postmodum passiones. Hoc est, esse eandem priorē tpe, nō quia reperiatur vnquam substantia sine accidēte sed quia tēporarius rei ortus primo cadit supra rei rationē, quę in substantia est, & per quam prius v. g. est homo, quam sit per qualitatem homo qualis.

Hoc deniq; est esse substãtiam natura priorem,quia in sua entitate est primũ fundamentum accidentium.

a Lib. 1.c.3.

1986 Diuiditur accidens in nouem pr̨dicamenta,vt *a* alibi asserui,sed memini me ibidem addere non esse huius diuisionis rationem rigorosè examinandam,quam quasi per manus traditam ab antiquis, voluit Aristoteles retinere. Fateor potuisse hanc contrahi, potuisse dilatari,item alia methodo potuisse nouas institui partitiones pro diuersa accidentium natura,pro diuersis eorundem modis,quibus accidunt,quibus insunt,quibus abesse,vel non abesse possunt.De his accidentibus dicta sunt multa per occasionem in physicis,solum aliquid superest de quantitatis,& relationis ratione asserendum.

b In prædicã. de quanto, & lib.5. meta.t. 18.

c Apud Ant. Andr. sine præd. Quant.

1987 Duas quantitatis species in idem reponit prædicamentum *b* Aristoteles,vtranq; in suas species subdiuidendam, idest quantitatem continuam, & quantitatem discretam.Quod spectat ad quantitatem continuam, vbi descriptionibus agitur,vix quisquã est,qui ignoret quid ea sit, sed in assignanda ratione formali maior est iudiciorum diuersitas. Arbitrantur *c* aliqui,esse rationem mensur̨: Non probo; Nam cum mensura non sit,nisi prius ipsa certis finibus terminetur,quantitas habet suum verum, ac proprium esse quantitatis,independenter à nostra vlla terminatione.

d Scotus, & alij in præd. Quant.

1988 Sunt *d* qui eandem rationem reponant in eo, quod quãtitas diuidua est.Sunt,qui in eo,quod habeat partes extrà partes. Sed dixerim potiùs rationem hanc sitam esse in vna non interrupta extensione in ordine ad locũ. Etenim hæc est prima huius quantitatis ratio,eademq; propria; Propria, nã cum plura sint,quæ extensionem habere dicuntur, ordinatè tamen ad locũ habet solum corpus quantum,& alia,ratione quantitatis; Prima verò, quia prima hæc est origo diuisibilitatis,& aliorum,quæ quantitati tribuuntur.

e Apud Suar. d.41. Sect.1.

1989 Quod spectat ad quantitatẽ discretam,qų dicitur numerus,sunt qui *e* negent, eam esse speciem quantitatis, quia est aggregata temerè congeries rerum numerabilium.Sunt,qui contendant,non minus esse quantitatis speciem,quam sit ipsa quantitas continua. Neutrum vsquequaq; approbo, est casualis plurium aggregatio, sed in qua fundari possit vera, & realis species quantitatis.

1990 Volo igitur in aggregatione plurium quantorum stare hanc veram, & realem speciem quantitatis,cum intellectus,quæ plura sunt,& nullo ad inuicem alligata vinculo,in vnã collegerit summã, quæ certa, & finita certum facit numerũ, cuiuslibet vnitatis additione, vel detractione in aliam numeri speciem variandum. Necesse est, ea qų numerantur quanta esse, siq; talia non sint numerum facient, itemq; realem, sed transcendentalem, pr̨dicamentalis enim in quantitate continua,quasi in fundamento nititur.

1991 Vterq; verò numerus,siuè pr̨dicamentalis sit,siuè trãscẽdẽtalis,collectionem ab intellectu exposcit.Quod si qųras, cũ pr̨dicamentalis numerus duo dicat,i.res numerabiles quantas, & earumdem collectionem, quid primariũ dicat,quid secundarium Aio, dicere ipsã realitatem rerũ numerãdarũ primario, sed hanc non sine collectione per intellectũ numerãtẽ.habet n.hæc numeratio vim cõditionis,sine qua nõ, & instar vltimi complementi.

1992 Diffi-

1992 Difficilis est ordinatio prædicamentalis quantitatis; cum ratio quãtitatis cõtinuæ distet à ratione quãtitatis discretæ; sed ordinatur tñ, quatenus extẽsio est vna cõis generis ratio. Nec verò laborãdũ est, vniuocè ne hæc vna sit, an analogicè, quia nec ipse Arist. rem tanti facit. Vnã ego esse dixerim, abstrahẽdo ab vnitate rei, quã hẽt quãtitas cõtinua, & vnitate rationis quã hẽt discreta, satisq; hæc est ad simili quadam ratione philosophandũ de extensis, siuè positionem habeant ad inuicem in partibus quantis, siuè non habeant.

1993 Subdiuiditur quantitas continua in tres species, lineam, superficiem, corpus, quæ infimæ species sunt; discreta verò in tot, quot sunt numeri numerabiles, finiti in infinitum.

1994 Est alia ratio potior, cur numeri sese excedentes dicantur, specie differre, non autem, quæ se excedunt in quantitatibus cõtinuis, vt plures lineæ, plures superficies, plura corpora. Ratio verò magis constat ex quadam ordinatione mentis, quã ex re ipsa, cũ numerus sine mente nõ sit. Vbi.n. mens vni numero addiderit vnitatẽ, vel detraxerit, fecisse potuit ex pari imparẽ, aut ex impari parẽ, atq; ideò, vel æqualiter diuisibilẽ, vel indiuisibilẽ, quæ mutatio nouas censetur inducere proprietates, ex quibus nouã esse speciẽ discas.

1995 Dictũ est alicubi à D. *a* Tho. vnitatẽ esse formã numeri. Dictum acriter impugnant *b* aduersarij, qui enim sit forma, & ratio numeri id, quod numerus non est, quod indiuiduũ, & impartibile? Sed nolo hic isti impugnatores amplius laborẽt. Aio rectè dici, vnitatẽ numeri formã non quamlibet, sed vltimã. At vltima (inquiunt) nõ datur. Paucis vos moror. Vltimam appello, quæ vltimo addita, determinatũ constituit numerũ. An nõ si tribus addatur vnum, fiet quaternarius? Quid verò est, quod quaternarium constituit, nisi hæc vltimo addita vnitas? hæc ergo numeri forma propterea dicitur.

a 8. meta. in t. 10.
b Aureol. apud Capr. in 1. d. 24. q. 1. concl. 5. & alij, quibus Thomistæ optime satisfaciunt.

1996 Vbi de relationibus dissero, de his loquor, quæ rebus creatis tribuũtur; etenim de diuinis, quibus tres ęternæ personę, cõstituũtur, ac distinguũtur sublimior est philosophia, quã quę, hic à me tractatur. Tribuũtur verò creatis rebus quędã à nostra mẽte, & cõceptu, quę dñr relationes rationis, alię pręesse dicuntur, antequam cognoscantur, & ex his quædam prędicamentales sunt diuersæ videlicet naturæ à reliquis prædicamentis.

1997 Hæ mutuæ dicuntur, cum ex parte vtriusq; relatiui prædicamentalis relatio est, non mutuæ, cum ex parte vnius relatio est vera, & realis, ex parte verò alterius rationis tantùm. Et quidem vtrumq; euenire potest; scilicet vt se pariter aliquando termini respiciant, aliàs verò non item.

1998 Aequiparantiæ dñr, cũ vtrinq; vnius rationis relatio est, disquiparãtię, cũ pro terminorũ differẽtia differunt in sua specie, vel quasi specie. Certa.n. est, vt *c* alibi asserui relationis cognoscendæ regula ex termino, ad quem est secundum totum esse, quod habet.

1999 Sũt, & plures, quã vulgo esse credãtur, qui prędicamẽtales relationes è medio tollunt, s. non solum ij, *d* qui eas expressè negarũt, sed alij, etiã, qui eas à fundamento non nisi ratione distinguunt. Et verò ingens horum numerus est, qui si ad numerum traherent Aristotelem, me etiam facilè perducerent. Sed cum velit Aristoteles, relationem esse verum, & proprium accidens,

c Lib. 1. c. 3.
d Apud Ammon. Alb. & alios Com. in c. de ad aliquid.

ſuumq; conſtituere prædicamentum à ſubſtantia, quantitate, & qualitate diſtinctum, aſſero relationes prædicamentales dari, & à ſuo fundamēto pluſquam ratione diſtingui.

2000 Fateor naturam, quam relationes habent, imperfectam eſſe, ac diminutam, idq; vix *a* quiſquā eſt, qui non viderit; Quia tamē aliquod eſſe habēt, adeſſe poſſunt ſubiecto, mox abeſſe ab eodem, certis ſtantibus, aut ſublatis conditionibus, proq; imperfectione exiſtentiæ habent, vt ſtare nō poſſint per vllam potentiam à ſubiecto ſeparatæ. Si ergo ſeparabilitatem ſpectes, diſtinguuntur à ſubiecto modaliter, ſed quia in ſubiecto habent potius formæ rationem, quam modi, ſi quis hinc faciat appellationem, & dicat formaliter diſtingui, non hæreo in nominibus.

a Tradit expreſsè Auer. 12. meta. Cō. 19. D. Tho. 4. cōt. Gēt. c. 14.

2001 Duæ rationes in qualibet relatione diſtingui ſolēt, vna dicitur, eſſe in, per quā ſcilicet in ſubiecto eſt, altera dicitur eſſe ad, per quam habet, vt referat ſubiectū ad terminū; ſed non ſunt hę duæ rationes diſtinctæ, niſi cōceptu, quia enim prædicamentalis relatio tota accidens eſt, & tota ad aliud, ipſum eſſe in, erit eſſe ad, & ipſum eſſe ad, erit eſſe in. Et quamuis natura prius ſit eſſe in, quam eſſe ad, quia tamen illud ipſum eſſe in, eſt quid analogum ad omnia accidentia, hoc ipſum indicat, in relatione idem eſſe, eſſe in, & eſſe ad.

2002 Prædicamentalis relatio in ſubiecto, in quo eſt, verè, & propriè non cauſatur, ſed emanat, ac fluit poſitis conditionibus requiſitis. Quoniā tamen vtcumq; accipit eſſe ex his cōditionibus, relationis cauſæ dici poſſunt illæ ipſę, quę ſunt cauſę requiſitorū, vt benè alicubi dictum eſt á D. *b* Thom.

b In 1. d. 30. q. 1. ibid. Capr.

2003 Nihil verò refert, quandò, & vbi operētur eę cauſę, quę huiuſmodi requiſita ponunt; nam nō attingunt ſua operatione relationem immediatè, ſed alios effectus, ad quorum exiſtentiam relatio ſatis habet, vt poſſit exiſtere. Pari ratione philoſophandum eſt de corruptione relationis, ſcilicet illud ipſum, quod tollit aliquid ex requiſitis, dicitur ſuo modo relationem tollere.

2004 Requiſita ad relationē *c* prædicamentalē hæc eſſe cenſeo, Ex grauiſſimorum *d* Doctorum conſenſu. ſ. vt fundamentum ſit ens reale, realiter exiſtens, itē vt terminū habeat realē, ac realiter exiſtētē, Prętereà, vt inter fundamentum, & terminum, diſtinctio realis ſit. Deniq; vt ratio fundandi non pendeat ab operatione intellectus, ſed ſe teneat ex parte fundamenti, vel termini, vel vtriuſq;. Horum requiſitorū rationes facilè habes ex natura relationis.

c D. Tho. in 1. d. 30. Sonc. 5. Meta. q. 29. d Scotus in 2. d. 1. in 4. d. 6. cum ſuis.

2005 Quæſitum eſt à nonnullis, an poſſit relatio in relatione fundari. Affirmant *e* aliqui, ſed vereor, vt ſe hi tueantur à multiplicatione, relationū in infinitum. Malo igitur dicere cū *f* alijs, non eſſe idoneū fundamentum relationis relationē, non quia cum ſit ad aliud, non poſſit eſſe ſub alio, ſed quia imperfectiſſimę entitatis eſt nec habet in fundamento illā realitatē, quam poſtulat. Eadem eſt ratio, cur non poſſit eſſe relatio inter diſtincta ſolum formaliter, ſcilicet, quæ ſic diſtinguuntur vnicam habent entitatem, relatiuum verò ad aliud eſt verè, & propriè aliud.

e D. Tho. 1. p. q. 42. & 45. lib. 3. contra gent. c. 18. cum ſuis. f Lib. 5. meta. t. 20.

2006 Triplex aſſignatur ab *g* Ariſt. ratio fundandi relationem, ſ. vnitas, aut numerus, actio, & paſſio, & ratio menſuræ. Sic hæ vulgo traduntur à peripateticis;

g Lib. 5. meta. t. 29.

teticis; sed verbis non ijsdem ab Arist. Per vnitatẽ intellige conuenientiam fundamẽti cum termino; per numerũ discõuenientiã, & hac rõne referũtur, quæ in vna qualitate similia sunt, quæ in nõ vna, dissimilia; Per actionẽ, & passionẽ intellige, non solum, quæ actu agunt, & patiuntur, sed ẽt quæ passiua, & actiua sunt; Per rationẽ mensuræ quæ loco exempli affertur ab Aristotele, intellige, quibusdã esse rationẽ fundandi relationẽ solũ ex eo, ꝙ alia referuntur ad ipsa; sic.n. mensurabile ad mẽsurã refertur pręcisè, quia mensura ad ipsum.

2007 Habes ex his diuersã esse rõẽ fũdãdi à fundamẽto; nec. n. similitudo in vnitate qualitatũ nitit, sed in ipsa reali qualitate. Sic alię plures, nõ in actione, aut passione, sed in agente, & passo insunt, ẽt vbi actio desijt, & passio nulla est.

2008 Habes etiã disputationem ibi esse Aristoteli, non solum de rationibus fundandi prædicamentales relationes, sed magis vniuersam, etiam de ratione concipiendi alias plures, quæ à solo conceptu, & ratione sunt. Tales esse censeo, quibus dicitur esse fundandi ratio multitudo, nec enim arbitror ad relationes disconuenientiæ, dissimilitudinis, diuersitatis, esse ponendas reales relationes positiuas, sed satis esse oppositarum negationes.

2009 Est in fundamento relatio prędicamentalis ad terminũ, sed sępè vicissim relatio: item prędicamentalis, in termino fundatur, qua illud ipsũ fundamentũ respicitur, tanquã terminus, duoq; sunt correlatiua, vtrumq; absolutũ in sua natura, sed vtrũq; respectiuũ per superadditas relationes. Dubiũ ergo est, cũ vtriusq; relatio in absoluto fundetur, an pariter vtraq; absolutũ sui termini respiciat. Negant *a* cõplures, qui cuiusq; relationis terminũ volunt esse relatiuũ. Sed mihi magis placet opposita sententia, vniuersalem, & proprium relationis prædicamentalis terminum esse absolutum.

a Caiet. 1. p. q. 13. a. 7. Fons. lib. 5. meta. ca. 15. q. 4. Sect. 4. & alij.

2010 Relationi dicitur terminus esse intrinsecus, intellige necessariò requisitum, etiam quoad existentiam, cum de relationibus prædicamẽtalibus agitur, itemq; esse veluti certum indiciũ, ac notã, vndè relatio cognoscitur, qualis in sua specie sit. Hoc est à termino specificari relationem, hoc est, si sic loqui libeat, terminum esse de essentia relationis. Cauè tamen, ne arbitreris terminum habere locum intrinseci prædicati in natura relationis; esset.n. error delusę monstrosis imaginibus phantasię.

2011 Dependentia, quam prædicamentalis relatio habet in sua existentia ab existentia termini, facilè mihi persuadet, quotiescunq; termini in numero crescunt, aut decrescunt, crescere pariter, & decrescere numerum relationũ. Ità censent nobiles *b* auctores, & ad rerum formas distinguendas acuti.

b Scot. in 3. dist. 8. q. vn. Ant. Andr. 5. meta. & Scotistæ communiter.

2012 Negare tamen non possum, quin altera etiam sententia valdè probabilis sit, quæ habet, vnam esse numero relationẽ ad plures terminos, solo numero distinctos, quotquot illi fuerint. Scilicet adęquatus terminus illius relationis non est hic, aut ille terminus, sed quotquot existunt, tunc ergo deficiet relatio, cum nullus amplius existet.

2013 Deniq; quod spectat ad huius prędicamenti ordinationem, datur vnũ summum genus relationis iuxta illud esse, quod relatio habet, sibi proprium, & distinctum ab entibus absolutis. Huius summi generis ratio est, esse totum ad aliud, nec habere aliud esse, nisi ad aliud. Abstrahit hæc ab omnibus relationibus,

tionibus, etiam ab ea mutua, quę in termino intelligitur; contrahitur verò ad ſpecificum eſſe relationis per terminos ſpecificos, & indiuiduationem tandē habet per ſuam propriam exiſtentiam, quæ quia pro naturæ imperfectione imperfecta eſt, ex exiſtentia termini, quaſi ex propria nota, diſtinguitur.

SVBSTANTIA, & ſubſiſtentia.

CAP. XLVIII.

2014 VSVRPANT *a* Philoſophi ſubſtantię nomē non in eadem ſemper notione. Dicitur aliquandò ſubſtātia cuiuſq; rei ratio, etiam ſi accidens fuerit Intelligitur aliàs indiuidua ſubſtantia, quę verè, & propriè per ſe ſtat; aliquandò ſubſtantialis natura vnius indiuidui, deniq; & natura vniuerſalis, quæ abſtrahitur ab his, quæ per ſe ſubſiſtunt, eorundemq; indiuiduis naturis. Et in hac vltima acceptione de ſumma ſubſtantiæ ratione loquor quę genus vniuocum ſit ad omnes ſpeciales ſubſtantias, quæ ſub hoc vno genere continentur.

a Ex D. Tho. in 3. diſt. 4. q. 1. a. 2. in corp.

2015 Dicta eſt *b* ſubſtantia, vel à ſubſiſtendo, vel à ſubſtando, vel ab vtroq;, quantùm ego arbitror; Vtrumq; .n. ad veram ſubſtantiæ rationem requiritur, ſcilicet vt in alio ipſa non ſit, ſed per ſe ſtet, vbi completa ſubſtantia fuerit, & prima; & prętereà ſit ipſa ſubiectū, vel actuale, vel ſaltem potentiale aliorū.

b Vt ex D. Aug. & D. Iſidoro explicat Suar. Diſp. meta. 33. Sect. 1.

2016 Non ſatis eſt prima ratio ſine ſecunda, nec ſecunda ſine prima: quamobrem ſapienter *c* Ariſtoteles, vbi primam expreſſit, in eo ſitam eſſe præcipuam ſubſtantię rationem addit, quod alijs ſubſtet. Hinc etiam illa: *d* Subſtātia ſunt ſimplicia corpora, mixta, & quę ex his conſiſtunt animalia, quoniam non dicuntur de ſubiecto, ſed de eis cœtera.

c In Prędicam. ca. de ſub ſtantia.

d Lib. 5. meta. t. 15.

2017 Non placet *e* eorum opinio, qui ſummū ſubſtantiæ genus volunt eſſe materiā ſubſtātialem; Quin ēt mihi difficile perſuadeo fuiſſe quemquā in hac

e Auer. in cap. Porph. de ſpecie cum Sectatoribus.

ſententia, ſed ſenſiſſe eos potius, deſumi ſubſtantiæ genus ex materia, quod *a* alicubi ſenſiſſe etiam Ariſtoteles videri poſſit. Nec tamen id ipſum placet; quia nec huius fuiſſe mẽtis Ariſtotelem certum mihi eſt, cuius videlicet dicta interpretor, vt ſolum velit, ex quadam analogia ad materiam genus cognoſci; Nam proportionata quadam ratione ſe illud habet ad ſuas differentias, quà materia ad ſuas formas.

a Lib. 8. meta. t. 6. q. 15. 16. & alibi.

2018 Aio igitur, deſumi genus ex rei natura completa, quæ vel ſimplex erit, vel compoſita ex materia, & forma. Si ſimplex, quia cum creata ſit, non erit actus purus, ſed admixta erit actualitate, ac potentialitate, habebit ſupremum quid, ratione cuius per ſe ſtet, & alijs ſubeſſe apta ſit. Si verò compoſita fuerit ex materia, & forma, quia hę partes vnam integrare naturam aptę ſunt, de illa vna, quaſi de ſimplici philoſophandum eſt. Quare cum vna non ſit per ſolam materiam, nec per ſolam formam, ſed per vtranq; ſupremus ille naturæ gradus, non à ſola erit materia, nec à ſola forma, ſed ab vtraque.

2019 Facilè habes ex his definitiones quęſtionum, minimè leuium. Vna illa eſt, an cœlum, ſiuè illud ſimplicis naturæ fuerit, ſiuè compoſitionis longè diuerſę à compoſitione elementorum, & aliorum corporum ſublunariũ, contineatur in prædicamento ſubſtantiæ. Quicquid nõ *b* pauci dicant, hoc meũ eſt dictum, probis item *c* auctoribus probatum, cœlum poni in prædicamento ſubſtantiæ, & vniuerſam illam rationem generis in ſe habere, quod in alio non ſit, quod per ſe ſubſiſtat, quod ſubſit alijs.

b Auerroiſtæ communiter.
c D. Tho. & alijs quos citat Fon. Seca li. 5. meta. cap. 8. q. 4. Sect. 1.

2020 At, inquis, diſertè nimis ab *d* Ariſtotele dictum eſt, differre illa genere, quorum nõ vna materia eſt: Itẽ corruptibile, & incorruptibile differre genere. Quid ergo, ſi cœli materia non ſit eiuſdem rationis cũ noſtrate? quid ſi ſubſtantia incorruptibilis ſit? Equidem vtrumq; dedi in his meis *e* aſſertionibus, & hic eadẽ data volo; Aio tamen, materię nomine intelligere Ariſtotelem genus; nam ſic ſe ipſe interpretatur, vt puta inquit, quorum alia prædicationis figura eſt. Aio item, vbi dicuntur corruptibilia ab incorruptibilibus differre genere, generis nomine, non ſummum, ſed medium intelligi, niſi mauis paralogizare, vbi ſic ratiocinatur Ariſtoteles: Contraria ſpecie diuerſa ſunt, ſed corruptibile, & incorruptibile ſunt contraria, neceſſe ergo eſt, diuerſum genere eſſe corruptibile, & incorruptibile.

d Li. 10. meta. t. 12. & 26.
e Hoc eod. lib. 2. cap. 13.

2021 Intelligentię ponuntur in prędicamento ſubſtantiæ nihilominus, quã cœlum, ſiuè de re ipſa loquaris, ſiuè de mente Ariſtotelis. Quod ad hunc ſpectat, *f* Deum cenſet inter ſubſtantias, non Deum primum, aut intelligentiam primam, ſed intelligentias, quos Deos, quaſi ſecundos, Platonici vocant. De Dęmonibus alibi mẽtio eſt, ſatis apertè idem indicat, primam intelligentiam eſſe actum purum, reliquas compoſitionem aliquam admittere. Hęc, & horũ ſimilia perſuadent, eam ſibi ſtatuiſſe Ariſtotelem prędicamentalis ſubſtantiæ rationem, quę etiam ad intelligentias extendatur.

f Lib. 7. meta. t. 2. lib. 5. t. 15. lib. 1. Eth. cap. 6. li. 12. meta. t. 51.

2022 Sed non eſt par ratio Dei, ſeù primæ intelligentię; hunc. n. nec Ariſtoteles in prędicamento ponit, nec verò ponere debet.

2023 Quod ſpectat ad rei veritatem, ſi ratio prędicamentalis ſubſtantiæ ea eſt, quã deſcripſi, nimirũ, vt in alio non ſit, ſed ſint in ipſa alia, ipſa hęc probat, & in-

& intelligentias in prædicamento contineri,& in eodem non contineri Deũ. Per se subsistunt intelligentię,quis hoc neget? per se subsistit etiam Deus,qui solus rebus omnibus dat esse, & subsistere. Sed habent intelligentię, vt alia in se ipsis recipere possint,accidentia videlicet suę naturę proportionata, hoc verò pro sua perfectione Deus non habet, cuius natura infinita nullius additionis est capax. Et hęc vna disparitas probat vtranq; veritatis partem.

2024 Hærent hic aliqui,quia si summum substantiæ genus cõmune sit corruptibilibus,ac incorruptibilibus substantijs,idemq; materialibus, ac spiritualibus, videtur vnum statui genus,quod idem & corruptibile sit, quia prædicatur de corruptibilibus, & incorruptibile, quia de incorruptibilibus dicitur; Item quod idẽ materiale sit,quia conuenit materialibus, & spirituale q̃a conuenit spiritualibus. At hoc inquiũt, est monstra componere. Ita est, atq; ideo nego,genus illud esse simul corruptibile,& incorruptibile, esse simul materiale, & immateriale. Quin potius ais, esse genus, quod abstrahit ab his differentijs,quia substantia,quà substãtia est, solum dicit per se subsistere, & esse id, in quo alia? sic illa monstra abiges,quę te territant.

a In prędicam. cap. de subst.
b Lib. 1. harum assentionum cap. 3.

2025 Diuisio substantię completę,ac prædicamentalis, tradita ab *a* Aristotele,à me etiam tradita,& explicata est,*b* vbi ex eiusdem doctrina dixi, primã esse, quę maximè substantia dicitur,quia nullo modo in alio est.

2026 Differt à secũdis prima,quia vltimo quodam termino affecta est,quæ in rationali substantia dicitur hypostasis,in reliquis substantijs materialibus, communiori vocabulo,dicitur subsistentia. Per hunc ipsum terminum constituitur vltimo suppositum, quod in rationali natura dicitur persona, in reliquis retinet commune suppositi nomen. Nihil hic ego de diuinis loquor,sed solum de creatis substantijs.

c In li. de duabus naturis.
d vt notat Elias Cretens. in orat. 23. Naz.

2027 Hinc habes illa *c* Boetij: Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. Indiuiduam intellige,vltimò terminatam, qua ratione hypostasis dicitur gręco vocabulo,cuius notio *d* anceps aliquandiũ fuit,dum aliqui hypostasim pro natura interpretati sunt,nunc verò inter Grecos,latinosq; conuẽtio est,hypostasim esse vltimum naturæ rationalis complementum, ac terminum;& ne sit amplius de verbis lis, quæ latinè dicitur natura, à Græcis vsia, quę latinè persona,à Gręcis hypostasis,ex certa conuentione appellatur.

e Henr. quodlib. 4. q. 4. Dur. in 1. dist. 34. q. 1.

2028 Quid verò sit in natura subsistente subsistentia,siuè personalitas, non pari omnes ratione explicant. Sunt, *e* qui velint, nihil esse naturæ superadditum,sed naturam ipsam diuersa ratione conceptam,& contendunt, hãc esse sententiam Aristotelis.Sed nouum his philosophandi genus necessarium est,quicquid hac de re tradiderit Aristoteles.

f Scot. in 3. dist. 1. q. 1. et dist. 6. q. 1. & Io: de Neapoli, de quo Caiet. 3. p. q. 4. a. 2.

2029 Tradit.n.catholica fides Diuini Verbi incarnationem,ex eodemq; sacratissimo mysterio edocet,esse in Christo domino naturam humanam,creata subsistentia carentem, & increata Verbi hypostasi terminatam. Aliquid ergo dicit subsistentia à natura distinctum, cum per diuinam potentiam fuerit aliquando separata.

2030 Sentiunt *f* alij,subsistentiam non addere naturæ,nisi negationẽ actualis,aut aptitudinalis dependentiæ ab alio, scilicet, vt non sit, nec esse possit in

alio.

alio. Explicant hi non male, quantum ego ſentio, effectum formalem ſubſiſtentiæ; conuenit.n.ſuppoſitis, & per hoc differunt à naturis, non dum vltimo terminatis, videlicet, quod non ſint, nec eſſe poſſint in alio; ſed formam non aſſignant, à qua ille effectus, eſſe poſſit: Qui.n.hoc præſtet negatio, & quid habet minus natura non dum ſubſiſtens, ac habeat ſubſiſtens; ſi hęc ſola negatione ſubſiſtens eſt?

2031 Tertio loco referri *a* alij poſſunt, qui volunt, vltimum ſubſtantiæ terminum, per quem ea per ſe ſtare apta ſit, ità vt in alio eſſe non poſſit, eſſe indiuiduas quaſdam proprietates, & characteres, quibus hæc numero ſubſtantia eſt. Duplici de cauſa diſplicet hęc opinio, ſcilicet, & quia ponit ab accidentibus ac proprietatibus indiuiduis indiuiduari ſubſtantiam, & quia putat indiuiduam ſubſtantiam, hoc ipſo quod indiuidua eſt, per ſe ſubſiſtere.

2032 Non placet primum, quia accidentia indiuidua ſupponunt indiuiduũ ſubiectum, vt natura prius. Nec placet ſecundum, quia per indiuiduationem natura ſubſtantialis eſt hæc adhuc apta eſſe in alio, niſi vltimò terminetur à ſubſiſtentia, quæ ſupponit, vt natura priorem exiſtentiam, ſeù quicquid aliud ſit, à quo formaliter ſubſtantia ſingularis ſit.

2033 Non nego tamen, quin hęc accidentia, & characteres, philoſophando de naturalibus ſubſtantijs, prout ſe ſe habent in ſuo naturali ſtatu, ſæpè adhibeantur ad formale ſubſiſtendi principium ſignificãdum, vndè *b* Ariſtoteles, cum de prima ſubſtãtia affert exempla, ſingulares ſubſtantias indicat, (vt hic homo, vt hic equus.) Quid inquam Ariſtoteles? ſæpiſſimè *c* SS. Patres, ac Theologi pari ratione ſubſiſtentem ſubſtantiam eandem accipiunt, ac exiſtẽtem, cumq; ſit exiſtentia inſeparabilis à natura; quia tamen exiſtentię nomine denotant ſubſiſtentiam, reperias non rarò dictum de humana Chriſti Domini natura, eam non ſua ſtare exiſtentia, ſed æterni Verbi.

2034 Sed affero tandem quid ego cum optimis *d* auctoribus ſentiam. Aio, ſubſiſtentiam eſſe modum ſubſtantialem, vltimò terminatiuum naturæ ſubſtantialis ad eſſe per ſe ſubſiſtentis, & non in alio, naturaliter inſeparabilem à natura; ſeparabilem tamen per Diuinam potentiam, ità vt dari poſſit natura exiſtens ſua propria, & naturali exiſtentia, & eadem carens ſubſiſtentia propria, ſiuè terminetur aliena, ſiuè ſecus.

2035 Intellige hęc dicta de ſubſiſtentia creata creatarum ſubſtantiarum, nec.n.de ratione ſubſiſtentiæ, illam in tota ſua amplitudine accipiendo, eſt eſſe modum, ſicut re vera eſt eſſe terminum vltimum.

2036 In ſubſtantijs creatis, quarum natura ex materia, & forma compoſita eſt, naturalis ſubſiſtentia totius nihil aliud eſt, niſi naturalis ſubſiſtẽtia partiũ; ſicut enim ex duabus naturę partibus fit natura vna integra, ità ex partium partialibus ſubſiſtentijs vna fit integra, & totalis. Non omnes naturalis ſubſtantię partes ſubſiſtentiam partialẽ habent paris perfectionis, ſicut nec omnes formę paris perfectionis ſunt, reliquas enim anima rationalis longiſſimo ſuperat interuallo; Sed quod affero eſt, ſuam vnicuiq; parti conuenire partialem ſubſiſtentiam, naturæ proportionatam, ſicut vnicuiq; ſua conuenit exiſtentia, quicquid contrà non *e* nemo obijciat.

a Heru. quodl. 3.q.6. Iauell. 7. meta.q.17.

b In prędicam. cap. de Subſt.

c De quibus mentio apud Vaſq. tom. 1. in 3.p.D.Tho. Diſp. 31.ca.3. & 4. & alibi.

d D.Tho. 3.p. q.2. a.2. ad 3. & a. 5. ad 1. vt recentiores interpretãtur.

e Vaſq. tom.1. in 3. p. D. Tho. Diſp. 32.

INTEL-

INTELLIGENTIAE.

CAP. XLIX.

2037

A SVBSTANTIAE naturalis contemplatione eleuatur nostra intelligentia ad cõtemplationem immaterialium, ac separatarum, quæ Intelligentiæ, Angeli, Mentes, & alijs nominibus appellantur. Dari has prisci Philosophi cognouerunt, vndè tam frequens de illis mentio est, & in Peripateticorum, & in Platonicorum scriptis.

2038 Quamuis aũt credibile sit, hanc ad eos deuenisse notitiã ex Hebreorũ traditionibus, aut libris; Nõ tñ denegauerim, potuisse eosdẽ *a* naturali ratiocinatione cognoscere aliquas naturas intellectuales à materia separatas dari posse, & ex varijs effectibus deducere, aliquas ẽt de facto existere, vel separatas à materia, vel certè nõ huius concretionis, qua sũt, q̃ vulgo dñr materialia.

a Ex D. Tho. 1. p. q. 50. & 2. contra gent. à cap. 46.

2039 Quid probet hac in re motus, *b* alibi dixi. vbi à me de primo motore mẽtio facta est, & vbi de principio motus cœli. Infirma nimirũ probatio est, nisi quis ponat cœlum, aut astra non habere in se intrinsecum sui motus principium actiuum, sed passiuum tantùm.

b Hoc eod. lib. 2. ca. 11. et 13.

2040 Quin ẽt hoc si ponatur, adhuc mãca ratiocinatio est, quid.n. repugnat dicere, vbi ex solo naturali lumine philosopheris, moueri astra immediatè à Deo, q suo solo voluntatis nutu aptus est rebus omnibus & naturã, & motum dare? Sed incedendum in his est per vestigia maiorum. Certiora verò argumenta dant alij effectus, quibus *c* Theologi demonstrant Angelos esse.

c Mol. in 1. p. D. Tho. q. 50. a. 1. Valent. tomo. 1. Sũmæ Theol. disp. 4. q. 1. p. 1.

2041 Quot vero numero sint Intelligẽtię, conatus est Aristoteles cõprehẽdere ex numero cœlorũ; sed nihil persuadet; tũ quia cœlestiũ orbiũ numerus incertus est; tũ quia si certus assignaretur, nihil necesse est singulos orbes à singulis intelligentijs moueri. Ex astrorũ numero ratiocinatio peti potest paulo firmior,

firmior, quod ad ea circulariter deducenda non sit satis intelligentia vnica, quot verò necessariç sint, & quanta vnicuique insit facultas assistendi spatio quanto, quis certo dimetiatur?

2042 Adde etiam si ex aliquibus effectibus constaret certus aliquis numerus, non posse propterea deduci, quod plures non sint. Quare standum est *a* Theologorum sententiæ, qui ingentem intelligentiarum numerum ex sacris traditionibus, ac scriptis admittunt.

2043 Quæ sit harum separatarum substantiarum natura, non loquendo de possibilibus, sed de his, quas varij effectus docent existere, non satis assequi potest humanus discursus, & irritus planè est labor *b* quorundam philosophorum, vbi contendunt posse nos in Intelligentiarum intuitum ratiocinando deuenire, ac perfectè earum naturam intelligere; Scimus tamen, eas esse immateriales, quicquid *c* nonnulli de quibusdam tenuissimis earum corporibus adumbrauerint, esse intellectuales, immortales, finitç naturç, longe tamen nobilioris, ac sit anima rationalis.

2044 Non omnes paris naturæ sunt, & valdè consonum rationi est id, quod docet D. *d* Thomas, quot quot numero sunt, etiam specie differre. Cum verò *e* asseruerim indiuiduationis principium non necessariò desumi ex materia, quamuis hæ substantiæ immateriales sint, nihil repugnat posse easdem numero à Deo multiplicari, ità vt paris omnino perfectionis in specie sint. Sic etiam aliç à Deo creari possunt his, quæ sunt, longè perfectiores, perfectionis videlicet maioris, ac maioris, finitç tamen. Sed plura de Angelis discutienda Theologis relinquo.

a D. Tho. 1.p. q. 50.a.3. vbi communiter Theologi.

b Auer. 3.de Anima com.7. cum Themist. Alex. Auempace.

c De quibus Suar Disp. meta. 35. Sect. 3. nu. 9. & Theologi, vbi de Angelis.

d 1.p.q.50.a.4.

e Hoc eod. lib. 2. cap. 142.

PRIMA INTELLIgentia Deus.

CAP. L.

2045 HVC me tandem vocat entium consideratio, ad Deum scilicet omnium entium principium, & finem. Hac parte se ipsam nobilitate superat metaphysica, quæ videlicet vbi de Deo philosophatur, augustissimo nomine dicitur, & est Theologia. Fateor, pauca sunt, quæ de Deo nouit metaphysica, in comparatione eorum, quę in accepta diuinitus Theologia tradũtur, sed enimuero præclara, itàut non defuerint *a* Philosophi, qui in hac ipsa, quanta quanta sit, notitia naturalem hominis beatitatem collocauerint.

a Arist. lib. 10. Ethic. & communiter Platonici vbi de prima idea.

2046 Deum esse, naturalibus rationibus demonstrari potest; Quin imo ità nata censetur hæc veritas, vt quodammodo naturæ ipsi insita, & inscripta videatur. Quæ.n. gens est vsq; adeò barbara, & efferata, quæ Deum esse aliquem, non fateatur? *b* Athei dicti sunt, qui potiùs administrationem rerum humanarum Deo impiè denegarunt, quam Deum ipsum. Sed etsi Deum esse negauerit quispiam, non est is in hominum numero habendus, vbi contrà stat humanum genus fermè vniuersum.

b ex D. Aug. tract. 106. in Io: M. Tull. 1. de nat. Deorũ.

2047 Sed ad quẽ spectat demõstrare Deũ esse, ad physicũ ne, vt *c* q.dã volũt, an ad metaphysicum, vt arbitrantur *d* alij: Dissentio est facilè, vt ego opinor, componenda, scilicet physici est, de Deo agere, ut de motore primo, quia eiusdem est consideratio motus, & omniũ motus principiorum. metaphysici est de Deo agere, ut de intelligentia prima, & obiecti specie nobilissima, quia huc tandem perducit propria metaphysicæ abstractio ab omni materia. Hinc est, ut Aristoteles de eodem, & in physicis, & in metaphysicis differat.

c Auer. 12. meta. Com. 5. & 1. physic. Com. vlt.
d Auicen. lib. 1. Suæ meta. cap. 1.

2048 De-

2048 Demonſtrat item naturalis ratio, ſi Deus ſit, eundem debere eſſe perfectiſſimũ, nec uerò minoris perfectionis, quam infinitæ? qui enim Deus ſit, ſi quicquam illi deſit? & quid tandem deeſſe poſſit, ſi à ſe ipſo eſt, ſi neceſſario eſt? Vbi limitatas aliorum entium naturas noſti, noſti pariter limites ab efficiente cauſa poſitos fuiſſe, uel quia nihil amplius conferre potuit, uel quia noluit; Si à ſe ipſis res eſſent, intrà limites non eſſent. Hinc illa habes ex *a* Theologo naturali diſertiſſimo: Deus eſt omnium exiſtentia, omnium plenitudo, unus eſt, & in uno omnia.

a Triſmegiſto in Pimandro ſæpius. cap. 5. & 15.

2049 Ipſa diuina perfectio indicat unitatem Dei. Etenim niſi unus ſit, ſed plures, id, quod unus habet, alteri deerit, eruntq; plures perfectiores, quam ſolus unus, atq; ideò nec ſinguli Dij erunt. Quod ſi quisq; habeat, quod in alijs eſt, erit ille ipſe, & ipſe, & alij, unus nimirum Deus.

2050 Ipſa pariter naturalis ratio dictat, ſi præeſſe Deus huic rerum uniuerſitati debeat, debere pariter unum eſſe. Ad diuinum imperium inquit *b* Philoſophus nobilis etiam de terris mutuemur exemplum, Quomodo uſquam regni ſocietas, aut cum fide cœpit, aut ſine cruore deſijt?

b D. Cypr. de Idolorum vanitate. Similia his Ariſt. lib. 12. meta. in fine.

2051 Illa ipſa Deo debita perfectio eundem probat infinitum, & æternum; nec enim perfectus eſſet, ſi finita perfectio eſſet, deeſſet ſcilicet id, quod ultra illos fines eſſe poſſibile eſt; Nec item perfectus eſſet, ſi duratione nō eſſet ęternus, quia durationis ipſius defectus perfectionem imminuit. Vidit alicubi *c* Ariſtoteles, primum hunc motorem infinitum eſſe in operando, ſed malè deſumpſit argumentum ex motu æterno, qui nunquam fuit. Quam melius idem immenſam eandem operandi uim ex noua creatione de nihilo intellexiſſet, ſi eam cognouiſſet?

c Lib. 8. phyſ. t. 7. & lib. 12. meta. t. 41.

2052 Deniq; diuina hæc ipſa perfectio ſimplicitatem perfectiſſimam, quæ planè nullam compoſitionem patiatur, declarat. Omnis uidelicet compoſitio eſt ad unam componendam naturam, cuius perfectionem, quia ſingulæ partes non aſſequuntur, plures integrant, ſi ergo Deus, quà Deus eſt, eſt idem integræ, conſumatæq; perfectionis, in ſe ipſo habebit omnia, nec eius natura poſtulabit ullam partium acceſſionem, additionemuè. Idem eſt operans, & operatio, Deiq; vita Deus ipſe ſit, & actus eſt quantus quantus eſt ſinè vlla admixtione potentiæ, quod nec Ariſtoteles *d* ignoraſſe viſus eſt.

d Lib. 12. meta t. 39.

2053 Deum eſſe vbique naturalis etiam philoſophia docere poteſt, & quãuis hæc in re non admodum ſibi conſtare *e* philoſophi videantur, ex quibus aliqui Deum in centro vniuerſi collocarunt, vndè ſuæ bonitatis radios latè diffunderet, alij in circumferentia, vndè rebus omnibus inferioribus prȩeſſet, crediderim tamen, eos potiùs in ordine ad Diuinam operationem fuiſſe locutos, quam voluiſſe Deum certo alicui loco alligare. Igitur in centro, cum eſſe dixeris, vt viciniſſimus adſit rebus omnibus, quæ eius immoti virtute ſunt, ac mouentur; Dixeris eſſe eundem in cœlo, quia ſuperioribus virtutibus hæc inferiora adminiſtrantur.

e Ex Ariſt. 8. phyſ. t. 84. & 1. de cęlo t. 22.

2054 Cæterum Deus vbique eſt, infinitus videlicet non ſolum in natura, nec ſolum in duratione, ſed etiam in quadam aptitudinali præſentia, quà etiam ſi quantus quantitate molis non ſit, ſe ipſo potens eſt omnia imple-

re, nullamque dedignatur stationem, quia dignum Deo est vbique adesse. Scitum est illud *a* Heracliti, degebat is in casa furnaria, cumque ad eum accedere aliqui propterea nollent, sic eos dicitur adhortatus ad ingressum: adeste quia, ne huic quidem loco Dij desunt immortales. Sed plura his ex Theologis accipiantur.

a Apud Arist. lib. 1. de Part. Anim. c. 5.

FINIS LIBRI SECVNDI.



DE



DE MORALI PHILOSOPHIA LIB. III.

HIC ego me ad me ipsum reuoco, vt, vel mihi, vel alijs bonus sim. Dignum sanè negocium est homine, vbi securum ratiocinandi modum fuerit assecutus, multa de natura, deq. his, quæ supra naturam sunt, Intelligentijs, ipsoq. Deo speculari; Sed cum sit idem ad agendum factus, ad eamq. vitæ honestatem, quam recta ratio præscribit, siuè solitarius degat, siuè in hominum frequentia, vt hac tandem ratione finem

vltimum, beatitatem, consequatur, sibi etiam longam præstet operam necesse est, vt humanitatem doceatur, vtq. se tandem ad omnia honestatis officia componat. Hoc præstat Philosophia moralis, tantò præstantior alijs partibus, quantò laudabilius est, egisse præclara, quam nosse. Huius est in reliquas bonas artes imperium, quæ bonæ tunc demùm sunt, cum seruiunt honestati. Et hæc est causa, cur au-

a Lib. 1. Ethic. cap. 2.

ctore a *Aristotele vna omnibus actiuis facultatibus anteferatur, Reginæq. munus in eas exerceat, dando suum cuiq. in ciuitate locum, easdemq. cum res poscit, procul gentium amandando, ne quid ex earum tractatione res publica detrimenti patiatur. Huius edicto statuarum fictores exclusi aliquandiù sunt à conuictu Hebræorum, ijsdemq. sedes apud Græcos data est; Poetæ longè à Lacedemonijs exularunt, hospitio interim commodè habiti à Sybaritis. Sed quid (inquam) actiuis disciplinis hanc præesse? Sub eiusdem iura etiam contemplatiuæ veniunt, è quarum numero Philosophia naturalis, quia nimis amans ociosæ contemplationis nullum publicæ rei præstare commodum visa est, huius auctoritate procul ab Vrbe acta est in exilium, eiusdemq. benignitate reuocata est postmodùm, additis* b *honorum insignibus; quia minimè se desidem, nec inertem in conuictu Ciuium acturam præcauit satis. Hæc verò eius actio est; quicquid habet in se pro vero dispiciendo ingenij, ad studia honestatis in tempore transferre, nec grauatè.*

b l. in honoribus. ff. de vacatione, & excusatione munerum, & tit. de iure immunitatis. Item l. 10. & 11. C. de professoribus, & Medicis. & de studijs, liberalib. Vrbis Romæ.

MO-

MORALIS Philoſophiæ Habitus, Obiectum, Partes.
CAP. I.

2055 Dicitur philoſophia moralis, quia de moribus eſt, à Grçcis *a* Ethica dicta ſunt, eadẽ nominis ethymologia. Habitus eſt intellectus vnus ex ijs, qui cenſentur ab *b* Ariſtotele, & ſuo nomine Prudentia dicitur.

a τὰ ἠθικά
b *Lib.5.Ethic. c.6.& 8.*

2056 Nec tibi difficile videatur, prudentiã hanc eſſe, cum prudentia ſit aliqua huius philoſophiæ pars; Etenim ambiguitatem oẽm tollit ipſe Ariſt. vbi prudentiã vniuerſam à ſui parte diſtinguit, quia natura non eadem his eſt. Item quia prudens particulari prudentia is dicitur, qui de ſuis; vniuerſali verò etiam, qui de vniuerſis benè conſulit.

2057 Inducta in vulgus opinio eſt, ipſam hanc prudentiã, quę quia maximè ciuem decet, ciuilis dicitur, ſiuè politica, cum ea, quæ à Chriſto Domino auctore Chriſtiana dicitur, malè congruere, atq; ideò ſanctorum potiùs ſcripta conſulenda eſſe, quã veterum philoſophorũ. Equidẽ negare nõ poſſum quin in veterum philoſophorum ſcripta aliqui errores irrepſerint, quin multi ſeſe politicos venditent, malè politi, ne dicã turpiſſimis moribus inquinati; Quæ res *c* virum ſanctiſſimum permouit, ad ea non minùs acriter, quam elegãter, pangenda: Fruſtra huius ſeculi ſapiẽtes de virtutibus tam multa diſputarunt, quas apprehendere nequiuerunt, cum illum neſcierint, qui factus eſt nobis vera ſapientia, & prudentia; Quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem Chriſtum ignoratis? Soli, qui huius doctrina imbuti ſunt, prudentes dicendi ſunt.

c *D.Bern.ſerm 22.in Cant.*

2058 Aſſero tamen, debere nos plurimum antiquis philoſophis, qui nec ſemper hac in re errauerint, & illuſtrimam prætulerint facem ad Chriſtiana officia perdiſcenda, dum veras virtutum rationes deſcripſerunt, in quas nos intuentes, quaſi ex mortuis imaginibus, veras, ac viuentes, per Dei gratiam, exprimamus.

2059 Politici, qui nunc dicuntur, ſi honeſtè viuãt, ſi Deum ſapiant, retineãt

nomen;si secus vixerint,quis æquus æstimator censuerit vituperandam esse artem ab artificum imperitia? Abijciant,quod sustinere non possunt, nomẽ, aut si iniustè retinent, dignoscatur in ipsis adulterina politica ab ea, quæ vera est,tãtũq; ijdẽ vituperẽtur, quãtũ maximè distãt à veris politicorũ laudibus.

2060 Est hic habitus practicus,non ad faciendum,sed ad agẽdum, nõ verò ad quid libet agendum, sed id,vndè homo dicatur simpliciter bonus. Faciunt artes opus,quod ex operatione superest,& in his inquit *a* Aristoteles ferè est opus operatione prestãtius; Agunt aliæ in agẽdo nihil; sed quia certa aliqua methodo, & ex præceptis agunt,artificiosè operãtur,vndè artifices dicantur boni,nõ hoĩes boni. Hęc verò philosophia pars agit, spectata non solum operationis probitate,sed operantis ipsius, spectata non solum ratione, ac mentis iudicio,sed etiam voluntate,& hinc est,vt hominem bonum nuncupet.

a Lib. 1. Ethic. cap. 1.

2061 Pręclara sunt illa *b* Arist. nec semel dicta,diuersa esse genera facultatũ. Sunt ad sciẽdum aliquę,& sciuisse laus est;sunt ad sciendũ,& faciendũ aliæ,& quę est sciẽtię laus,eadẽ est operis. Præsens verò tractatio (inqt) Arist. nõ est speculationis causa,queadmodũ alię,nõ.n.fit,vt cognoscamus quid sit virtus sed vt boni efficiamur,alioqui nulla eius eẽt vtilitas. Porrò verissimè dictũ est, nullã esse ex huius sterili notitia vtilitatẽ, qn potiùs iactura laudis maxima est, nec.n.vitupatione digni sunt q inuiti ignorauerint,sed q nõ egerũt ex sciẽtia.

b Lib. 1. Ethic. c. 2. & 3. lib. 2. c. 2. & alibi.

2062 Facilè discis ex his,quæ nam sit philosophiæ moralis materia, & obiectũ,quà in re cõplures diffidere videntur; Sed opinor de nominibus dissensio est. Aio esse humanas actiones,prout ex regulis rectæ, & vniuersalis prudentiæ diriguntur ad proprium hominis finem,qui est beatitudo, siuè homo priuatam vitam agat,siuè politicam, siuè familiarem.

2063 Quæ dicãtur humanæ actiões, distinctę ab actionibus hoĩs, hẽs ex doctrina *c* D. Tho. Sũt illę videlicet,quas homo exercet,quat: liber est. In his est materia huius facultatis,earũdẽ forma honestas,vt his medijs eat ad finẽ vlti.

c 1. 2. q. 1. a. 1. in corp.

2064 Habes hinc huius obiecti causas; Efficiens est homo, quà homo est; quod si quandò ipse homo dicatur huius philosophię partis obiectum, eum intellige vt honestè operantem,qua sanè in re non est,cur *d* D. Thomam virum tantum, *e* quisquam audeat carpere, nisi de nomine voluerit altercari.

d Initio Commentar. in Eth. Arist.
e Piccolom. in Introd. ad Ciuilem facult. c. 2. & 4.

2065 Finalis est intrinseca hominis perfectio; operanti.n.ipsa operatio finis intrinsecus est;vltimus verò in longa finium serie est beatitudo, quæ est omnium perfectissima operatio circà summum,& finale bonum.

2066 Materia tũ ipse homo dr̃,quatenus est operationis subiectũ, tũ res,circà quas,tanquã circà propriã materiã,operatio est. Forma deniq; honestas.

2067 Habes itẽ huius eiusdẽ philosophiæ descriptionẽ ex *f* Arist. vbi ait,esse illã,quæ magnã diligentiã adhibet,vt ciues quodãmodo afficiat, bonosq;, & ad honesta agenda idoneos reddat, Honesta hæc,quæ in ethicis tradũtur,sunt illa officia, à quibus complures huius philosophiæ *g* præceptores suas tractationes appellarunt,quas de officijs inscripserunt. De ijsdem disserunt, qui de virtutibus disputant; omnis enim de virtute disputatio ad studiosam actionem refertur,quia habitus gratia operationum sunt.

f Lib. 1. Ethic. cap. 9.
g M. Tullius S. Ambrosius.

2068 Quod verò spectat ad huius eiusdẽ philosophię partes, diuidendi rõnem

nem hic ſequor,quã ſemper.ſ.arbitrariam,& cõgruentẽ magis ex certa quadam diuidendi cõſuetudine,quã neceſſariam putaui. Cõis ergo partitio eſt in Monaſticã,Politicã,& Oeconomicã,& congrua diuiſionis ratio eſt, quia oẽs humanæ actiones,aut ſpectãt ad priuatũ bonum operãtis, & de his ẽ ea pars, quæ dicitur Monaſtica, ſeù ſolitaria, aut ad publicum Ciuitatis, ſeù Reipublicę, de his Politica,aut ad bonũ familiæ,quod nec omninò priuatum, nec omninò publicum eſt,& de his Oeconomica, ſeù familiaris.

2069 Negat *a* hęreticus quidã Scholiaſtes,monaſticã vitam eſſe partem huius facultatis,quia ſolitaria virtus nõ datur,& quæcunq; in homine eſt, ea ad publicũ cõmodum referri debet. Sed nihil eſt hic nouũ, vbi hæreticus monaſticam vitã inſectatur,odit opinor ipſum vocabulum, etiam vbi de Monachis non agitur,ſed de virtute,qua homo ſibi ipſe componitur, ac perficitur.

2070 Nego,hanc non dari;nego,non eſſe expetendã,niſi ad publicũ bonũ, quamuis.n.diuinius quodammodo ſit, pluribus prodeſſe, quã paucioribus, vt *b* Ariſtoteles tradidit;Quamuis,dum ſe quiſq; virtute perficit,publico itẽ commodo ſeruiat,in illa ipſa priuata cultura;virtus tamen eſt, etiã gratia priuatarum actionum expetenda,etiamſi nunquam prodiret in publicum.

2071 Quatuor virtutum gradus *c* Platonici faciunt, quibus homini iter ad Deum eſſe dicunt, cum à ſe ipſo recedit honeſtiſſima illa fuga,quam *d* Plato præcipit. Inter has purgatorię, ſeù purificationes recenſentur,quæ ſolitariæ ſunt, quibus nimirum anima diſcit honeſtam ducere cum corpore ſocietatem,ita vt nihil eo inficiatur, ſed ſuum retineat, etiam in materiæ concretione,nitorem. Mala(inquit Plotinus)eſt anima,ſi commixta ſit corpori,ſimulq; cum illa patiatur;erit autem bona,ſi ſola egerit,quod intelligere eſt,atq; ſapere,neq; compatiens fuerit,quod eſt temperatum eſſe, neque receſſum à corpore metuat,quod eſt eſſe fortem.

2072 Iactatur hac eadem in re contrà ſolitariam vitam, ferinã eam eſſe potiùs,quam humanam, *e* hominem ad vitæ ſocietatem natum eſſe,feras ad incolatum ſyluarum. Miror,cur his potiùs non venerit in mentem,aſſerere, ſolitariã vitam diuinã eſſe,etenim vbi in ſolitudinem quis ſeceſſerit, animumq; ab obſtrepẽtibus curis ſubduxerit, in alta animi quiete ſeſe eleuat in Deum, vt aſſerit *f* Ariſtoteles,& cum Peripateticis Platonici concordes prædicant.

2073 Sed mitto hęc, & his alia firmiora, quæ peti ex ſacris literis poſſunt. Nego,in hoc diſtare hoĩem à feris,quod vitę gregalis tantũ ſit, & quia ex Ariſtotelis auctoritate agitur,audi *g* Ariſtotelem: Hominis naturam ancipitem ſocietatis,& ſolitudinis eſſe,apertum eſt.

2074 Libri,qui de morali philoſophia ſcripti ab Ariſtotile tradũtur,hi ſunt. Decẽ ad Nicomacum,Duo magnorũ moralium,ſeptẽ ad Eudemum,ſeù potiùs quatuor,nã inter tertium, & ſeptimũ interpoſiti ſunt illi ipſi, qui in ethicis ad Nicomacum numerantur,quintus,ſextus,ſeptimus. Vnicus libellus de virtutibus,Octo de politicis,Duo de Oeconomicis.

2075 Variat in eiuſdẽ eadẽ de re libris numerandis *h* Laertius. Eſt qui *i* opinetur,cõplures ex his falſo fuiſſe Ariſtoteli adſcriptos. Cenſeo libros ad Nicomachũ,Politicos,& Oeconomicos abſq; vlla ambiguitate eſſe Ariſtotelicos;

a Qui Scholia ſcripſit in lib. Ethic. & in tabulas doctrinã redegit.

b Lib. I. Ethic. cap. 2.

c Ex Plotino En. I. lib. 2. per totum.

d In Theæteto, vel de ſcientia.

e Ex Ariſto. lib. 9. Ethic. cap. 9.

f Lib. 10. Eth. cap. 7.

g Lib. I. de Hiſtor. Anim. cap. I.

h In vita Ariſtotelis.

i Franciſc. Patri. lib. 4. Diſcuſſ. Peripat.

Libros verò magnorum moralium, ad Eudemum, & de virtutibus, esse etiam Aristotelis, sed imperfectos, & impolitos, congestos magis pro materia scribendorum librorum, quam editos pro libris factis.

2076 Tractantur verò his libris tres illæ moralis philosophiæ partes hoc ordine. in libris ad Nicomacũ vniuersalia principia ponuntur, homoq; maximè instituitur, qui sibi bonus sit, Et quibus gradibus ad beatitatẽ progrediatur. In libris politicis idem docetur, qui sit bonus ciuis, quodcunque tandem sit munus, quod in ciuitate obeat. In œconomicis deniq;, qui se honestè habeat in familia. Nec te moueat, præire institutionem vitæ solitariæ cuili, nam in illa ipsa solitariȩ cultura, ciuilis excolitur, dum vtriusq; vitȩ principia stabiliũtur.

IDONEVS Philosophiæ moralis auditor.

CAP. II.

2077 ANTEQVAM rem ipsam aggrediar, quia, videtur alicubi Aristoteles à studio moralis philosophiæ iuuenes excludere, dabis Lector, vt liceat hic tantisper hanc rẽ examinare, antequam hoc libro, moralis philosophiȩ quȩstiones definiam, qui vix dum tertium ætatis meæ, lustrum attigerim. De idoneo huius philosophiæ partis auditore disputans *a* Aristoteles hæc habet: Iuuenis auditor ciuilis idoneus esse nõ potest, quippe cum imperitus actionum vitæ sit, ex quibus, & de quibus rationes conficiuntur. Admitto hanc Aristotelis doctrinam.

a Lib. 1. Ethi. cap. 3.

2078 Sed quid si peritia præuertat ætatem, & iuuenis nõ suo, sed maiorum iudicio stet, historiam cõsulat, in quà, & mores hominum multorum norit, & vrbes? Memini me *b* alicubi legere, qui historias nõ nouerũt, eos semper esse pueros. Ergo longæuitatem facit historia, nec semper habenda est annorum computatio. Nihil hactenus de me loquor, sed de ipsa re in vniuersum, atq; illud primum animaduerto, notitiam humanarum actionum, nõ ex solo ætatis

b Apud M. Tullium de claris Orat.

cursu

cursu per experientias, sed ex librorum lectione, ex sapientum auditione acquiri posse.

2079 Aliud addit *a* Aristoteles, quod iuuenes ab eodem studio longè repellit: Cum iuuenis (inquit) perturbationes sequatur, frustra, & inutiliter audiet; Finis enim non cognitio, sed actio. Quid verò si non sequatur, proba excultus disciplina? quid si sequantur easdem viri natu maiores, erunt ne ad hac philosophiam idonei, quia barbatuli?

a Eod. ca. 3. in fine.

2080 Admitto hic etiam Aristotelis doctrinam, & ab eodem interpretationem accipio, vbi addit: Interest autem nihil, iuuenis ætate, an moribus iuuenilibus aliquis sit, non. n. defectus penes tempus est, sed quia & viuit, & singula persequitur ex perturbatione; Talibus. n. cognitio, perindè atq; incontinentibus inutilis euadit; Illis autem esse, per quam vtilis potest, qui secundum rationem, & appetitiones, & actiones suas moderantur.

2081 Non ergo quemquam excludit, aut admittit ætas, sed quemadmodũ Plato dicitur geometriæ ignaros à sua Academia repulisse, ità hic Aristoteles à moralibus disciplinis duo hominum genera arcet, imperitos videlicet, aut quibus peritiæ lumen perturbationũ tenebris obductũ, atq; obscuratũ sit. Iuuenes hi sunt, cuius cuius ætatis fuerint, quod si cui peritia rerũ adsit, & animi trãquillitas, iuuenis is nõ erit, cuius cuius ętatis fuerit. Sed rẽ propius attingo.

2082 Duo sunt huius philosophiæ munera in eo, qui se philosophum politicum profiteatur, nosse qui viuat honestè, & ex cognitis præceptis viuere. Facilè est primum, nisi quis rationis lumine omnino destituatur, alterum non æquè est facilè, quia sæpè multi vident meliora, probantq; sequuntur tamẽ deteriorem partem. In hoc autem secundo ferè melior est iuuenum causa, quam seniorum, si naturam spectes: *b* adeo in teneris consuescere multũ est. Hi sibi cum imperant, se sibi habent obsequentes, quia nondum praua consuetudine animus obduruit.

b Virg. lib. 2. Georg.

2083 Sed in re practica licet etiam aliquandò ex euentis iudicare. Age nunquid aliquandò iuuenes in hoc studio profecerunt? *c* Dicitur Aristoteles vix annos natus septemdecim iuisse Athenas, ac ipsum trienniũ dedisse operam Socrati de moribus differenti. Quid profecerit, scimus; Sed præterea hoc facto discimus, non fuisse Aristotelis mentem, iuuenes ab hoc studio deterrere, quos suo adhortatur exemplo. Certè non eius sententiæ Socrates fuit, qui iuuenem Aristotelem admisit, quiq; apud *d* Platonem tam sæpè de vitæ honestate, iuuenibus audientibus differit.

c Ex Ammonio.

d Præsertim in Dial. Amatores, vel de philosophia.

2084 Egi paucis causam cõem studiosę iuuentuti vniuersę; nec dubito, quin plurimi reperiantur ad has disciplinas idonei, quia, nec rerũ ignari sunt, nec animi fluctuationibus inconstantes. Sed quod ad me spectat, fateor ingenuè, non esse me de horum numero, quamuis viros doctissimos ex ipso fermè nutricis sinu audire inceperim, quamuis libros legendo triuerim, quamuis Serenissimi parentis iussu animum ad optimas quasq; disciplinas appulerim. Video, & fateor, deesse mihi plurima ad hoc studium necessaria sed nemo, opinor, denegabit, quin liceat experiri, num in his etiam aliquid proficiã, vt hoc ipsum iuuentutis studium sit quasi quidam apparatus ad studia senectutis.

a Seneca epist. 53. ad Lucil.

2085 Tria hominum genera distinxisse dicitur *a* Epicurus eorũ qui ad philosophiam accedunt. Quosdam aiebat, ipsos per se ire: esse alios, qui aliena ope indigerẽt, nunquã ituros, si nemo præcesserit, sed forti animo secuturos, si qui viã præeant; alios deniq; esse, quibus non duce tantũ opus sit, sed etiam coactore. Quid si dicã esse me inter hos tertios? sed malo esse inter secundos, quãdo ad primos nõ liceat aspirare. Philosophor de moribus, quia video his tẽporibus etiam æquales meos de ijsdẽ philosophari; sed habebo etiã ætatis meæ rationẽ; cum .n. amplissimè sese extendat philosophia moralis, ego solũ prima perstringã rudimenta, grauiores quęstiones in ętatẽ aptiorẽ reseruans.

HOMO AD VLTIMVM finem natus.

CAP. III.

2086

b Ità ab Aristot. tractatu est lib. 1. & 10. Ethic.

A FINE incipit *b* Philosophia moralis, in fine desinit. Scilicet proponendus is primo est, quia est in intẽtione primus, vt sciat homo, quo tẽdat; ideq; cominùs in fine inspiciendus est, quia est in executione postremus, vt sciat idẽ in qualem, & quantam possessionem deuenerit.

2087 Sed hominis fines plures numerari possunt, cũ non ad vnum, sed ad multa factus sit, ad quę pariter aptitudinem habet & instrumenta. Ego verò de eo loquor maximè, qui dicitur vltimus.

c Lib. 2. phys. à tex. 75.

2088 Non solũ animalia bruta, sed quęlibet agentia naturalia, etiãsi cognitione careant, agunt propter finẽ, si quid probat *c* Arist. si quatuor sunt genera vniuersaliũ causarum. Aequũ verò fuit hac in re, tantum præstare hominẽ reliquis animantibus in sua tendentia ad finem, quantum superat in natura. Pręstantia ea est, quia tendit in finem, cognoscendo rationem formalem finis, & mediorum proportionem ad eundem.

d 1. 2. q. 1. a. 2.

2089 Si hunc tentendi modum spectes, verissimè dictum est à *d* D. Thoma,

proprium

propriũ esse hominis,seù creaturę rõnalis,tẽdere ad finẽ,& pp finẽ agere, sicut *a* alibi ẽt à me definitũ ẽ. Vniuersalissimus rerũ oĩum finis est bonũ,iuxtà dicta *b* Arist. Oĩs ars,oĩsq; dicendi via,actio itẽ atq; electio,bonũ quoddã expetere vr̃, quapropter benè id esse bonum asseruerunt, quod omnia expetũt.

2090 Latè hoc, & benè alicubi probat *c* D.Tho.cur.n.in finẽ res tẽdãt,nisi melius habituræ in eo sint? Cur in eo quiescant,nisi in eo bñ,&cõmodè accipiãtur? Ergo si oĩum finis bonus est; ipsius hoĩs finis bonũ quid erit,in qđ volũtate tendat,appetitu videlicet longè nobiliori, quã qui rebus alijs inest.

2091 Sed opinatus est *d* quidam,inanem esse quęstionem; An homo sua voluntate in bonum,tanquam in obiectum feratur, & negat volũtatem habere obiectum.s.quia obiectum dicitur solius facultatis, quæ cognoscere apta sit, vel verum,si sit facultas speculatiua,vel bonum,si sit practica; Appetitum verò ait non habere obiectum, sed finem. Propugnat is hanc sententiam vi gręcorum vocabulorum. *e* Fallax est subsidium,quod à Græcis, Falsa item sententia est,cum & appetitio suum finem amplectatur, tanquam obiectum, & cognitio in suum obiectum tendat,tanquam in finem proximum.

2092 Potiùs verearis,vt vera sit positio: Hominem volendo bonum velle; quàm.n.multi sunt, qui malum spontè eligunt? Nescio quo suo fato, (inquit alicubi *f* Plato) malum sibi homo quæritat, & à Deo sæpè nititur precibus exorare. Quin etiam videtur ipsa hominis natura exigere, vt si malum velle voluerit,velle possit,etenim libera est,suoq; iure eo se cõuertet,quo voluerit. bonum ne illud sit,an secus. Aio tamen,his non obstantibus, duos conuenire voluntati actus,de quibus *g* alibi mẽtio à me facta est,videlicet,vt prosequi obiectum possit,& vt fugere,prosecutionemq; boni esse, siuè veri, siuè apparentis;fugam verò mali, pariter, aut veri,aut apparentis,nec vnquã mutari vices.

2093 Sed alicubi *h* Aristoteles eam videtur facere partitionem,vt apparens bonum ad cupiditatem pertineat,verum verò, ac solidum ad rationalem appetitum. Nihil me mouet hæc partitio,cum.n. voluntas illud amet quod intellectus præcensuerit bonum esse, cumq; intellectus in hoc iudicio errare possit, censendo bonum esse,quod re vera non est,amabit voluntas apparentem illam bonitatem,non secus,ac eam amaret concupiscentia, si sensus præmonstrarent; Aristotelis dictum inspice attentiùs. ait, dignum illud esse, quod quisque velit,quod primum bonum est.

2094 Sæpè verò proponitur homini quædam bonum series, ità vt vnum propter aliud amet, illudque rursus propter aliud, & in vno tandem vltimo quiescat appetitus, quia non est in infinitum progressus. Finita inquam, series est,longa tamen, & primum bonum ad secundum via est, secundum ad tertium,atq; ità deinceps vsq; ad vltimum. Finis verò quisnam erit?

2095 Non placet *i* eorum sententia, qui sentiunt,solum vltimum bonum habere rationem finis,reliqua mediorum. Neq; verò cum multa ex Aristotele afferant, satis probant hunc ipsum esse sensum Aristotelis.

2096 Sentio, in ea rerum ordinatione,quod vltimum est,gratia cuius amantur cætera,esse finem vltimum,& in ordine ad hoc ipsum, ea quæ præunt,dicenda esse media; sed sentio pariter, ea, quæ media sunt, siuè bona sint, sola bonitate

a Lib.2.c.5.
b Lib.1.Ethic. cap.1.
c 3.cõtrà gentes. c.3.& 6.
d Simon Portius lib. an homo bonus, aut malus spontè fiat c.13.
e Vt benè contrà Portiũ probat Piccol. Gradu. 2. Ciuilis Philos. c.28.
f In Alcibiade, vel de Voto.
g Lib.2.c.41.
h Lib.12. Meta. t.36.
i Suar. Dist. meta. 23. sect. 6. Vasq. tom.1. in 1.2. dist. 4.

bonitate vtilis,siuè cum vtilitate coniunctã habeant iucunditatem, aut honestatem,dici posse fines non vltimos, quatenus tertium terminus est secundi, secundum primi,ipsumq; primum operationis voluntatis.

2097 Est ergo finis vltimus finis,non medium;sunt verò intermedia,& media,& fines,media,prout itur ad finem, finis, prout ordine retrogrado reditur ad volendi principium.

2098 Nec verò noua est in Arist.doctrina distinctio finis vltimi,seù vltimati,& non vltimati, quam passim Peripatetici vsurpant; Audi *a* Aristotelem: Quoniam verò plures esse fines videntur, & horum quosdam ob aliud expetimus,vt diuitias,tibias,instrumentaque omnia &c.

a Lib.1.Ethi. c.7. similia colligeex c. 1.

2099 Et verò,cur vspiam *b* idem quæreret,an in finibus dari possit processus in infinitum,si processus per fines nõ est,sed solum per media, quibus ratio finis nulla ratione conueniat?

b Lib.2.meta. à t.5. & lib.1. Ethic.à c.2.

2100 Instant hic aduersarij *c* finem esse id, cuius gratia cętera sunt,dici etiã alicubi conceptis uerbis:Ipsum cuius causa finis,tale autem est,quod non est alterius gratia,sed eius gratia cætera. Ego uerò hæc omnia facilè admitto;sed sensus est,finem esse, in quem reliqua ordinantur, & quamuis ipse ad aliud ordinetur,rationem finis non habere,quatenus ipse est alterius gratia,sed solum quatenus eius gratia cætera sunt.

c Ex Arist. 2. phys. t. 29. & 1.Ethic.c. 7.

2101 Posui uerò hanc finium seriem finitam,quia postulant hoc particulares actiones humanæ,ut finem aliquem ultimum habeant, qui, si simpliciter ultimus non sit,certè sit illius actionis.Pari ratione iu serie mediorum necesse est,ut cum regredimur ab amore finis ad mediorum electionem ad ultimum deueniatur,quod dicitur medium primum.Veraq; hæc sunt, siuè spectes intentionem,siuè executionem.In intentione finis ultimus primus est.at qui sit primus, si ultimus non datur? Executio à primo medio est, at qui sit à primo,si in illo à fine ad media regressu,ultimum nullum fuit?

2102 Sed propositus prætereà est homini finis qui dicitur simpliciter ultimus. Est is, in quem omnia referuntur, ipse uerò non refertur aliò,nec uerò referri potest;nam hoc ipso,quod refertur,non est ultimus.

2103 Non statuo,in quo sit uerè, & sine ullo nostro errore hæc ratio ultimi finis; Sed ubi ubi ea sit, est hominis beatitudo, fœlicitas,summum bonum, optimum,diuinum,beatumq;, ut *d* alicubi Aristoteles appellat. Distingue hic duplicem hominis statum,naturæ alterum, alterum gratiæ, uera beatitudo est,ad quam non sine gratia aspirat,sed etiam naturalis quædam considerari solet à moralibus,naturæ hominis,quà homo est,proportionata.

d Lib.1.Ethic. cap.9.

2104 Est hic ipse finis necessariò unus, quod hac potissimum ratione *e* D. Thomas probat. Nam finis ultimus est,in quem homo omnia refert,& quẽ non refert ulterius; necesse ergo est,ut sit bonum perfectum, atq; adeo,ut sit quid unum. Fac.n.huiusmodi finem non esse unum,sed uel duos,uel plures, aut unus horum refertur ad alterum,& è contrà,aut unus ad alterum, & non è contrà,aut neuter ad alterum.Si primum asseris;asseris pariter,neutrum esse finem ultimum,quia uterq; ad alterum refertur.Si secũdum;unus erit finis ultimus,ille uidelicet,in quem alius refertur. Si tertium,iam uides,neutrum posse

e 1.2.q. 1.a 5.

posse esse finē vltimū; q̃a in vltimū omnia referūtur, in hos verò nō alterutri.

2105 Cum dicitur vltimus finis vnus, ne exclude compositionem; nec. n. negari potest, quin *a* multi vltimum sibi finem statuerint in pluribus, dū plura ad integram beatitatem requisiuerunt. Sed hi ex illis pluribus vnū sibi finē composuerunt, & in totum, tanquam in summum bonū, & vnicū aspirarunt.

a De quibus d. Aug. lib. 19. de Ciu. ex Varrone.

2106 In hoc sensu *b* Aristoteles ipse, quamuis hominis fœlicitatem in bonis fortunæ non esse collocatam optimè viderit, cēsuit tamē hæc ipsa esse opportunum subsidium ad vitam fœlicē, dum ait: Videtur etiam fœlicitas externis bonis indigere, fieri enim non potest, vel non facilè fit, vt cui necessaria non suppetunt, is bona, atq; honesta agat. Hæc, & horum similia de naturali hominis beatitate pro huius vitæ statu dicta semper intellige.

b Lib. 1. Ethic. cap. 8.

2107 Hic ipse finis vltimus, qui necessariò vnus est, formam quandā finis dicit, quà summum quid, atq; optimum est, finis omnium, nullius medium. Dicit idem materiam aliquā, in qua ea, quasi forma, sita sit. Nec verò par est vtriusq; ratio, si hominum iudicia magis spectes, quam ipsam rem. Etenim quoad formam, non solum vnus est is finis, sed etiam idem, communis omnibus, dum quisq; in beatitudinem, tāq; in summum bonum anhelat. Quoad materiam verò, non quisque in eodem beatitatem vult. Quare finis materialiter acceptus nec vnus est, nec idem omnibus.

2108 Qui verò vnus est, est idem hominis proprius, quà is differt à brutis animalibus; nam cum sit abstracta quędam forma summi atq; integri boni, in quam non tendit appetitus, nisi ratio præluxerit, nullum animal se se in illā eriget, nisi fuerit compos rationis. Et meritò (inquit *c* Aristoteles) neq; bouem, neq; equum, aut quidpiam aliud animal fœlix appellamus, quippe cum nullum ex ipsis talis operationis esse particeps possit.

c Lib. 1. Ethic. cap. 9.

2109 Hanc ipsam ob causam *d* pueri fœlices dici non possunt, nisi in spe, quatenus per ætatem rationem boni nosse poterunt, & consequi.

d Ex Arist. Ibid. & li. 10. cap. 8.

2110 Hac de re nos admonent, qui primi beatitati nomen indiderunt. Sūt, qui velint, dictam fuisse *e* Eudęmoniam, quia ad illam per prudentiam homo ducitur, quæ cuiq; bonus dæmon est. Non multùm ab his diffident, qui malunt, Eudęmoniam dici eam humanę mentis partem, per quam ad diuina homo se se eleuat, cui dicto consonat illud *f* Xenocratis, ingeniosum eū esse, qui animam sortitus est studiosam, & hanc animam vnicuiq; esse genium, & dęmonem bonum. Ab hac igitur animę parte, qua homo fœlicitatem consequitur, ipsa fœlicitas nomen habet.

e εὐδαιμονίαν

f Apud Arist. lib. 2. top. loco. 19.

2111 Cum duplex in homine sit appetitionis intentio: Scilicet sępè ad particulare aliquod bonum sine vlla recordatione boni vltimi, & summi, alias verò ad ipsum summum; Dixerit aliquis, non semper hominem, quicquid ille amet, amare fœlicitatem. Et tamen verissima doctrina est, omnes, & singulas cuiuscumque hominis actiones esse propter vltimum finem. Eleganter illa *g* Boetius in hanc sententiam: Omnis mortalium cura, quā multiplicium studiorum labor exercet, diuerso quidem calle procedit, sed ad vnum tandem beatitudinis finem nititur peruenire. Idem censuit *h* Aristoteles, qui quicquid tandem homo velit, velle illum in eo fœlicitatem arbitratur.

g Lib. 3. de Consol. Philos. prosa. 2.

h Lib. 1. Ethic. cap. 6.

2112 Sed

2112 Sed vt rem hanc distinctè diiudices; scito, finis vltimi amorem, qui in homine est, dum quid amat, non semper esse eundem. Amat eum aliquandò actualiter, amat eundem aliàs habitualiter, sæpissimè virtualiter. Amat ergo semper vltimum finem homo aliquo ex his tribus modis; actualiter, cum vult esse beatus; habitualiter, cum, si de beatitudine cogitaret, amaret; virtualiter, cum actus hoc ipso quod in bonum est, est in aliquam summi boni partem. Neq; verò contrà hanc D. *a* Thomæ doctrinam, quicquam, quod vllius momenti sit, afferunt *b* antagonistæ.

a 1.2.q.1.a.6.
b Scotus in 4. dist.49. Maior Ibidem.

OPERATIONES Humanæ.

CAP. V.

2113 SATIS nunc fuerit statuisse, esse aliquem vltimum hominis finem, quis ille sit, *c* infrà constabit certius. Quoniam verò in hunc finem homo operando tendit, hominis operationes, quas esse dixi huius philosophiæ materiam, spectandę mihi sunt, à quo sint principio, ex quibus affectibus, habitibus, virtutibus, circa quę bona, vt tandem in summi boni possessione conquiescat. A principijs exordior, de quibus multa tradita à me sunt in physicis, pro ea affinitate, quam notat *d* Aristoteles habere cum physicis moralia, hic addo, quæ superant.

c Hoc eod.li.3. cap. vltimo.
d Lib.1.Ethic. cap.13.

2114 Non omnes operationes hominis humanę sunt, vt rectè *e* D.Thomas animaduertit, sed illæ solum, quæ ab homine sunt iuxtà proprium operandi modũ, volũtariè videlicet, ac liberè. Multa sunt homini communia cũ brutis, quá viuit, & sentit; quatenus verò homo est, volũtatẽ habet, quæ ratione prędocta, imperat: nec solũ se ipsa liberè mouet, volẽdo, nolẽdo, arbitriũ suspẽdẽdo; sed alias ẽt potẽtias plures subditas habet, in quarũ operationibus ẽt ipsa per

e 1.2.q.1.a.1.

2115 Est ergo voluntas harum operationum principium, quà voluntariè operatur, sed qua ratione eadem dicatur voluntariè operari ex suo opposito, inuito videlicet, rectè *a* Aristoteles inuestigauit. Videntur, inquit, inuita ea esse, quę aut vi, aut ignoratione efficiuntur.

a Lib. 3. Ethic. cap. 1.

2116 Quod ad vim spectat, hanc aliquis tunc pati dicitur, cum ab extrinseco principio cogitur nihil ipse conferens actiuè, siuè patiatur, siuè agat. Ità Aristoteles ijs verbis: Vt ei neq; qui agit, neq; qui patitur, quippiam conferat. Sed qui vnquam fiat, vt aliquis agat, nec actiuè quid conferat? Fit, cum violenter impulsus ipse, ab illo eodem principio alterum impellit.

2117 Quod spectat ad ignorantiam, ea sine dubio facit inuitum, quod rectè Aristoteles colligit, ex eo, quod qui ignoranter operatus est, vbi quædam particularia postmodũ nouerit, dolet, ac facti pęnitet, pęnitet voluisse. Erit ergo voluntarium inuito oppositũ, quod est ab extrinseco principio, cognoscente singula, in quibus est actio. Ità *b* Aristoteles, & cum eo consentiunt Theologi, qui omnes hanc voluntarij descriptionem recipiunt, & ad ipsum non agere, cum voluntarium est, facilè accommodant. Etenim is, qui deliberatè non vult, censetur velle non velle.

b Lib. 3. Ethic. cap. 1.

2118 Communicant pueri, quin etiam bruta animalia in metaphorico quodam voluntario, seù potiùs spontaneo, nam cum duo dicat, idest principium intrinisecum, & cognitionem, vtrumq; in brutis reperias, quibus videlicet inest intrinseca vis appetendi sensitiua, quæ sequitur sensitiuam cognitionem. Sed rectè *c* D. Thomas ab hoc imperfecto voluntario, seù spontaneo tantum distare ait id, quod est propriè voluntarium in hominibus, vsu rationis præditis, quantum cognitio intellectiua sensitiuam præstat, & modus appetendi cum ratione modum appetendi sensitiuum.

c 1. 2. q. 6. a. 2. in corp.

2119 Admiscetur quandoq; inuoluntarium voluntario, vt cum quis incusso metu vult, quæ si metus non vrgeret, non vellet. Quoniam tamen, posito eo metu, procedit actus à principio intrinseco, cognoscente singula, meritò *d* D. Thom. ea, quæ sic fiunt appellat simpliciter voluntaria, inuoluntaria verò secundum quid.

d 1. 2. q. 6. a. 6

2120 Paulo aliter videtur *e* Aristoteles loqui, scilicet, quæ ex metu fiunt spontanea esse illa quidem, sed dici simpliciter inuita. Sed leuis dissensio est, vel potiùs nulla, quia etiam rectè dicitur simpliciter inuitum, quod præcisè, & non secundum incidentes conditiones inuitum esset.

e Lib. 3. Ethic. cap. 3.

2121 Concupiscentia non pari ratione admiscet inuoluntarium voluntario, sicut metus. Dummodo enim ea tanta non sit, quæ vel præpropera festinatione omne consilium præuertat, vel ęstuantis libidinis fumo obruat, auget non minuit voluntarium, nouit enim, qui ex ea operatur, singula, & ab intrinseco principio se incitat eo vehementius, quo acriores fuerint concupiscentiæ stimuli.

2122 Est hæc pariter doctrina *f* Aristotelis, à quo *g* D. Thomas hausit. Quod si is *h* alibi censeat, concupiscentia minui peccatum, quia decrescit ex ea voluntarium, voluntarium intellige liberum, de quo mox dicam.

f Lib. 3. Ethic. cap. 5.
g 1. 2. q. 6. a. 7.
h 1. 2. q. 77. a. 6.

2123 Con-

a In Protagora, vel contrà Sophistas.

b Apud Arist. lib. 3. Ethic. cap. 5.

2123 Controuersia hic est Aristoteli cum Platone: Nam *a* Plato sentire videtur, neminem vnquam operari voluntariè, & improbè simul; cum ergo is, qui ex concupiscentia operatur, sæpè improbè faciat, non faciet idem voluntariè: hinc illud Emistichium: *b* spontè improbus nemo. Sed contrà instat Aristoteles: In quibus in nostra potestate situm est agere, situm est etiam non agere, & in quibus non agere, simili modo etiam agere quapropter si agere cum honestum sit, est in nostra potestate, non agere quoq; cum turpe sit, in nobis erit collocatum. Si item non agere cum honestum sit, in nobis est, agere quoq; cum turpe sit, erit nostræ facultatis.

c Eod. c. 5. li. 3. Ethic.

d In 3. Ethic. cap. 5.

2124 Et verò quis vnquam dignus vituperatione, aut pœna sit, si dum improbè operatur, non operatur spontè? His inquit idem *c* Aristoteles, attestari, & priuatim, & singuli, & ipsi legum latores videntur, qui eos, qui mala perpetrant, castigant, & puniunt. *d*

e πονηρός improb', πόνηρος miser.

f Lib. 3. Enn. 3.

2125 Sed illud dictum; spontè improbus nemo, Eustratius interpretatur: spontè miser nemo, & fauet interpretationi *e* Græcum vocabulum ex leui accentus mutatione. Aliter sensit *f* Plotinus, loqui videlicet Platonem de habitu, non de actu, & verè dici, improbitatem non esse voluntariam in habitu, quamuis voluntaria in actu sit. Sic multis voluntaria est morbi causa, non morbus ipse.

2126 Sed assequuti sunt alij fortasse melius Platonis mētem, vbi dicunt, neminem esse improbum spontè, idest si ex recta voluntate egerit: hoc enim est illud verè, & propriè spontaneum, quod in homine est, cuius natura, cum sit rationalis, tunc enim verò quà homo est operatur, cum ex recta ratione, non autem cum à se ipso deficit, & seruit ratio concupiscentiæ. Hæc si sit Platonis mens, non repugnabit Aristoteles.

g Eod. 3. Ethi. c. 1. & 5.

2127 Ignorantia, ex qua dixi inuoluntarium nasci, debet antecedere, vt causa; sicut subtiliter *g* Aristoteles animaduertit; tunc enim solum homines excusantur, cum facti pœnitet, cum si sciuissent, non fecissent, cum faciendi causa tam voluntas est, quam ignoratio. Alias verò ignorantia antecedit quidem factum, sed illud nihilominus fieret, etiamsi nihil ignoraretur; Quisquis hac posteriori ratione operatur, ignorans facit, sed non ex ignoratione.

2128 Pari ratione si quis commodè posset ignorantiam scientia depellere, ac nollet, vel quia piget, vel quia licentius peccare placet, operatur non volens, quà ignorat; non tamen inuitus; vndè est, vt se dignum, tum vituperatione, tum pœna exhibeat.

2129 Non omne voluntarium liberum est, etenim ad voluntarium satis sunt illa duo, idest operatio intrinseci principij, & cognitio; ad liberum verò necesse est, vt sit voluntas indifferens, vel ad volendum, aut nolendum, quæ dicitur à philosophis libertas quoad specificationem, vel ad volendum, aut non volendum, quæ dicitur libertas quoad exercitium.

2130 Si quid ergo homo velit sciens, ac prudens, sed necessariò velit, voluntarium illud erit, non autē liberū. Sed haud scio, an in statu huius vitæ quicquam sit, quod voluntatē ità ad se rapiat, vt absolutā necessitatē amoris inducat, cū.n. ex indeliberatione operatur, tunc operatur, vt natura nō vt volūtas.

2131 Dicitur tamen voluntas necessariò amare bonum, & quod maximè bonum est, ac summam fœlicitatem; dicitur eadem necessariò odisse malum, sed in his, & similibus intellige, esse solum necessariam speciem actus, non autem exercitium; loquor semper de hominis conditione in hac vita. Regnat in hoc voluntas, apta mouere per imperium potentias, sibi subditas, & quamuis ipsa vicissim moueatur ab intelligentia per obiecti propositionem, non adigitur tamen ad actum, quem ipsa sibi sola imperat, & elicit.

2132 Sed quid sit tandem hoc, quod dicitur liberum arbitrium, ex *a* Theologis accipiendum est. Aio igitur, quamuis communiter liberi arbitrij nomine significetur actus, esse tamen potentiam, quæ est actus principium non cuiuslibet, sed liberæ electionis eius partis, quæ in consultationem adducta cum reliquis fuerit.

a Ex D. Tho. 1. p. q. 83. per totam.

2133 Vult voluntas finem, intentio hæc dicitur, imperat eadem rationi, vt media ad finem exquirantur, examinentur secundum habitudinem ad finem, proponantur, obsequitur imperanti ratio, & dicitur hæc consultatio; demum voluntas eligit, quod maluit, electio dicitur hic vltimus actus, qui est voluntatis, liberè eligentis, id quod ratio arbitrata est, esse eligendum.

2134 Hinc habes, cur actum liberi arbitrij tribuant aliqui intellectui, alij vero voluntati; Dicit enim electionem præiudicatæ rei: præiudicium rationis est, electio voluntatis; ergò, si dixeris esse actum intellectus, prout adiunctam habet electionem liberam, vel esse actum voluntatis, prout adiunctum habet præiudicium illud, idem dicis.

2135 Libet tamen loqui, ac sentire cum D. *b* Thoma asserente, liberi arbitrij actum habere quidem illam originem à ratione arbitrante; esse tamen formam voluntatis. Radix, inquit, libertatis est voluntas, sicut subiectum, sed sicut causa est ratio; potest voluntas liberè ad diuersa ferri, quia ratio potest habere diuersas conceptiones boni.

b 1. 2. q. 17. ar. 1. ad 2.



ANIMI PERturbationes, seu Affectus.

CAP. V.

2136 QVAS nunc vulgo animi passiones vocamus, expresso ex *a* Græcis vocabulo, alij alijs appellant nominibus, vt ex varijs auctoribus colligit D. *b* Aug. s. perturbationes, affectiones, affectus: Qualecunq; tibi probetur nomen, intellige, has in re actiones esse ab intrinseco animæ principio, passiones verò dici, quia cum non leui corporis immutatione ferè coniunctæ sunt. Sit id pro exemplo. Aliquis contra te oblocutus est, iniuria hæc dicitur, obiectum. Passionis nunciant externam hanc iniuriam sensus externi internis, & vt quid malum proponitur parti appetitiuæ; indignaris, tristaris; hæc actio est, videlicet mali fuga, passio tñ dicitur, quia sequitur ad illã cõmotio spirituum, sanguinis feruor, corporis alteratio, & passio.

a πάθος
b Lib. 9. de Ciui. cap. 4.

2137 Non eiusdem facultatis est par consideratio perturbationum; Agit de ijs Physicus, quatenus speculatur omnes affectiones animalium; agit de ijsdem Rhetor, quia plurimum facit ad persuadendum nosse, qui sint affecti auditores, & quibus quiq; artibus capiantur; agit de ijsdem moralis philosophus; cum enim is hominem instituat ad honestatem, nosse pariter debet affectiones, vt eę ex virtutum legibus componantur. Sed hic in Stoicos incido, qui volunt, virum virtute præditum, sapientem ipsi appellant, omni prorsus affectione carrere, quia *c* improbæ sunt.

2138 Placet tamen Peripateticorum sententia, quæ habet, virum perfectũ tunc esse, cum passiones ad medium, recta ratione pręscriptum, redactę sunt. Et verò quis neget, amorem, & odium, quæ duæ sunt præcipuę perturbationes, prodesse plurimum ad virtutem.

c Ex Seneca passim in suis epist. ad Lucil. M. Tull. in Tuscu. qq. & de offit.

2139 Ira

2139 Ira cum iusta est, ipsa est fortitudo, cupiditas cum moderata est, ipsa est temperantia, pugnandum sæpè est, vt ratio suũ habeat in humanis actionibus primatum, nec pugna hæc sinè amore, sinè odio est, vt rectè *a* Plato cẽsuit, sed cum vtroq;, sicut ex graui, & leui æquilibrium. Cæterùm ipsa perturbationum natura, quæ ex obiecto, & subiecto cognoscitur, itemq; ex earumdem methodica partitione, litem facilè definiet.

a In Timeo, vel de Mundo, in Theage, vel de sapientia.

2140 *b* Chrysippi sententia est, passiones esse in sola parte hominis rationali, illud argumento esse, quia ijs nec bruta, nec pueri exagitantur. Falsa sententia est ex falsa experientia procedens, etenim quamuis ex firmiori iudicio sæpè sint in viris vehementiores passiones, quam in pueris, aut bestijs, negari tamen nõ potest, quin etiã ipsę sentiãt, oderint, ament, & homo tunc maximè perturbetur, cum vim sentiendi nec coercet imperio rationis.

b Apud Galen. l. 5. de Plac. Hipp. et Plat.

2141 Certa igitur mihi est communis sententia, passiones tanquã in subiecto esse in parte appetitiua animæ sentientis; Et quia hæc, vt in *c* physicis asserui, nõnisi circà bonum, actu prosecutionis, & circa malum, actu fugę, versatur, sequitur, vt si passiones huius virtutis actus sint, habeant eædem pro obiecto bonum, quà illud prosequuntur, malum, quà illud fugiunt.

c Lib. 2. c. 40.

2142 Huc illa spectant Philosophi Sanctiss. *d* Damasceni. Est passio motus virtutis appetitiuæ sensibilis ob imaginationẽ boni, vel mali: Nihil is addidit, modica ne sit, an excedens, seù deficiens, quia hoc nõ ad naturam passionis, sed ad probitatem, seù improbitatem spectat.

d Lib. 2. de fide cap. 22.

2143 Cũ aũt duæ sint sentientis animæ partes quà appetit, s. concupiscentia, & ira, illa circà bonum, & malum absolutè, hæc circà bonum, & malũ arduum; addo id, quod satis docet experientia, perturbari animũ, tũ concupiscentiæ, tũ iræ actibus, cũ bonũ, aut malũ absolutè, vel bonũ, aut malum arduum sensus interni pręmonstrauerint, Pro duplici ergo appetitus parte duplex est in sensu passionũ partitio, eruntq; aliæ cõcupiscentię proprię, alię irę.

2144 Sed quæstio minimè leuis est, an suę itẽ insint passiones animę rõnali, qua parte bõnũ prosequitur, & malum fugit, i. voluntati, quæ vnica est circà bonũ absolutè, & bonum arduũ. Affirmatiuã partem fortasse suadent, amor honoris, gloriæ, fuga contrariorũ, quæ, cum non videantur esse sensata, non ad sensum spectabunt, sed ad rationem, sunt autem actus cum passione; quis enim non nouit quanti motus ex his in corpore excitentur?

2145 Placet tñ sententia D. *e* Tho. eadẽq; *f* Arist. passiones propriè dictas in sola parte sensitiua reperiri, nõ aũt in rõnali, nisi per quandã imitationẽ. Sũt animæ sentiẽtis operationes organicę, cõiunctę cum nõ exigua corporis alteratione per spirituum accursum; Inorganicę verò sunt animæ rationalis, atq; ideò non ferunt ex se ipsis eam alterationem, ac motum, magisq; recedunt à propria passionum acceptione.

e 1. 2. q. 22. ar. 3.

f Passim in Ethicis præsertim lib. 3. et 5.

2146 Quod si glorię, honoris, & similiũ amor turbulentias in animo excitet, non facilè componendas, itemq; fuga contrariorum, quę in se ipsis non videntur sub sensum cadere; Aduertere tamen quisq; potest, etiam his bonis, & contrarijs malis, multa esse adiuncta sensibilia, quorum amore, vel odio, tunc, dum maximè voluntas amat, aut odit, perturbatur pariter appetitus.

2147 Quod spectat ad earum perturbationum numerum, quas esse dixi in concupiscentia, & ita placet sensus D. *a* Thomæ, cui debere debemus plurimum, quod omnes ad certa capita reuocauerit, id quod antiqui nulla certa lege fecisse visi sunt. Sunt ergo affectiones omnes numero vndecim, sex in parte concupiscibili, amor, odium, desiderium, abominatio, delectatio, tristitia, quinq; in irascibili, spes, desperatio, audacia, timor, ira. De singulis breuiter significo quid sint, & circà quale obiectum.

a 1.2.q.23. art.4.

2148 Amor est actus prosecutionis in bonum absolutũ, prout bonum est, & naturæ congruum, passio dicitur, cũ est ab appetitu sensitiuo, vt dixi, idẽq; de reliquis dictum volo, quia loquor de passionibus propriè acceptis.

2149 Quanta sit huius passionis vis, nisi sibi homo temperet, testatur omnis antiquitas, quæ illi de omnibus victoriam semper adscripsit. Pondus est, ait alicubi D. *b* Aug. vnde animus sua habet momenta, scilicet vt eò propẽdeat, quò amor adegerit. Si quis bonum amet, vt congruũ sibi, se ipsum amat, & amor dicitur concupiscentiæ; si quis idem amat, vt congruũ amico, amicum amat, & amor dicitur amicitię. Vterq; honestus esse potuit, si ratio regula sit.

b Lib. 11. de Ciu.c.28.

2150 Habes in hac amoris descriptione amoris causas. Præcipua est, quæ prima ad amandum mouet, obiectum, bonum s. absolutum, quà bonum est, sensitiua cognitione repræsentatum. Peruenit ad animum hæc cognitio ferè per oculos; sed negari non potest, quin eadem aditum per aures habeat. Idẽ assero de alijs sensibus, si de bono, paulò amplius loquamur.

2151 Si verò de ea tantùm boni specie loquamur, quæ dicitur, pulchritudo quia hæc non nisi oculis, aut auribus cognoscitur, non nisi per hos sensus accessum habet ad cor, vbi amoris ignem succendat. Hinc habes definitionem quæstionis, an pariter audiens amare possit, ac amet videns.

2152 Incitamẽtũ est maximũ idemq; nutrimentũ amoris, similitudo, vt optimè D. *c* Tho. animaduertit; sed cõtrà esse vr̃ vulgare prouerbiũ, figulus figulũ. Respõdet idẽ duplicẽ inter aliquos esse posse similitudinẽ, vnã actualẽ, cũ pares in bono sunt, alterã potẽtialẽ, cũ potest alter habere, quod alter habet. Illa prima amorem suscitat, videt enim alter in altero quasi suam imaginem, quare est, cur se ipsum vterq; amet in altero, alterum in se. Sed si in illa similitudine sit etiam altera potentialis ex bono, quod speratur, vnusque alterius bonũ impediat, qua rõne similitudo in artibus minuit in similibus artium lucra, cedit in odiũ amor, nõ ex similitudine, sed ex impedimento similitudinis.

c 1.2.q.27. art.3.

2153 Amoris effectus quis certo valeat numero comprehendere, cũ proptereà dicatur amor ingeniosus, quia prõptus cõsilio, prõptus manu, nihil ẽ, quod nõ pręstet? Refert tñ in pauca capita idẽ Sanctiss. Theologus D. *d* Tho. Quærit amor coniunctionẽ cum re amata. Benè, inquit D. *e* Aug. quidã amicum appellauit animæ dimidium suę, par est, ex partibus componi totum.

d 1.2.q.28.
e Lib. 4. Conf. c.6. sed rem bene limitat. li.2. retract. c.6.

2154 Exit prætereà amicus extrà se, quasi sui partem quæsiturus; Ecstasis hæc dicitur. Quis crederet, nasci etiam ex amore odium? indignatio hęc est, & quidam zelus, quo amans cauet, ne ab amato bono diuellatur, ne illud sibi quis surripiat, sed quale sit hoc odium, mox dico.

2155 Odiũ, quod amori ex aduersò rñdet, est eiusdẽ partis appetitiuę fuga à malo

à malo absolutè, quà malum est, idest naturę disconueniens. Odium item dicitur cum quis alteri malum vult, hęc verò non est fuga, sed prosecutio; item nō est in malum, sed in bonum, quare nec odium propriè erit, sed amor eius boni, quod quis apprehendit in eo, quod alius malè habeat.

2156 Modo dictum à me est, odium ex amore nasci, mirarer degenerem partum, nisi constitisset odium hoc amorem esse. Et verò ex honestissima amicitia potest aliquis alteri malum velle, quod ei benè vertat.

2157 Desiderium est eiusdem partis appetitiuæ motus in bonum absolutè, quà bonum est, sed absens, ac possidendum. Hæc passio nomine generico dici solet concupiscentia, sed specifica est, ac differt à reliquis, atq; ideo ab ipso amore, qui dicitur concupiscentiæ per illam boni conditionem, quia nondum adest, nec possidetur.

2158 Duo cupiditatum genera distinguit *a* Aristoteles, quasdam ait naturales esse, idest eorum bonorum, quibus natura indiget secundum suam naturalem complexionem, & hæ in diuersis diuersæ sunt, alias rationales, idest, quæ ex vsu potius, & consuetudine secundùm propriam cuiusq; apprehensionem, & in his trahit sua quemq; voluptas.

a Lib. 3. Ethic. cap. 11.

2159 Vtrumq; genus in homine est, qui multis secūdum naturam indiget, sed & in multò plura se ipse per apprehensionem incitat; Optandum esset hac ex parte, vt is minus valeret apprehendendo, nec enim tantus esset cupitatum ardor, nec infinita illa concupiscendi vis, quæ *b* nunquam exhauritur. Sed optandum est potius, vt ratio his modum faciat.

b Lege Plut. opusc. de cupiditate diuitiarum.

2160 Dicuntur hæ rationales, non quia semper obediant rationi, ac legibus honestatis, quod si quando faciunt, meritò, & propriè rationales appellantur; sed quia ex cognitione sunt, & sic à naturalibus distinguūtur, quę etiā in rebus inanimatis sunt per appetitum innatum.

2161 Desiderio, seù concupiscentiæ opponitur abominatio, quæ fuga est à bono absolutè, quà impendet. Differt hæc passio à timore, & in quo differat, mox dicam, vbi quid sit timor definiam; Verissimum tamen est id, quod etiam animaduertit D. *c* Thomas, sæpè hanc affectionem appellari timorem pro affinitate, quam cum eo habet. Hinc est, vt proprium nomen non habeat, sed retineat genericū, dicit. n. abominatio idē quod auersio, & fuga.

c 1. 2. q. 30. ar. 2. ad 3.

2162 Voluptas, seù delectatio, seù gaudium, est eiusdem partis appetitiuæ motus prosecutionis in bonū absolutè, quà bonū est pręsens. Init societatem quandā cum quiete motus, quis crederet? qui. n. à boni præsentia voluptate perfunditur, dum bonum præsens amat, motu quodam bonum amplectitur, & in quiete obtinet, motu tamen, idest operatione non cessante.

2163 Hinc est, vt sola animalia capacia sint voluptatis; reliqua enim, quæ cognitione carent, mouentur in finem appetitu quodam innato, qui tūc solùm est, cum finis abest, ad finis verò præsentiam cessat, & ideò fine obtento quiescunt, hæc verò mouentur appetitu elicito in bonum etiam possessum, atq; ideò in ipsa quiete stantis finis. Sed de voluptate *d* iterum disputandum mihi erit.

d Hoc eod. lib. cap. 9.

2164 Opponitur voluptati dolor, seù tristitia, idest fuga à malo absolutè,

quod præsens est;etiam hic animus miscet cum quiete motũ.Motus in auersione est,irrequieta quies in eo,quod se á præsenti malo nequeat diuellere.

2165 Vnum verò est in quæstionibus ad dolorem spectantibus, quod mirum est non esse hactenus homini exploratum,qui tam sæpè doloribus angitur: videlicet,vbi dolor sit. Vritur aliquis,ringitur,ac dolet, & vbi sit doloris forma non nouit. Plura eadem de re *a* infrà de voluptate, hic habeo ex ipsa notione passionis,vstionis dolorem non esse in manu, quæ vritur, sed in sede facultatis appetitiuæ.

a Cit.cap. 9.

2166 Sunt,vt dixi,aliæ animi affectiones, spectantes ad eam appetitus partem,quæ dicitur irascibilis,non versantur hæ circà bonum,aut malum absolutè,sed quod arduum,ac difficilè sit,ad acquirendum,aut ad euitandum;Et hinc est,vt harum affectionum differentiæ non pari ratione accipiantur, ac earum,quæ in concupiscentia sunt; spectatur enim in his, quid consequatur animus,quid effugiat,difficultatibus superatis, atq; ideò, qui se habeat circà finem,qui circà media.Finis est bonum difficile, media,illa ipsa,per quę redditur difficilis consecutio.

2167 Spes vna ex his est,non illa, quæ à Theologis censetur inter virtutes Theologales,sed quæ in hac parte sensitiua est,de qua loquor. Ex amore hęc nascitur,quamquam vt benè D.*b* Thomas asserit,amorem quandoq; gignit, vt cum illi amantur,quorum ope amatum,speratumq;bonum nos consecuturos arbitramur.

b 1. 2. q. 40. art. 7.

2168 Quod verò spectat ad speratum bonum, speratur, quia amatum est prius.Differt autem à cupiditate spes,quia est in bonum,absens illud quidẽ, sed arduum,& in animo repræsentatum,vt consequendum. Non sic operantur cupidi,qui difficultatibus absterrentur,quiq; *c* amare etiam possunt,quę nouerint esse impossibilia.

c Ex Arist. li. 3. Ethic. c. 2.

2169 Est spes is amor,quem descripsi,circà finem;Executionem postmodum aggreditur audacia, quæ est eiusdem irascibilis motus in ea, per quæ difficile bonum in nostram possessionem venturum speratur, in bonum igitur hæc intendit, nam bona ea sunt, quæ aditum ad bonum faciunt; Quoniam verò quæ inest his ipsis medijs difficultas, quandam habet mali faciẽ, audacia,quæ non absterretur propterea dici potest quodammodo indirectè circà mala operari,ità illa auersando,vt alliciant ad repulsam.

2170 Opposita spei desperatio est,vsq; adeò tamẽ difficile iudiciũ est, quid hæc sit,circà quod obiectũ sit, & in qua animi parte,vt satis audacter, & animosè faciat,qui in hac re exploranda nõ desperet. Dixeris, esse iudiciũ, quo quis censet, non posse se finem consequi.Sed hoc est cõtrà communẽ,veràq; sententiam,quæ desperationem non *d* in sensu,sed in appetitu collocat.

d Ex D.Tho. 2. 2. q. 20. ar. 1.

2171 Dixeris esse abiectionem,& negligentiam eorum mediorum,per quæ vel difficilis,vel nullus videtur accessus ad finem. Sed neq; hoc dici potest, quia desperatio in operatione est,non in cessatione. Dixeris deniq; esse recessum quendam à bono, quod cognitioni repręsentatur,vt impossibile.sed à bono fuga esse non potest.

e Ex D.Tho. 1. 2. q. 40. art. 4. ad 3.

2172 Dixerim *e* ego tandem hęc omnia, scilicet pręire ęstimationẽ de tãta

rei

rei difficultate, vt superari non possit, sequi abiectionem, & negligentiam illā mediorum, ipsum verò formalem actum desperationis situm esse in auersione, & fuga à bono, non quatenus bonum est, sed quod malum creditur ob nimiam distantiam. Non est ergo actus in sensu, sed in appetitu, non in cessatione, sed in operatione, non in prosecutione, sed in fuga. Distinguitur autē ab alijs passionibus irascibilis, quia est fuga per modum recessus à fine.

2173 Timor, qui ex aduersò opponitur audaciæ, est recessus à medijs, quatenus ob difficultatem, & incommoda, quæ secum adiuncta habent minimè leuia, habent pariter rationem mali. Hinc est, in quo timor differat à disperatione, itemq; ab illa affectione concupiscentiæ, quæ abominatio dicitur.

2174 Desperatio est, vbi proponitur finis, Timor, vbi media, & vtramque affectionem excitat ratio mali grauioris; abominationem verò causat etiam leuior mali ratio, siuè ea in fine, siuè in medijs apprehendatur. Vtranq; timoris conditionem *a* Aristoteles expressit, vbi ait: Non enim cuncta timemus mala, sed quęcunq; vel magnos dolores, vel corruptiones adducunt, & ea, quæ non longè absunt, sed propè videntur, vt iam impendeant.

a Lib. 2. Rhet. cap. 5.

2175 Angitur etiam sæpè timore animus, cum rem possidet, in quo casu finis est possessionis continuatio, ac diuturnitas, media sunt, quæ remouēt impedimenta. In his ergo timor est, dum ab his refugit animus ob difficultatē, quam habent adiunctam.

2176 Hinc infinitæ fermè timoris causæ sunt; cum enim vnusquisq; maximè vitam amet, eiusq; possessionē velit esse diuturnam, tot se offerunt præsentis timoris causæ, quot vitæ discrimina volentes, nolentes subimus: Animos tñ ad honestā audaciam facit vitę innocētia, & purum à scelere pectus.

2177 Ira deniq;, quę subiecto nomen fecit, est in irascibili. Dicitur ab eodē *b* Aristotele appetitus apparentis vltionis cum dolore propter apparentem immeritò, vel in se, vel in suos contemptum.

b Lib. 2. Rhet. cap. 2.

2178 Multæ perturbationes in hac vna latent. dolor est pręsentis iniuriæ, quæ illata est, & iniuria eo grauior censetur, quo quis, minus se fuisse cōmeritum, arbitratur; hinc mouetur ad vindictam appetendam animus, & quia animo eadem proponitur factu possibilis, & quasi iam facta, admiscetur dolori voluptas quædam, quæ capitur ex illa vindictæ repræsentatione, tanquā ex præsenti bono, bonum enim suum esse retur alterius malum is, qui iniuriā passus est. Irę tamen ratio in illa prosecutione sita est, qua quis vindictam appetit, vt bonum suum ad par pari referendum.

2179 Mirum est, quam facilè se in animos insinuet hic affectus. Rectè de ira dictum est, inquit *c* Aristoteles, quod defluente melle dulcior in virorum pectoribus gliscit. Ratio est illa, quam modo insinuaui, cum enim ira sit appetitus vindictæ, quam sibi iratus repræsentat possibilem, & si adsit audacia, non difficillimam, præuenit cogitatione opus, eaq; in imagine delectatur. Quod verò de reliquis voluptatibus dici solet mellitas esse, ita tamen, vt non careant aculeo, de hac irati voluptate dici meritò potest, cum ferat ira dolorem pariter, & fallax sæpè sit illa præcepta animo boni species.

c Eod. c. 2. lib. 2. Rhet.

ANIMI HABITVS.

CAP. VI.

2180 ANCEPS eſt habitus nomen in doctrina Peripatetica, tot enim fermè modis dicitur,quot ipſum *a* habere.Ego hic de habitibus animi diſſero quibus ad operandum ſtabili quadam ratione diſponitur. Hæc illa eſt qualitatis ſpecies,quam vnà cum diſpoſitione indicaui *b* ſupra ex doctrina Ariſtotelis, & á diſpoſitione differt, quatenus benè intenſa, & in ſubiecto radicata ab eo difficilè mobilis eſt. Supernaturaliter aliqui animo inſunt, à Deo dati ad naturam altius eleuandam,quàm per ſe ipſa poſſit, alij naturaliter, & de his poſterioribus loquor.

a De quo Ariſt. in Poſtpræd. cap.5.

b Lib.1. c. 3.

2181 Sunt habitus in potentijs operatiuis,tanquàm in ſubiecto,& quia de his hic diſputo, ſuſtinens moralis Philoſophi partes, non eſt neceſſe, longè vagari ad hæc ſubiecta exquirenda, moraliter enim operatiuæ ſunt, quæ vel rationales ſunt,vt intellectus,& voluntas, vel aliquam habent rationis participationem,dum à volũtate motum,& modum habent, vt ſunt appetitiones ſenſitiuæ.

2182 Dicitur his potentijs habitus tribuere benè,vel malè operari,ſcilicet prout habitus fuerit,probus,aut improbus. Probus habitus dicitur,qui inclinat ad actiones honeſtas,ideſt rectæ rationi cõmenſuratas, improbus, qui ad turpes,ideſt à recta ratione deficientes;ſed ſatis mihi hic ſit habituum naturam intueri,qui inſint animo,qui ineſſe deſinant,nam quod ſpectat ad ſpecialem honeſtatem,eam ſatis indicabit vniuerſa virtutum ratio,quam *c* ſubijciam;

c Hoc eod.li.3. cap.ſeq.

2183 Sunt ergo habitus ex actibus iteratis, tanquam ex cauſa effectiua, de genere qualitatis,habilitãtes potentiam,cui inſunt;ad actus exercendos, eorum ſimiles, ex quibus ipſi habitus proceſſerunt. Hanc habituum naturam

deſcripſit

descripsit *a* Aristoteles, vbi dixerit, habitū esse dispositionem eius, quod præstantissimum est ad optimum, idest animę operatiuę ad vltimam perfectionem, quam operando habet.

a Lib. 7. phys. t. 17.

2184 *b* Idem eundem indicauit, distinguendo à reliquis, quæ animo insunt. Insunt enim homini tria, affectus, facultates, habitus. Affectus sunt actiones cum ijs affectionibus, ac perturbationibus coniunctę, quarum capita *c* indicaui; facultates sunt, quas latè explicaui in *d* Physicis; habitus sunt, qui agendo innascuntur facultatibus.

b Lib. 2. Ethic cap. 5.
c Cap. præced.
d Lib. præced.

2185 Vbi habitus ab effectibus distinguuntur, consueuerunt Philosophi, habituum nomine, virtutes intelligere, quæ naturam potius sequuntur, quā prudens animi iudicium. Huc illa, quantum ego censeo, referuntur, vbi dicitur habitus dispositio perfecti ad optimum; Cum enim sit homo ad honestatem natus, hoc ipso, quod illi ratio pro actionum regula indita est, ad virtutem comparandam natus est pariter, & hæc illi optima, & præstantissima perfectio est. Cœterum habitus nomen latius extendi potest ad omnes illas qualitates, quæ ex actione comparantur siuè virtutum studia sint, siuè affectuum defectus, aut vitia.

2186 Dixi, hunc habitum inclinare ad actiones seù affectus, ijs similes, ex quibus ipse genitus est. Sed non semper is, qui habitum habet, ex habitu operatur, vt D. *e* Thom. benè monet, & ipsa docet experientia; multa videlicet sunt, quæ animum ab agendi proposito auertere possunt, nisi sibi ipse fortiter imperet, & vera sunt illa *f* Plotini: Aliter cupimus, cùm pleni sumus, aliter, cum vacui.

e 1. p. q. 62. a. 3. ad 2. & 1. 2. q. 53. a. 3.
f Enn. 1. lib. 8. cap. 8.

2187 Hinc illa est iudiciorum diuersitas, de qua meminit *g* Aristoteles: sępè, inquit, fit vt idem de fœlicitate diuersa opinetur; cum enim ægrotat, sanitatem, cum pauper est, diuitias summum bonum putat, qui autem ignorantię conscij sibi ipsis sunt, eos admirantur, qui magnum quid, ac suprà vires suas referunt.

g Lib. 1. Ethic. cap. 4.

2188 Dixi, habitus ex actibus nasci, id quod ab *h* Aristotele traditum est, & probat ea facilitas, quæ ad agendum agendo acquiritur; Sed mauult *i* aliquis, nasci hos potius à potentia. Ego, si is voluerit de nomine contendere, esse videlicet habitus à potentijs, mediantibus actibus, vel prout operantur, non repugno; Si censeat, nullam habere actus in habitus causandi vim, aio, falsam esse hanc sententiam, nam ad quid tandem actus necessarij sunt ad habitus productionem, si in nullo genere causæ producunt?

h Lib. 2. Ethic. cap. 1. & 2.
i Burid. lib. 2. Ethic. q. 3.

2189 In quo tamen genere actus habitum causent, & quando, non eadem omnium sententia est. Sunt *k* qui velint, eos esse solum dispositionem subiecti; Verentur, ne, si aliter causent, ad habitum sit verus, ac proprius motus; Etenim si motus sit vllus ex tribus, ab *l* Aristotele assignatis, erit alteratio, sed ad habitum alteratio nō est, eodem teste *m* Aristotele, nullus ergo ad habitus est. Nihil hæc me ratio mouet, & suo *n* loco à me definitum est, quæ esse, vel non esse possit ad habitum alteratio.

k Dur. in 3. dist. 34. q. 2.
l Lib. 5. phys.
m Lib. 5. phys. à t. 14.
n Lib. 2. ca. 16.

2190 Aio igitur habitum esse ab actibus in genere causæ efficiētis, vel quod certè ad efficiens reuocetur, & addo id, quod probabilius videtur *o* pluribus, singulis

o Nominalibus, & Scotistis.

singulis actibus produci aliquid habitus, ità vt crebra iteratione intendatur tandem vsque ad eam intensionem, quam actus habuerint.

2191 Quod si in intensione actus creuerint, ijdemq; repetantur sępius, crescet item habitus intensio, cuius videlicet hæc est natura, vt fiat in gradibus similis illis, ex quorum frequentatione progignitur, daturus postmodū actus, cum facilitate, atq; animi delectatione non dissimiles.

2192 Instant hic aliqui, vt in facultate operatrice recipi habitus possit, debere dispositionem aliquam anteire; Sic, vt *a* gutta ex imbrice cadens lapidē excauet, disponit illum prius, excauat tandem. Hoc simili nituntur hi probare, per primos actus disponi potentiam, mox aliquem vltimum elici, à quo solo habitus producatur. Ego verò non video, quæ dispositio necessaria sit, vbi potentia se ipsa est apta recipere habitum, sicut & actum.

a Exemplum est Arist. li. 8. phys. t. 23.

2193 Sed si illi dispositionem appellent habitum remissum, ac dicant, ab vltimo aliquo actu habitum fieri, quia per illum maior quędam intensio aduenit, vndè illa, quę dicebatur dispositio, dici habitus possit, amo hic de nomine quęstionem, ne à *b* viris doctissimis in re dissentiam.

b D. Thoma, et Thomistis cōmuniter.

2194 Actus, qui sunt habitu remissiores, vel æqualis intensionis, habitum intendere non possunt, quantumuis frequentes eliciantur, quicquid contrà sentiant non ignobiles *c* auctores. Nihil hic ego assero de habitibus supernaturalibus, nam dispar est eorum ratio, quæ à causis naturalibus sunt, & quæ ab extraordinaria Dei benificentia, supra naturę statum operante. Nec mireris, lector, si cum te hac de re *d* supra monuerim, hic iterum docefaciam; nam res est minimè negligenda, & hic maximè malè mihi probaretur, si quis vellet de supernaturalibus ex natura ratiocinari.

c Scotus Gab. Dur. & alij in 1. dist. 17.

d Hoc eod. cap.

2195 Da mihi igitur hominem, qui operando actus, vt quatuor, longa repetitione eorumdem habitum ad parem intensionem perduxerit; is, si pergat operando, vt quatuor, habitum conseruabit, maioris verò intensionis nunquam faciet.

2196 Sed num aliquid operando acquiret? Aio nihil amplius, quam cum calido vt quatuor admouetur agens calidum vt quatuor. Non probo quod quidam commenti sunt, paribus actibus addi modum quendam habitui, merum scilicet figmentum est, vbi nulla ratio modum probat.

2197 Quod verò dicunt alij, eum, qui habet habitum intēsum, vt quatuor, frequentando actus paris intensionis, fieri magis dispositum ad eliciendum actum intensiorem, admitti potest, dummodo velint, nihil addi pro maiore dispositione; sed solum conseruari habitum, iam acquisitum. Scilicet negare nemo potest, quin sit magis dispositus ad actum, vt sex is, qui habet habitum intensum vt quatuor, quam qui omni prorsus habitu caret, sed pro hac maiori dispositione satis est, si habitus vt quatuor conseruetur, & hoc est, quod præstant actus æqualis intensionis.

2198 Quamuis nullus sit actus, qui habitum producat tantę intensionis, quantę ipsemet est, scilicet *e* quia ad habituum generationem plurium actuū frequentatio ordinata est; potest tamen esse actus aliquis intensionis tantę, vt habitum producat non paris, sed eius intensionis, quę iam habere possit habitus

e Ex Arist. lib. 2. Ethic. cap. 1 & 2. & lib. 4. cap. 2.

bitus rationem. Et in hoc ſenſu ſi quis contendat, habitum aliquando ex vnico actu naſci; non renuo. Re tamen vera in eo caſu perfectus habitus nō eſt, ſed ſolum, quia magna eſt incohatio, dici de eo, qui ſic operatur, poteſt, dimidium facti habere, quia bene cœpit.

2199 Cum habitus per actuum repetitionem iam factus eſt, operatur, vt dixi, ſimiles actus ijs, ex quibus ipſe perfectus eſt. Negant *a* aliqui ad huiuſmodi operationem concurrere habitum efficienter. Addit *b* alius, eſto aliquid efficiat, quod ſpectet ad modum actus, nihil certè efficere, quod ſpectet ad ipſam actus ſubſtantiam. Placet tamen *c* ſententia, quæ magis communis eſt, & primorum auctorum, cum quis ex habitu operatur concurrere effectiuè habitum ad ipſam actus ſubſtantiam ſecundum eam totam intenſionem, qua actus habitui reſpondet.

a Dur. in 3. diſt. 23. q. 4. Aur. apud Capr. in 1. diſt. 17. q. 1. a. 2. & alij.
b Goffredus apud Suar. diſp. meta. 44. Sect. 6.
c D. Tho. 1. 2. q. 49. a. 3. & Thomiſtarum communiter, etiam Nominalium.

2200 Docet experientia, quamuis habitus, benè firmati in potentia, difficilè indè remoueantur, remoueri tamen, & ab habitu tranſitum fieri ad priuationem ſiuè quis exerceat actus cōtrarios, ſiuè diſparatos, ſiuè plane ceſſet.

2201 Hinc aliqui veniunt in ſententiam, triplicem eſſe poſſe cauſam huius amiſſionis, ſcilicet introductionem habitus contrarij, introductionem habitus diſparati, & ipſam ceſſationem, Malunt alij, eſſe ſolum illas duas priores, quia ceſſatio, cum ſit non ens, non videtur poſſe eſſe cauſa corruptionis. Ego ſentio, duas eſſe, ideſt ex his tribus aſſignatis, primam, & tertiam; Expellit enim formaliter habitus contrarius contrarium, diſparatus non item, ſed cum ſe quis in actibus diſparatis exercet, habitum propterea amittit, quia ceſſat ab ijs actibus, ex quorum frequentatione conſeruaretur.

2202 Neq; verò vt per ceſſationem habitus corrumpatur neceſſe eſt, ceſſationem eſſe cauſam realem. Eſt.n. hæc habituum natura, vt pendeant in ſui cōſeruatione ab actuum frequentia ſicut in ſui productione, & hoc eſt quod non obſcurè indicauit Ariſtoteles, *d* vbi dixit, ſcientiam amitti per obliuionem, & *e* alibi, vbi ſentit ex communi conſenſu, amicitias per abſentiam inteſcere, quin etiam diſſolui (multas enim amicitias diſſoluit inaffabilitas.)

d De longit. & breuit. vitæ cap. 2.
e Lib. 8. Ethic. cap. 5.

2203 Fateor ſi breuis ceſſatio ſit nullum apparere habitus decrementum, ſed cum idem appareat ex diuturna, ſatis hoc ipſum indicat, etiam ex breui aliquod fieri.

VIRTVTES Intellectuales, & Morales.

CAP. VII.

2204 LONGAM de virtutibus singulis disputationem moralibus Philosophis Theologi præripuere. Ego ab his nihil repeto, quin etiam placet in antiqua possessione permanere, quia quãuis Ethnici Philosophi multa, & præclara de virtutibus tradiderint, nos tamẽ longè melius in ijsdem instituit Christiana disciplina, cuius professores, ac magistri Theologi sunt. Dicam igitur solum in vniuersum de virtutibus, ne hanc enim verò præcipuam moralis philosophię partem videar neglexisse. Licebit fortasse aliàs etiam Theologis operam dare, & pleniorem afferre de virtutibus tractationem.

2205 Virtutis nomen non vna ratione accipitur sed angustè aliquãdo, aliàs latius, mox medio quodam modo, qui est ad rem nostram magis. Primò tribuitur Deo; in quo cũ sint omnia bona cumulatissimè, etiam virtutes inerunt, & quidem eo meliores, quo est ipse Deus melior rebus omnibus.

2206 Sed longe diuersa est ratio virtutũ diuinarũ ac nostratiũ, sunt.n. q̃ in Deo sunt, ipse Deus, sunt quæ sunt in nobis, additę qualitates, & accidentia, siq; hæ cum illis comparentur, sunt potiùs imitationes quędam, atq; vmbrę virtutũ, quã virtutes ipsę, sicut omne ens, cõparatione primi entis, habet potius nõ entis rationẽ, quã entis. Vt optimè dixerit alicubi diuinus *a* Theologus ex contẽplatione virtutũ creatarũ ignorari potius diuinas, quã cognosci.

a S. Dionys. Areopag. de Diu.nom.ca.7. nec absimilia Plato in Parmenide, & in Theæteto.

2207 Latius accipitur virtus, cũ animantibus tribuitur, ratione carentibus, & verò tribuitur aliquando, non solum quà virtutis nomen significat faculta-

tem

tem agendi, sed etiam quà significatur certus aliquis agendi modus, quo illa humanas virtutes imitantur. Sunt (inquit *a* Aristoteles) in pluribus animaliũ, vestigia morũ animi humani, inest vrbanitas, feritas, clementia, acerbitas, fortitudo, ignauia, metus fidẽtia, quin etiam prudentiæ imago inest multis; & vt in homine ars, sapientia, prudentia, sic in nonnullis brutis inest vis quędam eiusmodi altera naturalis.

a Li. 8. de Hist. anim. cap. 1.

2208 Cœterũ virtus cõmuniter dicitur, quæ in homine est cõpote rationis. Est verò multiplex, sed vt alias distributiones prætermittã, quæ exercitatione nauraliter acquiruntur, aliæ intellectuales dicuntur, aliæ morales. Vtrisq; ea est cõmunis descriptio, quã D. *b* Thomas habet: Virtus est habitus mentis operatiuus, perfectus, creaturæ rationali conueniens.

b 1. 2. q. 55. a. 4. & q. 56. a. 2. & 5.

2209 Habitus dicitur operatiuus, vt intelligas, esse eundem operationibus acquisitũ. Dicitur esse in mẽte, idest in ratione, siuè p essẽtiã, q est intellectus, siuè per participationẽ, qui est appetitus, cuius vna pars, quæ proximè intellectum sequitur, dicitur rationalis, alia, quæ non ità proximè, sed apta tamen est per voluntatatis imperium ratione dirigi, dicitur sensualis.

2210 Dum dicitur hic ipse habitus perfectus, excluduntur à ratione virtutis habitus, si qui sunt in sensibus, de qbus rectè idẽ D. *c* Thomas adnotat, esse imperfectos, quia nõ ipsi per se suũ opus consumãt, sed operantur, vel vt excitetur appetitus sẽsitiuus, vel vt intellectus doceatur. Operantur igitur gratia alterius operationis, ad quam naturali quadam institutione ordinati sunt, veluti vię ad terminum.

c Cit. q. 56. a. 2. & 5.

2211 Nec verò idem dixeris de operatione intellectus, quasi ea pariter ordinetur ad appetitum rationalem excitandum, sicut ordinatur sensus ad appetitum sensitiuum. Nulla enim isthęc est paritas pro re pręsenti, cum possit esse actus rationis speculatiuæ, qui ad voluntatem non ordinatur, & ille ipse, qui ordinatur in genere cognitionis perficiatur in ipso intellectu.

2212 Vltima eiusdẽ descriptionis particula distinguit virtutes à vitijs: Sunt videlicet vitia habitus mẽtis, operatiui, perfecti in suo genere, sed minimè cõuenientes naturæ rationali, quia vel discordãt à verò, vel ab honesto. Hoc ergo differt ab ijs virtus, qa naturę hominis, qui à homo est, maximè congruit.

2213 Et verò si quis dixerit, *d* viuendum esse secundum naturam, sapienter dixerit, & cordatè; rectum enim, honestumq; in appetendo, verum in cognoscendo sunt, quæ hominis naturam apprimè condecent.

d Quod sæpe Cynici, et Stoici vsurpant.

2214 Generica hæc virtutis ratio ea est, quam dixi, tributã esse in duas species, idest virtutes intellectuales, & morales. Videtur hæc diuisio facta ex subiecto, insunt enim intellectuales intellectui, morales appetitui; Sed fallax hæc regula est, nam datur prudentia, quæ inter morales virtutes recenseri solet, & tamen in intellectu est, tanquam in subiecto.

2215 Dixeris ergo melius, intellectuales eas esse quæ faciunt operantem benè, morales illas, quæ faciunt operantem bonum. Sed de habitibus mentis ex occasione dictum est à me *e* sæpius, pauca addo de moralibus.

e Lib. 1. vbi de Habitu Logicæ & principiorũ & lib. 2. vbi de Habitu physs. & Metaph.

2216 Morales ergo virtutes dant benè operari, & prætereà talem operationis vsũ, vndè ipse operãs dicatur bonus, & bonus simpliciter. Has ab effectu dicuntur

dicuntur definiuisse Eudoxus, & Epicurus, esse videlicet constantes dispositiones eliciendi ex vnoquoq; congruentẽ voluptatem. Fateor, maximas, easdemque optimas animi oblectationes nasci ex operatione virtutum moralium; Sed non placet hæc descriptio, nam voluptas, etiam non negligenda percipitur ex operatione virtutum intellectualiũ; Quare cum sit effectus cõmunis, nõ benè nobis monstrat virtutũ moraliũ naturã, quatenùs ab intellectualibus differunt. Paulò expressiùs hunc effectum indicat *a* Plato, vbi habet, virtutem esse gaudere honestis.

a In Menone, vel de Virtute.

2217 Ne ergo ab Aristotele vel latum vnguem recedam; sic *b* ille philosophatur incipiens à magis vniuersalibus, vt deueniat tandem ad propriam virtutis moralis rationem, ac speciem: Omnis (inquit) virtus & ipsum, cuius est, benè affectum reddit, & opus eius benè efficit. Accommodari hoc potest ẽt ad habitus intellectuales, nisi determinetur, quæ sit illa bona affectio habentis virtutem, scilicet habitus artis v.g. benè affectum reddit artificem ad operandum, & causa est rectitudinis in opere artificiato.

b Lib. 2. Ethic. cap. 6.

2218 Progreditur ergo Aristoteles, aitq; eam bonitatẽ, quã homo à virtute habet, in eo esse, vt mediũ attingat, vel rationis, si sit operatio ex virtute, quæ circa pturbationes cõponẽdas versatur, vel rei, si sit ex virtute, quę ad aliũ est.

2219 Distinctè explicandum ad hanc rem fuit duplex medium, quod inter duos excessus est. Aliud est medium arithmeticũ, quod æqualiter distat à duobus extremis altero deficiente, altero excedẽte; aliud est mediũ geometricũ, quod nõ secundum æqualitatem distantiæ, sed secundum similitudinem comparationum spectatur inter duo extrema: Vtriusque medij contemplatio necessaria fuit pro speciebus virtutum moralium.

2220 Concludit tandem, quæ sit virtus moralis, quomodò faciat habentem bonum: Virtus, *c* inquit, est habitus electiuus in mediocritate consistens, quantum ad nos, quæ quidẽ mediocritas ratione pręfinita sit, atq; ità vt prudens præfiniret, mediocritas autem duorum vitiorum, alterius per excessum, alterius per defectum, siuè in affectibus, siuè in actionibus.

c Eod. cap. 6. l. 2. Ethic.

2221 Intellige in his, duo hominis munera esse, quę cũ rectè peregerit, tunc demum simpliciter bonus dici debet. Primũ est, vt se sibi componat, idest affectus, & animi perturbationes secundum regulas rectæ rationis; alterum est, vt se etiam componat alijs, idest secundum easdem rectę rationis pręscriptiones operetur in ordine ad vitam ciuilem.

2222 Hæc duo faciunt hominem benè moratũ ipsaq; hæc sunt studia moralium virtutum. Agendi regulas pędocet Prudentia, sine qua nulla virtus, virtus est; affectus componunt ex medio rationis, Fortitudo, & Temperantia; actiones dirigit Iustitia.

2223 Hæc, pro vt virtus est, seruat medium rationis; omnis enim virtus, vt modo retuli ex Aristotele, in mediocritate consistit quoad nos, sed pręterea, prout talis virtus est, non in affectibus, sed in actionibus dirigendis posita seruat medium rei, in quo obseruat aliquandò arithmeticam proportionem, vt ferè contingit in actibus commutatiuę iustitię, aliquandò geometricã, vt ferè in distributionibus. Sed spectant hæc ad particulares virtutes, ad quas propositum

positum est non digredi, ne munus suscipiam ætati impar, solum aliquid Leuiter adumbro de virtute heroica.

2224 Mirum est, in quantam dignitatis sublimitatem homo, virtutum fulcris, euadat. Creditum est ab antiquis, proximè accedere ad Deos, quos illi impiè plures venerabantur; Sed non stultè creditum est, in virtutum studio esse quandam diuinæ naturæ imitationem; ratione cuius homo, humano fastigio celsior, ac sublimior haberi, diciq; possit. Heros dicitur, nomine augustissimo, cum progressus in virtute habuit non pœnitendos, & auctore *a* Platone dignus, cui cultus, quasi terrestri Deo, exhibeatur.

a Ex Ficino arg. in Dial. 4. de leg.

2225 Ex hac non vulgari dignitate factum est, vt philosophi tam multa de Heroibus tradiderint, quibus opinio apud populares excitaretur, vt de re minimè populari. Dixere, vitam Heroes agere in sublime aere, quia nimirum altè se ipsi, & supra mensuram reliquorũ mortalium ipsa virtutis sublimitate, & excellentia subduxerunt; Dixere genitos ex Dijs, quia non sine præsenti diuini numinis auxilio tantùm proficiunt humana studia. Cœterùm Heroes sunt homines popularium similes in natura, sed præstantes in moribus, & vitę laudibus.

2226 In aliud extremũ abeunt qui vitijs deditam vitam ducunt, scilicet sensim deficiunt ab homine, & magis efferati, digni censentur tandem, qui non inter homines viuant, sed in Tesqua ferarum amandentur.

2227 Hinc *b* Aristoteles heroicę virtuti feritatem è regione opponit, ad quã non per multos gradus descensus est vt idem asserit: Rerum circà mores fugiendarum tres sunt species, vitiũ, incontinentia, feritas. Reuocat á vitio virtus, ab incontinentia continentia, à feritate verò heroica virtus, vt sit ab extremo transitus ad extremum &c.

b Lib. 7. Ethic. cap. 1.

2228 Hinc rursus enatę fabulę de prodigiosis monstris Minotauris, lapripedibus, & hausta è Circæis poculis feritate; Nec fabulę solum, sed etiam philosophorum non obscuri nominis pronunciata, migrare animas ex hominum corporibus in immanes bestias, acturas ferinam vitam. Allegoricus hic transitus est, cum quis ab honestate degenerat; feritas est, quę à vitiorum immanitate est; & male compositi mores sunt, qui monstrum efformant interprete *c* Proclo: Quid, inquit, admiraris multos mortalium bruti specie circumfusos, cum terrena statio Circes diuersorium sit, animęq; ob immoderatam concupiscentiam venenatis poculis alliciantur.

c Lib. de Anima, & Dæmone.

2229 Quid verò sit, quę virtus heroica dicitur, quid feritas contrarium vitium, non planè liquet. *d* Aristoteles uidetur sentire, eam non esse virtutem, sed quid virtute diuinius, neque hanc esse vitium, sed aliquid vitio immanius.

d Eod. 7. Ethic. cap. 1.

2230 Innuit opinor, quod viderat fabulis traditũ, heroica virtute Deos fieri, in quibus humanę virtutis est solum nomen, ratio verò longè pręstantior; feritate autem fieri belluas, in quibus humana vitia nomen habent, sed æquiuocè, vitia sunt. Satis verò hæc ipsa ostendunt, heroicæ virtutis statum non esse situm in mediocritate virtutum; sicut nec status feritatis in mediocritate vitiorum situs est.

2231 Sed virtutis moralis statũ suprà mediocritatẽ maximè extollit gratia

diuinum

diuinum donum, & supra omnem naturę beneficientiā, item finis, qui suprà naturam est, Deus in ęterna beatitate coram videndus, idemq; Deus, qui virtutis ipsius materia, & obiectum sit. Et in hoc sensu tot numerat Catholica Religio veros, perfectosq; Heroes, quotquot diuina gratia adiuti in virtutibus, quę Theologicę dicuntur, vel in alijs, quę dicuntur morales egregia nobis ad imitandum exempla prębuerunt.

2232 Si tamē posthabitis sacrosanctis Theologorum arcanis, ex veteri philosophia de virtute heroica philosophari velimus, aio, non esse eam vnam aliquam, certamq; virtutem, sed multarū communitatē, inter quas vna, vel plures, ex ijs, quę maximè in vitę societate cōmendantur, suo se lumine prodant.

2233 Commendantur verò maximè, & meritò quę laboriosę sunt, & rem vtilem prębstant in re publica, vt iustitia, & fortitudo. In sapientia virtutis heroicę imitatio quędam est, qua excellit, sed *a* re vera heroes agendo magis, quam commentando fiunt.

a Vt bene Piccol. Grad. 6. c. 4. suæ Ciuilis Philosophiæ.

2234 Magni animi virtus, quæ Magnanimitas dicitur, si cum ea virtute cōparetur, quæ est in honesta appetitione honoris mediocris, speciem quandā habet heroicę virtutis; Sicut si munificentia cum liberalitate comparetur pro ea proportione, quam *b* Arist. auctore, illa ad eam habet, hæc ad hanc.

b Lib. 4. Ethic. cap. 2. & 3.

2235 Re tamen vera, & magnanimitas esse potest, & munificentia; quæ ex defectu exaggeratæ cuiusdam perfectionis heroicæ non sint; itemq; mediocris honoris appetitio, & liberalitas, quę meritò inter heroicas adnumeretur.

2236 Nec verò mihi probantur, qui sentiunt, virtutem, cum heroica dici meruit, mutasse speciem, & immeritò hæc sententia à *c* quodam adscribitur Diuo Thomæ, Audi conceptis verbis pronunciantem heroicū virtutis gradum esse à perfectione non ab immutata ratione, ac natura: Habitus heroicus, *d* inquit, non differt à virtute communiter dicta, nisi secundū perfectiorem modum, in quantum aliquis est dispositus ad bonum quoddam altiori modò, quam communiter omnibus competat.

c Piccol. Grad. 6. cap. 5.

d 3. p. q. 7. a. 2. ad 2.

2237 Nec modus huius virtutis est, vt longè à se omnes animi perturbationes abegerit, vt *e* nōnulli opinati sunt; quomodo enim id fiat, aut sine vitio fiat, cum perturbationes virtutum semina sint, ex quibus virtutum prouentus enascitur?

e Euistratius, et alij quidam in 7. Ethic.

2238 Non igitur amet Heros Stoicam apathiam, sed passionum tēperiem, ac moderationem, ex qua, veluti ex arboribus, cum inutiles rami amputati fuerint, poma legantur, Hesperidū delicijs potiora. Et verò hinc habes necessariam animi culturam, si inde tam bonę fruges prouenturę sint *f* Qui serere ingenuum volet agrum, liberat arua prius fruticibus.

f Boetius li. 3. de Cōs. Philos. metro 1.

2239 De fęmina dubitatū est, an ad Heroicā virtutē possit aspirare votis non irritis. Porrò iniquè cū ijs ageretur, si malè viuendi consuetudine possent efferari; id, quod & sępè euenit, & facilè pro sexus impotentia; & tamen vita proba nunquam ad apicem heroicę virtutis peruenirent. Aio igitur nulla ratione excludēdas esse mulieres à virtutis heroicę acquisitione, ac possessione, si in ijs moralibus virtutibus, q̄ eū sexū maximè illustrāt, suprà mediocritatem profecerint. Nec verò desunt in historijs illustrissima exempla *g* Heroinarum.

g Apud Plut. in opusc. de Virtutibus mulierum.

BONORVM

BONORVM Genera.

CAP. VIII.

2240 BONVM *a* est, quod omnia appetunt. Ampla hæc boni descriptio complectitur, siuè quid verum bonum sit, siuè apparens, vtrumq; enim aptum est, mouere appetitum, qui à præuia cognitione, quasi manu, ducitur. Sed quia in hac appetitione exitus quidam appetentis est extrà se ipsum in rem, quã appetit, vt cõprehendat amatam, speratãq; nascitur hinc alia boni diuisio in formale, & *b* obiectiuum.

a Ex Arist. l. 1. Ethic. c. 1.

b Ex D. Tho. 1. 2. q. 3. a. 1.

2241 Obiectiuum dicitur res, quæ appetitur, formale ipsa possessio. De obiectiuo hic loquor; facturus sum .n. quandam bonorum enumerationẽ prius in vniuersum, mox etiam in particulari, vt inueniam tandem, quod sit summum illud bonum, ex cuius possessione naturalis beatitudo est.

2242 Celebris bonorum partitio est in vtile, iucundum, honestum; Nata est ex consideratione finis, qui per se ipsum amatur, & cuius gratia aliquid aliud ad ipsum preuium. Quod ergo ità amatur, vt ordinetur ad alterũ acquirendum, vtile dicitur, quod amatur vt vltimus terminus huius particularis amoris, vel delectabile, vel honestum est, vel delectabile, & honestum simul.

2243 Sæpè est cum honestate coniuncta difficultas, quę aliquam tristitiam sensui potest ingerere, vndè videtur minui ea iucunditas, quam *c* omne honestum, quà honestum, semper habet adiunctam.

c Ex Arist. lib. 1. Rhet. c. 9.

2244 Iucundum ab honesto sępissimè separatur, si in ea stemus locutione, quã (inquit *d* Aristoteles) absolutè iucunda dicuntur ea, quæ corpus oblectant. Hinc est, vt amor iucundi, ac delectabilis, malè audiat, apud modestos, ac temperantes.

d Lib. 7. Moral. ad Eud. c. 2.

2245 Quoniã verò eodẽ *e* Arist. auctore ea solũ preciosa, ac iucũda re uera sunt, quæ viro probo videntur esse talia, in hoc sensu raro, vel numquã iucundũ reperias, quod idem honestum non sit. Habet ergo honestas iucunditatem

e Lib. 10. Eth cap. 6.

adiunctam, iucunditas honestatem; distinctio, tamen est harum duarum boni partium, quia potior est honestas, & ferè præit.

a Ex Arist. li. 1. Moral. ca. 7. lib. 7. polit. c. 1.

2246 *a* Partitio item vniuersi boni facta est in bona fortunæ, naturę, animi: Partitionis ratio est in ordine ad principia proxima, à quibus bona pendent. Omnia, quęcunq; bona sunt, à Deo bonorũ omnium largitore sunt, sed accõmodata quadam ratione, quædã, quæ extrà nos sunt, à fortuna esse dicuntur; alia à qualitatibus naturę, cuius vis maximè spectatur in corpore, alia à qualitatibus eiusdem naturæ, cuius vis potior spectatur in animo. *b* Fit alias partitio duplex, vt quędam dentur bona externa, alia interna, prout videlicet extrà nos fuerint, vel in alterutra nostri parte.

b Ex Arist. lib. 2. Mor. ad Eud. cap. 1.

2247 Illa ipsa, quæ dicuntur externa bona, si humana bona sint, necessariò aliquem nexum, vel cum hominis corpore habent, vel cum animo. Ad corpus referuntur Nobilitas, Diuitiæ, Fœcunditas, & si quæ sunt similia; Ad animum, Honor, Fama, Gloria, Amici. Corpori magis intima sunt Sanitas, & Pulchrido; Animi magis propria, Habitus, Operationes. Voluptas bonũ est corporis magis, quam animi, prout sequitur operationes sensitiuas, sed eadem animi magis, quam corporis, prout sequitur operationes rationales.

2248 Sed in hoc bonorũ censu, complura esse comperias, quorum anceps est vsus; videlicet sæpè in bonum, sed etiam sæpè, aut fortasse sæpius in malũ cedunt. Quã multis diuitię, sanitas, pulchritudo, honor, ea pepererunt incommoda, quæ in paupertate, in morbo, in forma vulgari, in obscuriori nomine non pertulissent?

2249 Dubites ergo, bona ne hęc dicenda sint, an mala, an neutrũ, an vtrũq;. Sententia *c* Stoicorum est, solũ honestum esse bonum, quod. s. nunquã malè vertat. Mihi tamen vera est sententia Peripatetica, etiam quæ ancipitis sunt vsus, bona esse, & bona dicenda esse absolutè.

c Sæpè tractata à Seneca, & ex professio epistol. ad Lucil. 77. & 88.

2250 Bonum est terminus analogus, ipsaq; analogiæ ratio fert, vt non omnes boni partes pariter bonæ sint. Dederim ergo libens Stoicis, primam boni partem, & quod dicitur primum analogatum, esse in honesto; sed cur non ipsi mihi dederint vicissim bona esse, quę ad honestum conferre possunt, qualia sunt vtilia; bona item esse, quę ex honesto nascuntur, qualia sunt iucunda? Aiunt vtilia esse boni instrumenta, iucunda esse boni fructus. Sit ità sanè; Sed cur ipsa boni instrumenta bona non sint, ipsique fructus non boni?

2251 Iam quod spectat ad singularia bona. Diuitiarum summam facit alicubi *d* Arist. vbi ait, sitas eas esse in nummis, agris, prædijs, suppellectili, brutis animalibus, mancipijs, horumq; multitudine, magnitudine, pulchritudine. Vno omnes nomine dicuntur *e* instrumenta ad vitam necessaria quatenus sub nostra possessione sunt.

d Lib. 1. Rhet. cap. 5.
e Ab Arist. l. 1. Polit. c. 3.

2252 Diuidi autem potest hoc veluti genus bifariã, nam sicut vulgò dicta instrumenta, quędã animata sunt, vt seruus alia inanimata; ità diuitiarũ bonũ partim in rebus sensu, & vita carẽtibus, partim in viuẽtibus, & animatis stat.

2253 Diuidi etiã diuitię possunt, partitione itẽ *f* Aristotelica in naturales, & artificiales. Naturales sunt, quæ ad hominis vsum, amplamque possessionem ex terra, seu animalibus, proueniunt; tametsi non sine artis adiumento,

f Ex 1. Polit. cap. 6.

mento,cultuq;. Artificiales sunt, quas ars molitur. Nummi, & serui meliùs censentur inter artificiales, quam inter naturales diuitias; lege enim magis fiunt, quæ ars quædam est, quam natura.

2254 Diuitiarum bonum in vtili situm est, ergo mensura bonitatis ex bono, ad quod bonæ sunt, accipienda est. Vera illa *a* Aristotelis: diuitijs viam fieri ad honores, muniri nobilitatem. Vera etiam illa *b* Platonis, ijsdem vti aliquem posse ad iustitiam, & probitatem. Sed caueat quisq;, ne in rei ancipitis vsu improbus fiat; sic enim & nobilitas obscurari potest, & honoris iactura fieri.

a Lib. 1. Rhet. ca. 5. & lib. 4. Ethic. c. 3.
b Dial. 1. de Rep. vel de iusto.

2255 Instrumenta sunt hæc, vt dixi, sed sæpè etiam impedimenta, cum modus, vel in appetendis, vel in condendis nō adsit, vt benè ex similitudine aliorum instrumentorum, quę nec magnitudine, nec multitudine infinita esse debent, *c* Aristoteles probat.

c Lib. 1. Polit. cap. 5.

2256 Alterum è bonis, quæ fortunæ dicuntur, est bona proles. Inter externa hoc numeratur, & fortunę dicitur, sicut alia plura bonorum genera, quia habere, vel tueri in nostra potestate situm non est. Prolis nomine veniunt ijdem, qui filiorum, aut liberorum, *d* filij, filiæ, nepotes, neptes, & omnis illa posteritas, quam ex se prognatam quis videt. Et verò sicut in partem miseriæ referri solet, si cui posteritas, vel nulla sit, vel improba, ità in partem fœlicitatis meritò retulit *e* Aristoteles posterorum copiam, & honestatem.

d Ex ff. de testamentar. tutela. l. si quis ità & eo. tit. l. quid si.
e L. 1. Ethico. cap. 11.

2257 Nobilitas item externum bonum est. Multiplex distingui hæc solet, alia dicitur diuina ex splendore eorum bonorum, quę Deus alicui contulerit: sic homo nobilissimus est omnium animantium, & inter homines, nobilissimi sunt viri sancti. Alia dicitur moralis, quæ nascitur ex splendore virtutum, Alia naturalis, quæ nascitur ex splendore natalium, alia denique fortunæ, quæ nascitur ex splendore diuitiarum, quæ, quamuis non sola sint fortunæ bona; magis tamen communiter nomine bonorum fortunæ, quia eas maximè casus versat, intelliguntur.

2258 Contentio est inter Peripateticos, & Stoicos, quę ex his quatuor sit vera nobilitas. Facilis est definitio, veram esse quamlibet ex ijs. Nam nobilitas est, quasi noscibilitas, idest lumē aliquod, vndè homo innotescit; Negari enim non potest, quin homo, & ex nobilibus Dei donis, & ex splendore moralium virtutū, & ex maiorum claritate, & ex copia diuitiarum clarus, ac notus fiat.

2259 Si tamen in ea contentione quęrat, quę sit ex his quatuor ea, quæ vulgò intelligitur nomine nobilitatis. Respondent Stoici, esse moralem; respondent Peripatetici esse naturalem. Sentio cum Peripateticis.

2260 Rectè autē *f* describitur hæc nobilitas: Generis virtus, & maiorū claritas. Indicatur in hac descriptione, quid dicat nobilitas in maioribus, ex quibus is, qui dr̄ nobilis, prognatus est, quid eadē dicat in ipso nobili prognato.

f Ex Arist. lib. 2. Rhet. ca. 15. lib. 3. Polit. ca. 8. & li. 5. c. 1.

2261 Dicit in illis nobilia facta, artes ingenuas, magistratus gestos, pręclara quęq; facinora domi, forisq; quę cum quadam sanguinis generositate coniūcta sunt, pro ea habitudine, quam animus habet ad nobilia studia ex integra, & non vitiata complexione sanguinis, itemq; cum quodam lumine notitię, & celebrioris famæ, quæ nasci solet ex illis generosis factis.

2262 Dicit eadem in viro nobili eius generosi sanguinis deriuationem per naturalem generationem,& in eo coniunctionem cum maioribus,ratione cuius particeps est eorundem claritatis.

a Lib.1. de Histor. Anim.c.1. & l.2. Rhet. cap.15.

2263 Distinguit alicubi *a* Aristoteles nobiles à generosis, & censet nobiles dici,qui ex nobilibus nascuntur, generosos verò, qui à nobilibus non degenerant. Fateor,nō raró accidit id, quod est apud Homerum,vt filij dissimiles patrum sint, & nascantur ex probis improbi; Sed dum quis nihil adhuc operatur vndè splendor generis obscuretur, idem dici nobilis, & genesus potest, ob eam sanguinis deriuationem, quam dixi, & communionem claritatis.

2264 Hinc habes cur nobilitas dicatur externum bonum, & spectare ad corpus magis, quam ad animum. Dicit enim in viro nobili illam sanguinis generositatem, quæ ad corporis temperamentum spectat, & dicit præterea maiorem splendorem, qui licet cum viro nobili habeat aliquam coniunctionem, media relatione, quà ipse dicitur esse quid suorum maiorum; extrinsecus tamen est; sicut ipsa maiorum facta ex quibus ille splendor redditur.

2265 Habes pariter, si filij patrum studia imitentur, fieri illis nobiliores, fit enim addito nouo lumine maius generis iubar.

2266 Multum faciunt militares artes ad incrementum nobilitatis, vbi nobilis ijs cum laude defungatur; Etenim militiæ studia nobilia sunt,ipsumque nomen dignitatis cuiusdam speciem præ se tulit quodam in militari cingulo,quo insignita,& à reliquis discreta est.

2267 Sed nihilo minùs ad idem incrementum faciunt studia literarum, si se quis illis dedat, non ad quæstum,sed ad intelligentiam præclara rerum notitia imbuendam,& ad publicam præstandam operam in his,quæ rei publicę administrationem attingunt proximè.

b Felyn. in c. quanto. de Magistris. ex Bar. in proem. ff.

2268 Ais,vtra sint nobiliora studia militiæ, an literarum, vter cæteris paribus dignitate præstet,Miles,an Doctor. Longam postulas quæstionem. placet tamen *b* breuis decisio in militaribus prę ire militem, in literarijs literatum virum, in ancipitibus hunc eundem, quia nobiliora sunt pacis studia, quam belli.

2269 Honor item è bonis externis est, si in vera eius acceptione conueniamus,inuoluit enim tria,idest virtutem,qua quis dignus est,qui honorificè accipiatur,virtutis opinionem in ijs,qui honorem, delaturi sunt, & huius eiusdem opinionis indicium per actiones externas, quibus honor deferri dicitur.

2270 Ex his verò tribus, quamuis nullum desiderari debeat ad honoris veritatem,primum locum habet externa illa significatio interni iudicij de alterius virtute, prout exhibetur ad ipsius virtutis encomium, & meritum præmium.

c Ex Arist lib. 8.Ethi.c.4.

2271 Hinc honor rectè dicitur *c* virtutis præmium. Multum verò facit ad honoris excellentiam, si is,qui defert publica persona sit,in cuius iudicio totius communitatis iudicium situm, aut si persona priuata fuerit, fuerit

fuerit iudicij non vulgaris, ſed eximiæ prudentiæ. Hinc eſt, vt qui honore gaudet, tunc demum honorem magni faciat, cum ab honorato viro prodit; quod enim rectè quis amat, eſt propria virtus, vt admonet *a* Ariſtoteles, gaudebit igitur illa ſignificatione virtutis, quæ quia à viro prudente eſt, creditur non eſſe mendax.

a L. 1. Ethic. c. 5. l. 8. c. 8. & alibi.

2272 Hac habita honoris notione, complures quæſtiones definiuntur; ſcilicet eſſe bonum externum, & in honorante magis, quam in honorato. Illa enim ſignificatio virtutis in ſignificante eſt, & rationem honoris habet, prout prodit ab interno iudicio, quod pariter in illo eodem eſt.

2273 Conſtat item, cur honor magis ad animum ſpectet, quam ad corpus; Quãuis n. ſæpè corporis virtutes laudẽtur; honor tamẽ debetur animo, cũ virtute præditus fuerit, & corpus tunc verè laudatur, cum pulchrum hoſpitium fuerit animi pulchrioris.

2274 Magnũ virtutis præmiũ eſt honor, qui rectè ab *b* Ariſt. dicitur maximum bonorũ externorũ, ſed idẽ eſt minùs meritò, vt benè idẽ vidit, quia vix vllum reperias præmium virtuti par ex his, quæ homo homini cõferre poſſit.

b Lib. 4. Ethic. cap. 3.

2275 Debetur hoc præmium cuilibet virtuti; homines tamen eas venerantur, coluntq; magis, quæ maioris ornamenti ſunt in vita ciuili, magisq; aptæ ad rem publicam. Hinc aliquandò dictus eſt ab *c* Ariſtotele honor virtutis beneſactiuæ iudicium, ſiuè malueris indicium.

c Lib. 1. Rhet. cap. 5.

2276 Affinia honori ſunt exiſtimatio, fama, gloria, laus, encomiũ, & ſi quæ ſunt alia ſimilia; Diſtinguuntur tamen, ſi in rigore agamus. Exiſtimatio dicit internum aliorum de virtute iudicium, quæcumq; tandem ſit exterior ſignificatio, ſiuè illi iudicio conformis, ſiuè nulla.

2277 Fama eſt abſentis nomen cum laude celebratum ob aliquam excellentiam in facto, vel in ſpe monſtratam. Gloria ipſa fama eſt, ſed non ſemper abſentes celebrat; dicuntur enim glorioſi etiam præſentes, cum glorioſe eorum facta prædicantur, vndè dicitur *d* clara cum laude notitia.

d àD. Th. 1. 2. q. 2. a. 3. ex D. Auguſtino.

2278 Laus deniq; & Encomium quid ſint, & in quo differant, hic tradit *e* Ariſtoteles: Encomium eſt oratio facta, laus eſt vniuerſalia celebrans: Sunt videlicet hæc ſpecialia quædam virtutis præmia, ſed cum virtus & in habitu conſiderari poſſit, ſecundùm quem aliquis habet facultatem operandi, & in actu, ſecũdùm quem aliquis operatur de facto, Laus vniuerſaliori debetur, ideſt facultati operandi, Encomium magis ſingularibus, ideſt actionibus, quæ à virtute ſunt.

e Lib. 2. moral. ad Eud. c. 1. & l. 1. Ethi. c. 12.

2279 Hinc fit, vt Encomia de particularibus actionibus texantur; Laus verò maximè ducatur à facultate operandi. Prædicationem his adiungit Ariſtoteles, quam dicit in finem eſſe. Reor, eſſe hanc ipsum honorem, qui finis eſt laudum, encomiorum, gloriæ, famæ, exiſtimationis.

2280 Quod ſpectat ad bona corporis, ſanitas in primis eſt, de qua verum illud *f* Ariſtotelis: eſſe rem præſtantiſſimam; Et pro dependentia, quam animus à corpore habet in operando, dum in corpore habitat, vera etiam dici poſſunt illa *g* Hippocratis, vbi ait; neq; diuitiarum, neq; vllius alterius rei vllam eſſe vtilitatem citrà ſanitatem.

f Lib. 1. moral. ad Eud. cap. 1.

g Lib. de Dieta.

a Lib. 7.phyſ. t.17.

2281 Quid ea ſit pluribus alij tradunt,placet mihi deſcriptio *a* Ariſtotelis, ſanitatem hominis eſſe in humorum,qualitatumq; mediocritate. Mediocritatem intellige iuxtà eum ſtatum,quem hominis conditio poſtulat ad bonum eiuſdem habitum.

b Ex D.Tho. 1. p.q.39.a.8.ex Ariſtot. lib. 4. Ethic.c.3.

2282 Pulchritudo corporis bonum eſt,nec ſemper contemnendum, cum eius perfectio ſit, & inſtar habeat literarum commendatitiarum ad gratiam ineundã. Sita eſt in *b* tribus,ideſt in integritate corporis, ac iuſta magnitudine,in apta membrorum collocatione,ac proportione,in coloris ſuauitate.

2283 Si iuſta deſit magnitudo, nec abſint duo reliqua, elegantia quædã ineſt,ſed perfecta pulchritudo non item. Coloris ſuauitas lóngè ſuauiſſima redditur,ſicut & reliquæ duæ pulchritudinis partes, cum in ijs emicat morum ſplendor,quæ gratia dicitur,& plurimum in actione ſita eſt.

2284 Hæc gratia,quia gratiſſima tunc eſt, quando eſt cum pulchritudine adiuncta,dici ſolet paſſio quædam, & veluti proprietas pulchritudinis; re tamen verà ſeparabilis eſt,& ſicut repereri poteſt, qui pulchritudinis notis non careat,& deſtituatur gratia,ità reperias etiam nõ raro, qui gratiam habeat in agendo plurimam,& in quo præclarum ſit honeſti animi lumen;corpus verò malè dotatum ſit.

2285 Eſt gratia proprium hominis bonum inter res ſanſatas; picturæ enim, & bruta gratiam habent analogicè ex quadã imitatione humanarũ actionum.

2286 Quamuis pulchritudo ſit ſenſatum bonum, non quolibet tamen ſenſu percipitur,ſed ſolo viſu, & auditu, qui ſenſus ſunt magis ſpiritales, quam ſint alij tres externi,odoratus,guſtatus,tactus. Et verò cum ea in rebus creatis eluceat,vt quidam ſplendor increatæ pulchritudinis, decuit maximè, circà illam occupari nobiliſſimos ſenſus, quibus via ad mẽtem facilior eſt,ac patentior. Nimirum hac ratione animus in diuinæ pulchritudinis cõtemplationem facilius,ac citius eleuatur,in quem finem data fuiſſe à Deo homini creatæ pulchritudinis ſpectacula,teſtantur *c* ſapientes.

c Plotin' Enn. 1.lib.6. Marſi. in phileb Platonis l.1.c.5.et alij ex Platonicis.

d Ex Ariſt.l.1 Ethi.c.4.& 5.

2287 De reliquis bonis,de quibus aliqua maior controuerſia fuit apud antiquos,quid ſint,dictum eſt ſatis,atq; ideò nihil hic reſtat pro agnoſcendis ijs bonorum generibus,quæ ad animum ſpectant. Videndum potiùs eſt, an in aliquo ſit ſummum bonum. Nam non eſſe illud in diuitijs,in bona prole, in nobilitate,in honore,in ſanitate,in pulchritudine, exploratum cuiq; eſſe poteſt,qui adumbratam aliquam habeat finis vltimi notionem. *d* Scilicet omnia hæc bona referuntur ex natura ſua aliò, vt quamuis eſſe poſſint fœlicitatis inſtrumenta,ipſa tamen fœlicitas eſſe non poſſunt.

EPICV-

EPICVREORVM fœlicitas in voluptate.

CAP. IX.

2288 NVSQVAM non audiuntur quę sectatores Epicuri de uoluptatis bono proloquuntur, nusquā nō carpuntur, castigāturq; ijdem à modestis, ac seuerioribus de summo bono iudicibus. Ego tamē censeo uoluptatis naturā esse discendā prius, mox qualē laudauerit Epicurus, qualē deinceps alij, cognoscendum, qui suā impudentiā honesto Epicuri nomine defēdere uoluerūt, ne temere in uoluptuarios inuehamur. Nec uerò simile mihi ueri est, Eos omnes, qui inter uoluptatis laudatores censentur ità à recta ratione discordes abijsse, ut summum bonum in uoluptate collocantes fœlicitatem unam fecerint homini, brutisq; communem, refert.n. *a* Aristoteles, fuisse non neminem, qui ipsam hanc sententiam non magis oratione, quam uitæ probitate persuasit.

2289 Quid sit uoluptas, longa ratiocinatione persequitur *b* Aristoteles, & nominatim cum Platonicis agit, an sit generatio, aut motus, id quod *c* illi cōstanter asserebant. Placet Aristotelis sententia, motum propriè non esse, quia caret uelocitate, ac tarditate; nec esse propriè generationem, quia non est uia ad terminum, sed potiùs in termino quies, ut suprà *d* iterum à me dictum est: Est (inquit *e* Aristoteles) finis quidam superexoriens ad operationem, quà quis amatum bonum possidet, & amplectitur.

2290 Pendet maximè à perfectione operationis ipsius, ad quam nouam magis attēdit aīus, quā dū assuetus est, & hęc est causa, *f* cur noua placeāt magis.

2291 Quicquid illud in specie sit, quod ut finē dixi superoriri ad operationem, est de genere qualitatis, seù mauis de prædicamento actionis, cuius est capax sola potentia appetitiua. Et si de appetitu sensitiuo loquamur, non in qualibet sui parte is capax est, sed solum quà concupiscit.

2292 Fateor metaphoricam voluptatem tribui aliquādò etiamnō sentientibus;

a Lib. 10. Eth. c. de Eudoxo.

b Lib. 10. Ethi. c. 4. & 5. & lib. 7. cap. 11. & 12.

c Ex Platone in Philebo, vel de summo bono

d Hoc lib. 3. cap. 5.

e Lib. 10. Eth. cap. 4.

f Ex Arist. 7. Ethic. c. 14.

tibus;sed vera,& propria tribuitur nunquam. Rationē vidit is quē vix quicquam latuit, *a* D.Thomas,vbi ait,hunc siuè actum,siuè actus qualitatem non esse peruenientis ad finem per modū exequentis, sed per modū imperātis.

a 1.2.q.11. a.2.

2293 Cum oēs voluptates in anima sint;distinguūtur tñ corporeę ab incorporeis, quia hę ad animum spectāt quatenus independenter ab instrumento corporeo,bonum nouit, tenet, ac fruitur,illę ad eundem, quatenus sensibus instrumento corporeo alligatis,addictisq; operatur.

2294 Cum commune sit his omnibus voluptatis nomen; vsus tamen obtinuit,vt eo & absolutè intelligātur corporeæ.Rationē accipe ex *b* Aristot.corporis voluptates nominis huius hæreditatem consecutæ ex eo sunt, quod sæpè in ipsas incidunt homines,omnesq; earum sunt participes,vndè quia solæ notæ sunt,solas has esse opinantur.

b Lib.7. Ethi. cap.13.

2295 Spirituales,& quæ sunt animi propriæ voluptates, iā vulgo noīe Gaudij nuncupātur,vndè apta est illa *c* D.Thomę descriptio ex sententia Auicennę: Gaudium est quædā delectationis species; hominis videlicet propria,dū secundum rectā rationem delectatur.Corporales verò retinēt voluptatis nomen,& ferè in deteriorē partem accipiuntur, quia vix quisquā ità sibi tēperat,vt corporeas voluptates plus iusto non amet; ea est humanæ conditionis infirmitas,& sensuum vis ad pelliciendam rationem. Dicuntur item voluptates corporeæ,quæ sunt in appetitu rationali non ex subiecto, sed ex obiecto.

c 1.2.q.31. a.3.

2296 *d* Partitio item voluptatum fit in veras,& apparentes; Hinc illa Socratis:falsis voluptatibus praui gestiunt,boni veris aluntur. Sed intelligenda hæc partitio est ex vera,vel apparēti præsentis boni specie: Etenim dummodo voluptas sit,vera semper erit;adumbrata verò dicitur,& solum apparens, quia in bono, de cuius possessione voluptas capitur, aut adumbrata solum est, & apparens ratio boni,aut non vera,sed existimata possessio.

d Ex Arist.lib. 7.Ethic.c.12. Platone in Philebo, vel de summo bono.

2297 Apparentes item voluptates,ac minimè verę dici illę possunt,quę magis adueniunt ex dispositione recipientis,quā ex obiecto; *e* Hinc multis quædam voluptatem pariunt,quæ alijs ferè sensum doloris inferunt.

e Ex Aristo. lib.10.Ethic. cap.3.

2298 Non par vis inest omnibus voluptatibus ad animum perciendum. Dixeris,magnum esse incitamētū in sensibilibus,cum multi ijs rapiātur, cumq; tanto sæpè impetu irruant,vt rumpatur quodammodo animus, ac deficiat. Vis tamen spiritualibus inest multo maior, quæ sunt homini, quà homo est, magis aptæ,& quo tutior in his est quies,eo etiā iucundior. Audi *f* Arist. histe ad philosophiæ studium pręmonstratis honestissimæ voluptatis incitamentis adhortantem:Philosophia mirabiles habet,& puritate,& nobilitate voluptates.Audi *g* D.Thomam eadē in rē præclarè ratiocinantem,vbi ait,meliores esse voluptates rationis,quam sensus,quia melius est obiectum, quia melior potentia,quia melior,arctiorq; coniunctio.

f Lib.10.Eth. cap.7.

g 1.2.q.31.a.5

2299 Quamuis autem delectationes spirituales sint ex natura sua vehemētiores corporalibus;fit tamen per accidens,& contrà hominis naturam,vt ijs vehementius moueant corporales. Dati sunt rationi sensus, vt indices veritatis,sed quam sæpè ijdem imponunt, ac menti tenebras offundunt? hoc ex vsu magis, ac desidia nascitur, quam ex ipsa natura hominis, quà homo est,

cumq;

cumq; ex hac impoſtura voluptates corporis alliciant magis hinc eſt, vt non ſuo iure præualeat, ſed malis artibus, & ex iniuſtis inſidijs. Ratiocinatur tunc optimè animus (inquit *a* Plato) cum nihil eum perturbat, neq; viſus, neq; auditus, & quam maximè ſe ipſum in ſe recipiens deſerit corpus.

a In Phœdone, vel de Anima.

2300 Ex ipſis autem ſenſibilibus voluptatibus ſæpè diuerſæ vim habent maximam, non tam ex natura voluptatis, quam ex vſu, deprauataque per vſum natura. Maximum, cæteris paribus, oblectamentum eſt brutis animalibus in ſenſu tactus, vt meritò *b* Ariſtoteles alicubi aſſerat ea aliorum ſenſuum proprio munere quodammodo carere, quia fermè ad tactum referunt omnes eorum operationes: Neque canes, inquit, odore leporum, ſed comeſtione gaudent, ſenſum verò odor præbuit, neque leo Bouis voce, ſed eſu lætatur, ex voce autem, propè eum eſſe cum ſenſerit, ea videtur oblectari.

b Lib. 3. ethic. cap. 10.

2301 Si verò de homine agamus, cuius vita ſenſitiua ad intellectiuam apparatus eſt, vim habet is maximam pro animo commouendo in ſenſu oculorum. Segnius irritant huius animum ea, quæ per alios ſenſus demittuntur, quam quæ fidelibus oculis ſubijciuntur.

2302 Quamuis voluptas doloris aduerſaria videatur, fieri tamen poteſt huius cum illa admixtio, ſiuè de voluptatibus corporis loquamur, ſiuè de his, quæ ad animum propius ſpectant. Cum quis alget, vt ait apud *c* Platonem Socrates, ſenſim caleſcit, & cum aliquo doloris ſenſu melius habet; cum calidus eſt, frigeſcit, & fit admixtio contrarij affectus. Quid verò animus non nedum ſolicita expectatione tenetur, angitur ſimul, & cum delectatione amat? teſtes appello quotquot præclariſſimis quibuſque, ac difficillimis artibus dant operam, dum ſe veritatem aliquam conſecuturos ſperant, eidemque deſudant.

c In Philebo, vel de ſummo bono.

2303 Sed quod ſpectat ad oppoſitionem inter hos omnes affectus, ea vulgò contraria cenſetur, & verò dici etiam talis poteſt, ex quadam ſimilitudine, & rationum diuerſitate in vno obiecto materiali. Cæterùm, vt dolor uoluptati verè, ac propriè opponatur contrariè, debent eſſe de eodem obiecto ſecundùm eandem rationem; Hoc verò eſſe non poteſt, quia voluptati obiectũ eſt bonum ſub ratione boni, doloris malum ſub ratione mali; Quis verò dixerit vnquam, eandem eſſe boni, maliq; rationem, & à bono ſub ratione boni poſſe eſſe fugam, ad malum ſub ratione mali poſſe eſſe proſecutionem?

2304 Ex hac minimè propria contrarietate facilè intelligitur admixtio horum quaſi contrariorum, cum enim appetitus rationalis gaudet de aliquo bono ſub ratione boni, nihil repugnat appetitum ſenſitiuum de eodem triſtari ſub ratione mali. Quin etiam vnus, idemq; appetitus rationalis de ſuo bono voluptatem capiet, de quo idem triſtabitur, quà ratione illi boni adiuncta eſt aliqua ratio mali.

2305 Non ergo ſunt operationes animi inter ſe aduerſæ, quin etiam altera ex altera facilè ſequitur, vt cum quis ad bonum ijſdẽ paſſibus accedit, ac recedit à malo. Minuitur tamen ad doloris præſentiam ſenſus voluptatis, quia animus iniquè diuidit attentionem cognitionis in boni, maliq; ſpectaculum.

2306 Hæc hactenus de voluptate tradita à me sunt, vt eius natura non ignoretur, iam quod propius accedit ad Epicuri fęlicitatem, videndum est, an in ea summum bonum situm sit. Quid verò de summo altercamur, si prius non constiterit, an bona sit? Fuere, *a* qui senserint voluptates omnes esse malas, vel potiùs, qui dixerint, nec.n.omnes, qui hanc sententiam profitebantur ex animi sententia loquebantur, rati (inquit Aristoteles) melius esse ad vitam nostram, si voluptas, quamuis non sit, praua esse demonstretur. Mihi neq; sententia placet, si hi velint voluptates esse malas, neque placet consilium, si non ex animi sensu loquantur.

a Apud Arist. lib. 7. Ethic. ca. 11. & lib. 10. cap. 1.

2307 Fuere item, *b* qui dixerunt ex voluptatibus aliquas esse bonas, malas plerasq; *c* Aristoteles multus in eo est, quod omnes bonæ sint. Sic ego sentio, bonas esse omnes illi potentiæ, quæ voluptate fruitur, sed bonitatem hanc ex conuenientia cum natura desumi.

b Apud Arist. lib. 7. Ethic. cap. 11.
c Eod. lib. 7. c. 11. 13. 14.

2308 Quod si bonitas ex regulis rectę rationis mensuretur, multę reperiuntur bonæ, multæ etiã, quæ malæ sunt. Pariter verò ex voluptate de dolore philosophandum est; Est scilicet omnis dolor malus illi potentiæ, quæ dolendo fugam meditatur; si verò rectę rationis regulam adhibeas, malus est solus dolor, qui recti fines excedit.

2309 Iam quod spectat ad eam bonitatis summam, quę eadem est summa votorum, ac fœlicitatis. Epicuri sententia fuit summum bonum in voluptate situm esse. Hoc aliqui dictum de voluptatibus corporis acceperũt, homines uix ad hominis captum nati, quibus pecudum uita probata est. Sed hanc illis sententiam (inquit *d* Aristoteles) uirorum Principum uita ocio, luxuique dedita persuasit. Esto, fuerint hæc illius ætatis uitia, nunc meritò uoluptuarij seruiles reputantur, abiectiq;, quia uirorum Principum uita in studijs uirtutis est, uilissimorum uerò mancipiorum in desidia, somnoque.

d Lib. 1. Ethic. cap. 5.

2310 Sed mihi certa sententia est Epicurum in honestissima mentis uoluptate summum bonum esse censuisse. Cur.n.is tantopere à *e* Seneca laudetur tristi, ac seuero Censore sententiarum, ubi quid præsertim contrà uirtutem pronunciatur?

e De Beata vita c. 13. Epist. ad Lucil. q. 86.

2311 Ex Epicureo etiam *f* Lucretio fidẽ accipere licet de magistri mente, ubi irrequietã ex atomorum agitatione uoluptatẽ, à tranquilla, sedataq; distinguit, quã in altissima quiete animi collocauit. Hac uult Epicurus beatũ esse quicũq; beatus est, Esto non pari sensu uoluptatis corpus afficiatur. Audi *g* scribentem ad Metrodorum, eum qui semel sit sapiens in contrariũ habitũ transire non posse, & siuè crucietur, siuè cõcidatur, si sapiẽs fuerit, fęlicẽ fore.

f Lib. 2.
g Ex Ficino in fine sui opusc. de volupt.

2312 Fateor fuere post Epicurum abiectissimarum uoluptatum amatores, qui honesti nominis auctorem quærentes ad impurissimam sectam promouẽdam sese Epicureos esse professi sunt. Nec uerò credibile est illos ad suam impudentiam tuendam impudentis hominis nomen adsciuisse.

2313 Simile quid accidit in Cynica Philosophia, ex qua, dum nondum deprauata esset impuro nomine, Stoica nata est. Dixere primum Cynici uiuendum esse homini ex naturæ præscripto intelligentes naturam hominis, quà homo est, idest rectam rationem, honestatem ipsam, sed postmodum alij infimam

mam hominis partem naturæ nomine interpretantis Cynici canes turpissimi dicti, meritòq; habiti sunt.

2314 Sed quod spectat ad illam ipsam Epicuri sententiam, veram, germanamq;, nego in voluptate, quantumuis summa, quantumuis honestissima, sitam esse beatitatem.

2315 *a* Quatuor sunt veræ fælicitatis notæ à philosophis traditæ, videlicet, si possideatur verum bonum, in quod alia omnia ordinentur ipsum non aliò; si perfectissimum, & per quod vltima insit homini perfectio, quà homo est; si auferat omnem miseriam; si expleat appetitum. Equidem has in voluptate non agnosco, cum sit voluptas virtutis, quasi *b* quoddam condimentũ, quod ad virtutem alliciat, non ergo est finis vltimus. Alias item notas inspice, plures desunt.

a Ex Arist. lib. 1. Ethic. c. 7.

b Ex Alexan. Aphrodiseo li. 4. nat. qq. c. 26.

STOICORVM
fœlicitas in virtutis habitu.
CAP. X.

2316 ANTIQVAE hac eadem de re disputationes hos titulos prætulere; an virtus ad beatè viuendum se ipsa contenta sit; an solus sapiens sit fælix; an sola virtus bona sit, ac bonum summũ. Celebratur autem opinio Stoicorum, qui se perpetuos virtutis, & quidem constanti habitu iam firmatæ, laudatores professi sunt. Nec minus nobilis hac fuit *c* Cynicorum, qui communionem hac in re cum Stoicis habuere, vndè illud effatum Cynicismum, breuem, ac facilem esse ad virtutem viam.

c Ex Diogene in Menedemo.

2317 Malè aliquandiù Cynici audiuere, & nihilominus, quã deprauati Epicurei, vndè illa ex eloquentissimo philo. *d* Cynicorũ ratio tota eijciẽda est; est.n.inimica verecundiæ, sine qua nihil rectũ esse pôt, nihil honestũ. Sed si huius sectæ primordia repetas ab Antistene, honestissima fuere principia, quæ hi

d M. Tullio.

posuerunt; videlicet naturam hominis, quà homo est inclinare ad rectum; cuius regula ratio ipsa sit, atq; ideò ex naturæ præscripto viuendum esse, idest ex recta ratione, vt dictum est *a* supra.

a Cap. præc.

2318 Sed in hoc ipso pronunciato, quod ex naturæ prescriptionibus viuẽdum sit, aliquod inter ipsos auctores visum est fuisse dissidium. Cleantes aiebat viuendum esse conuenienter naturæ vniuersali, qui Deus est; Chrysippus conuenienter naturæ particulari, quæ ratio est; alij cõuenienter naturæ per habitũ correctę, quę ipsa est virtus. Hęc, & horũ similia dũ dixere, dissidiũ in verbis magis, quam in re fuit; nam virtutis regula ratio est, rationis Deus.

2319 Sed Stoicorũ ratio, qua sibi in animum induxere, virtutẽ se ipsa esse contentã ad beatitatẽ, *b* talis fuit in primis: Solum honestũ esse bonum, solã virtutem esse honestã, igitur solã virtutẽ esse bonã; Virtutis tunc esse optimum statum, cum habitus benè firmatus est, cum virtutum omnium facta est aggregatio, & societas, cũ per illas homo constans, & sui semper similis euaserit; quid ergo illi ad fœlicitatem desit? Sed malè hi primùm boni speciem pro vniuerso bono accipiunt, & bonum finis vltimi malè item tribuunt virtuti, quæ vtilis esse potest ad melius bonum.

b Ex Seneca. epistolis 77. 88 93. & 121.

2320 Sed nec illa ipsa, quæ Stoici suo perfecto, cõsumatoq; sapiẽti tribuũt, competunt ex sola virtutis possessione. Volunt in perpetua degere tranquillitate animi, quia virtus omnes animi perturbationes composuerit. Benè est, præstat hoc satis virtus. Volunt sola virtutis possessione bona omnia possideri; hoc verò difficile creditu est.

2321 Nec verò contrà insto ex eo, quod sapiens quis esse possit, & minimè pulcher, diues, sanus. Audio enim sanè confidenter Stoicos asserentes, solum sapientẽ diuitẽ esse, pulchrũ, integrũ, regẽ regum; Sed dixerim potiùs habitũ virtutis non necessariò habere adiunctum actũ, operationemq;, quæ habitu melior est; Ergo non ità ampla est illa sapientis possessio, sicut Stoici iactant.

2322 At (inquiunt) omne dirigens esse melius directo, habitu dirigi operationes, atq; ideò meliorem illum esse his. Quid verò, addunt ijdem, si fœlicitas in operatione ponatur mox peritura? habitus diuturnus est, operatio perpetua esse non potest. Sed hæc nihilo sunt meliora, quàm prima.

2323 Dirigit habitus operationem, non tanquam causa principalis, sed instrumentalis, atq; ideo ex directione nullum desumitur argumentum maioris perfectionis, quã in opere sit. Habitus diuturnitas quid faciat tandẽ ad summi boni possessionem, nisi exeat in actum, qui finis est ipsius habitus?

2324 Sed, vt paucis capitibus comprehendam ea, quę nõ probo in hac Stoicorum felicitate, Vnum est, quia planè commẽtitium, ac fictum esse arbitror illud absolutissimi sapientis idolum, quod effingũt ad veram imaginem beatitatis. Aiunt consumatæ esse virtutis, cui nulla fieri possit additio; At hoc si verum sit, non solum rara erit fœlicitas, aut quæ nunquam in homine futura sit, sed quæ nec esse possit, quia nulla est virtutis summa, cui addi nihil possit.

2325 Fatentur ipsi Stoici duos dici sapientes, *c* vnum, qui in fine sit, *d* alterum, qui ad finem ingenti nisu proficiscatur; illum in descriptione esse, nusquam verò in re; nusquam igitur felix erit, aut esse poterit, si is est, qui ad finẽ

c τέλιον
d προκόπτοντα

iam

iam venerit, Quod ſi is minimè ſit,ſed alter, qui proficit, beatitas non erit in conſummata virtute, atque ideò loquuntur pugnantia Stoici, vt *a* Plut. animaduertit.

2326 Alterum,quod diſplicet,eſt,tribui tantum habitibus, vt prę ijs operatio,quaſi nullius ſit. E duobus, vt tradit *b* Ariſtoteles, illud eſt præſtantius, quod eſt alterius finis; At eorum unumquodque, quorum eſt opus,inquit *c* idem,eſt gratia operis.

2327 Sed libet hic etiam contrà Stoicos ex Stoicorum doctrina argumentari,vt facit non ignobilis philoſophus *d* Alexander. Fatentur hi, mortem eſſe præoptandam,cum turpe aliquod facinus admittendum eſt,eſto nihil poſt mortem ſupereſſet,qua illi de re diuerſa pronunciant; addunt præſtantius eſſe honeſtè cadere,quam turpiter ſtare. Hinc verò illos vrget Alexandri ratio: an non eſt melius præoptandum deteriori? ſi peccas, Stoice, malè operaris, ſed habitus bonos retines; ſi moreris, amittes cum habitibus fœlicitatem in opere egregio, quo te à turpitudine vindicas. præoptas igitur operationem habitibus,vt rem meliorem.

2328 Sed his etiam rationibus ualidè eoſdem Stoicos oppugnat *e* Ariſtoteles. Non eſſe beatitatem in dormiente,in quo tamen habitus eſt;non eſſe in forma imperfecta,qualis habitus eſt, quantumuis perfectus; perficitur enim magis,ut actus primus acceſſione ſecundi.

2329 Denique ſiuè beatitatem obiectiuam in uirtutis habitu eſſe aſſeras, ſiuè formalem,Stoicorum placitum non placet,quamuis laudandi illi ſint plurimum,quibus uirtutis honeſtas tantum probata eſt.

a Opuſc. de Stoicorum repugnantijs.

b Lib. 1, Ethic. cap. 7.

c Lib. 2. de cœlo. t. 17.

d Lib. 2. de Anima. c. 23.

e Lib. 1. Ethi. c. 5. li. 10. c. 6.

PLATO-



PLATONICORVM fœlicitas in Ideis.

CAP. XI.

2330 PLATONIS *a* sententia est, summũ bonum, veramq; hominis fęlicitatem in idea sitam esse. Memini me *b* suprà de Ideis nonnulla asserere; hic res præsens postulat, vt ad eas redeam, non vt, quod iam præstiti, Ideæ natura cognoscatur, sed vt sententia Platonis non ignoretur. Vulgò Idearũ assertor Plato dicitur, re tamen vera complures ante Platonis ętatem de Ideis philosophati sunt auctore *c* D. Augustino, qui nomen fuisse à Platone impositum non it inficias, rem fuisse latè tractatam ab alijs, expresse habet.

a L.6. & 7. de Rep. vel de iusto.
b Lib.2. c.5.
c Lib. 83. qq. q.46.

2331 *d* Suspicati sunt aliqui, dum Plato in Aegyptum ad studia literarum profectus est, dedisse eum operam sanctissimo Vati Hieremiæ, ab eoq; de rerum formis, ac speciebus doctrinam hausisse. Sed tẽpora minimè cõgruunt, cum, si credimus peritis Cronologis, annis fermè trecentis fuerit Plato ætate minor.

d D. Aug. lib.2 de Doctr. Christ. c.28. ex sentẽt. D. Ambr. Sed retractat l. 2. retractat c.4.

2332 Credibile tamen est, primam de Ideis philosophiam ex sacris literis fuisse profectam, quamquam in multis profana sacris permixta sint, dum rem sacram profani tractarunt. Habes huius rei argumenta satis patentia apud *e* Eusebium.

e L.11. de prępar. Euang. c. 10. 11. & seq.

2333 Huc fortasse spectant illa *f* Platonis: Ideas nobis tradiderunt veteres Philosophi, qui Dijs propiùs habitabant. Sed, siuè is sacros vates legerit, siuè alij antè ipsum; etiam de Ethnicis philosophis fuere Pythagorici, *g* qui Idearum amici habiti, dictique sunt; fuit item Socrates, qui Idearum contemplatoris cognomentum à longa de ijsdem commentatione reportauit.

f In Philebo, vel de summo bono.
g Ex Ficino Cõment. in Parmen. c.4.

2334 Quid quod antiquissimi Poetæ per Mineruam è Iouis cerebro natã Ideas

Ideas intellexere, ex diuina ſapientia profectas? Fides eſt penes nobilem *a* auctorem. Complura item, eaq; præclara de eodem argumento tractauit Mercurius termaximus, qui non longè vixit ab ætate ſacratiſſimi, primique ſcriptoris Moyſis.

a D. Aug. li. 7. de Ciu. cap. 28. ex Sententia Varronis.

2335 Sed redeo ad Platonem. Aſſeruit is Ideas; *b* Vnam ſæpè indicat, quã vocat Ideam boni ipſaq; hæc eſt, in qua collocat hominis fęlicitatem, quia in huius cognitione omnia nouimus, & in eadem ſumma votorum eſt.

b Li. 6. de Rep. item l. 7.

2336 Alias verò Ideas *c* plures numerat pro rerũ multitudine, quæ ex illis tã quã ex primis formis, & exemplaribus formã accipiunt. Et verò Timęus ait, ſi videris doctum artificem ea operari, in quibus operę nihil deſideres, quia ad omnem elegantiam, artemq; compoſita ſunt, venire ne tibi in mentem poterit, ideam illi non fuiſſe propoſitam? Hoc eius eſt munus, vndè & *d* nomen habet, videlicet, vt in eam artifex intueatur.

c In Timeo vel de Mundo.

d ἰδέα ἀπὸ τοῦ ἰδέσται. ideſt à videri

2337 Porrò neceſſarium Platoni viſum eſt, ideas illas, quę in vnica Idea boni coniunctim ſunt, numero diſtribuere, ne vera rerum ſcientia careamus. Nimirum cenſuit, dum hanc rerum vniuerſitatem inſpicimus, vſuq; ſenſuũ de mundi partibus philoſophatum, incerta nos opinione errare; ſcire autem, ac ſapere tunc demum, cum, abſtracto à ſenſibus animo, non adumbratas rerum imagines, ſed res ipſas in Ideis contemplamur. Corruũt hęc ex Ariſtotelis principijs, vt *e* alibi indicaui, ſed ſatis hic ſit, hoc fuiſſe argumento Platoni ad Ideas inducendas.

e Lib. 2. ca. 43.

2338 Deſcripſit *f* idem eaſdem ex certis notis; Prima eſt, vt ſint quid vnũ, ſeperatum à ſingularibus, ipſæ tamen ſingularium naturæ. Paucis hic ego te moror, Platonice. An non hinc habes, non temere Ariſtotelem in magiſtrũ inuehi, dum rerum naturas ineſſe rebus, ſecundaſq; ſubſtantias primis contendit?

f In Parmenide vel de vno rerũ principio.

2339 At, inquies, potuiſſet ille Magiſtri mentem benignè interpretari. Fateor, ſed non ne candidi, ac ſinceri eſt, puram exquirere veritatem, dum de veritate quæſtio eſt, non de officijs vrbanitatis? Eſto ſint rerum ideę in Deo, inquit Ariſtoteles, eſto ex exemplaris intuitu, res ipſæ ſub notitiam veniant, quid opus eſt abſtractis imaginibus ad veram ſcientiam, dum res ipſæ ſibi ſunt ſatis? Sunt verò, dum ſingularia corruptibilia, & fluxa noſcuntur ex vniuerſalibus incorruptibilibus, & æternis.

2340 Alteram notam ideis Plato tribuit, vt ſint inuariabiles, & immobiles; tertiam, vt ſint æternę, ab omni temporum viciſſitudine immunes, quartam, vt in ijs res omnes ſint, non autem in ſe ipſis. Sed hoc poſtremum eſt, quod meritò Peripateticos contrà Platonicos irritat. Quid quæſio eſt fucum facere veritati, niſi ea, quæ verè ſunt, quaſi non eſſent, indicare? Quid eſt quod ſenſus mouet, dum ſenſu vteris, eoq; tibi viam aperis ad ratiocinium? Ideas ne vides in rebus, an res ipſas, ex quibus quaſi manu ducaris in agnitionem idearum?

g Alcin. ca. 8. Inſtit. ad Doct. Plac. vbi Carpẽt. Diggreſ. 2.

2341 Non omnium rerum ideas Plato poſuit, vt fatentur *g* Platonici; carere enim ſuis formis voluit, innaturalia, vilia, incompleta, quæque huiuſmodi ſunt naturę diminutę; Sic habes ex ore *h* Socratis: pilorum, luti, maculæ, & aliarum

h In Parmenide, vel de vno rerũ principio.

aliarum ignobilissimarum, vilissimarumq; rerum esse putare, fortasse nimis ridiculum esset.

2342 Sed longè præstantiùs hac in re de diuinis ideis philosophatur D. *a* Thom. dari nimirum omnium entium. Ideas; Nam qua ratione cognoscerentur á Deo æterna illa intelligentia, aut de potentia vocarentur in actum æternæ visionis intuitu, si in Deo vniuscuiusq; exemplar non sit?

a 1.p.q.15.a.3.

2343 Vbi verò huiusmodi ideas Plato posuerit, quas esse voluit extrà res ipsas ideatas, diù, multùmq; inter Platonicos, & Peripateticos agitatum est. Opinantur *b* aliqui, vbi vbi tandem eas collocauerit, certum, exploratumque esse in doctrina Platonis, nec in rebus ipsis, nec in Deo esse. Porrò assentirer, si solum Aristotelis libros euoluissem, nec etiam Platonicos paulò attentiùs inspexissem.

b Scaliger Exerc.6.nu.4.

2344 Commenti sunt alij nescio quam idearum officinam, quæ in concauo Lunæ sita sit; ridiculo sanè commento, nisi quid redoleat ex doctrina Pythagoręorum. Et verò subesse huic fabuloso inuolucro certum aliquem sensum, ità non *c* nemo interpretatur: Esse ideas in concauo Lunæ, idest in diuino intellectu, aptè notato per concauum Lunæ, cuius impressiones humidę, & frigidę sunt, quale est humanum cerebrum, proxima sensuum intellectui famulantium, sedes, & ex cuius operandi modo nos de diuina intelligentia, quantum fas est humana conferre diuinis, ratiocinamur.

c Buratell. lib. 1. de Ideis.

2345 Asserunt *d* alij, positas fuisse à Platone Ideas in Filio Dei, qui idem mundus idealis, intelligibilis, idea boni appelletur. Sic catenatę trahuntur ex disputationibus disputationes: Etenim quid Plato nomine filij Dei intellexerit, controuersum est ex ipsis Platonicis, alijs aliò abeuntibus. Mihi certa res est, ignarum fuisse Platonem sanctissimę Trinitatis, æternęq; generationis Dei filij à Deo patre. Scilicet altiùs hoc mysterium repositum est, quam quò valeat humana ratio ascendere, *e* neminiq; mortalium fas vmquam fuit, nosse in vnitate naturæ trinitatem personarum, nisi data cœlitùs lux fuerit.

d Idem Burat. Ibid.

e Ex D.Tho.1. p.q.32.et cōm. Theolog.

2346 At inquies, cur toties *f* Aristoteles ex antiqua Theologia ternarium numerum laudat? Quorsum *g* Plato tam multa de Filio Dei? Quid illa *h* Trismegisti? Monas monadem genuit, & in se suum reflexit ardorem. Respondet optime D. Thom. laudari ab Aristotele numerum in sacrificijs adhibitum, quia inest illi aliqua perfectio, numeri principium, primum numerum parem, & primum imparem, continenti: Dei filium dici ipsam Dei mentem: In Monadis generatione, & ardoris repercussione, Mundi generationem, rerumque omnium tendentiam in Deum, tanquam vltimum finem significari.

f Lib. 1. de cœlo t. 2.
g Li.6. de Rep. & epist. 6. ad Hermiam.
h in Pymādro.

2347 Est ergo in doctrina Platonis Mundus intelligibilis, Boniq; idea Deus ipse, Deiq; filius ipsa diuina mens, in qua rerum omniũ ideæ descriptæ sunt. Sic habes ex nobili *i* interprete similium mysteriorum, vbi ait: Deus primus ante ens solus pater est primi Dei, quem gignit, manens in vnitate sua solitaria, atq; id est superintelligibile, estq; exemplar ipsius, quod dicitur sui pater, sui filius, vni pater.

i Iamblico l. de mysterijs.

2348 Hæc, & horum alia similia, quæ passim apud Platonicos reperias, fatentur

tentur palam, non fuisse notam Platoni distinctionem diuinorum suppositorum in vnitate Dei, quam nos diuina fide instituti profitemur, ideasque non alibi, quam in Deo fuisse collocatas.

2349 Iam quod spectat ad fælicitatem censuit Plato, eam in Idea boni fuisse repositam. Beatitas est hæc, vt dicitur obiectiua; formalis verò erit ipsa tanti boni possessio, quam hanc esse ex Platonicis principijs assero. Hominem tunc demum beatum fieri, cum iam non amplius operatur sensibus, sed sola intelligentia, resque non in sensatis imaginibus, sed in suis ideis intuetur, quæ omnes in prima idea sunt, Dei filio, diuina mente, vnica idea boni. Meritò autem *a* Aristoteles in multis hanc sententiam reprehendit.

a Lib. 1. Ethic. cap. 6.

2350 Primo malè fuisse repositam fælicitatem in boni idea ad hominem demonstratur. Etenim fælicitas est in summi boni possessione, quod summum tunc demum erit, cum nihil ad summam desiderabitur. Sed minimè talis est idea boni, nimirum quia multa sunt, quorum ille non esse ideas, disertè asserit; non ergo poterit esse in ea summum bonum, in qua bonorum genera desiderentur, nec sanè pauca, vt ait Aristoteles.

2351 Nam cum bonum tot modis dicatur quot ipsum ens, cumque ex sententia Platonis non dentur ideę rerum, in quibus est prius, & posterius, cum substantia sit prior accidente, nec substantiæ, nec accidentis idea dabitur.

2352 Secundo progreditur *b* Aristoteles, ostenditque, esto detur vna idea boni, eam cognitionem, quæ distinctè quæritur in ea, aut nullam haberi posse, aut nonnisi confusam. Nimirum tunc ex sententia Platonis res ipsæ cognoscuntur, cum in huius ideæ primæ notitiam peruenerimus, sed res inter se toto genere differunt, inquit Aristoteles, erunt ne igitur vnius rationis in vna idea, an diuersæ? Si primum, nec res illæ sunt, nec rerum ideæ; Si secundum, idea non erit vna.

b Eod. cap. 6.

2353 Vrget hæc ratio Platonem, qui loquitur de scientia, quæ in hac vita habetur, sed minimè vrget nostrates Theologos, qui verissimè asserunt, posse in Deo intuitiuè cognito cognosci res secundum propriam cuiusque rationem, in beato statu alterius vitæ.

2354 Illud etiam meritò idem Aristoteles reprehendit, quod aliquandò Plato significauerit, ideam diuersæ rationis esse ab ideato. Nam sicut, si dicatur esse rationis eiusdem, frustrà pro rei natura ponitur idea, qua res formaliter sit, quia satis est ipsa natura rei; ità si dicatur esse rationis diuersæ, idea non erit idea eius, cuius esse dicitur, & multo minus id, per quod res sit.

2355 Instat Plato res esse corruptibiles, & fluxas, rerum ideas incorruptibiles, & æternas. Sed hoc nullam facit necessitatem idearum in doctrina Aristotelis, qui rerum etiam caducarum perpetuitatem in naturis vniuersalibus ab ipsis singularibus abstractis agnoscit; Adde, quod diuturnitas rem non variat, si quidem, inquit *c* Aristoteles, neque album, quod diutius, quam quod vna die tantum durat, albius est.

c Eod. cap. 6.

2356 Et

2356 Et ex hoc capite prefertur opinio Pythagoreorum opinioni Platonis. Etenim Pythagorici omnia bona reducentes ad vnum, quia vnum dicit rei statum, pluralitas dissolutionem, corruptionemq;, sub vno varietatem rerum numerabant, finitum, impar, rectum, quadratum, & alia plura, quæ suam vnitatem, non in idea, sed in se ipsis haberent, sicut vnumquodque est non per alienam naturam, sed per suam. Quare & Speusippus Platonis discipulus, & ex sorore nepos defecit merito hac in re à magistro, & Pythagorã secutus est.

2357 Hæc verò ex Aristotele allata sint. Sed caput argumentorum contrà Platonem præcipuum est, quod ad cognitionem idearum, idest Dei, in quo rerum omnium formæ cognoscantur sine vllo sensuum adminiculo, in huius vitæ statu non licet aspirare. Quare si in tali idearum contemplatione sita est beatitas, ea nulla est in hac vita.

2358 Hoc si vidisset Plato, veramq; fælicitatem in aliam vitam esse reseruatam cognouisset, non malè philosopharetur; Nam idearum intuitus ipsius Dei intuitiua cognitio est, quæ vna satis est ad hominem beandum. Ceterùm in hac vita, si beatitas vlla sit, alibi, quam in ideis, quærenda est.

PERIPATETIcorum fœlicitas in operatione præstantissima.

CAP. XII.

2359

a Lib. 1. Ethic. cap. 7.

SENTENTIA est *a* Aristotelis, si vlla sit huius vitæ fœlicitas, eam non nisi in actione humani animi, quatenùs humanus est, secundùm virtutem optima, ac perfectissima, in statu vitæ perfectæ collocatam esse.

2360 Huius fælicitatis forma sita est in actione, quæ ipsa est formalis beatitudo, & rectè dicitur actio hominis, quà homo est, quia de hominis beatitate disputatur, cuius animantia rationis expertia

expertia capacia non sint. Hæc ipsa est summum bonum, quatenus summi boni possessio est,& qua,quod est extra positum,fit nostrum,& quodammodo intrinsecum.

2361 Huius operationis obiectum est summū bonum, quod dicitur obiectiuum,& ex cuius bonitate ipsa operatio summè bona est. Ergo cum homo sit rationis compos, aptus ex rebus sensatis altè se se erigere ad cognitionem abstractiuam rerum,non nisi intelligentia perceptibilium, atque adeò ipsius Dei,qui verè primum, ac summum bonum est, cumq; hic operandi modus homini conueniat, quà homo est; si hominem mihi dederis perfectissima Dei cognitione,& secundum virtutem optima præditum, eiusdemq; optimus vitę status sit in absentia eorum omnium, quæ de huiusmodi operationis perfectione detrahere possent,eum ego tibi fęlicem,ac beatum exhibebo.

2362 Quę verò dicatur perfectissima hominis operatio,non solum ex obiecti perfectione,sed etiam optima secundum virtutem, non vna ratione à pluribus explicàtum est. Sunt *a* qui virtutem optimam Prudentiam censeant; Sunt alij, qui Iustitiam, quà ea maximè vniuersa est, & legalis dicitur, inter alias virtutes adeò eminens, vt quod alicubi habet *b* Aristoteles, neq; hesperus,neq; lucifer sit pariter admirabilis. Mea sententia est, tunc operationem circa pręstantissimum obiectum esse ex virtute optimam,cū operans eas omnes virtutes sibi cōparauerit,quę actiuā, & cōtēplatiuā vitā perfectè muniūt.

a Apud Piccolom Gradu. 9. cap. 28.
b Lib. 5. Ethic. cap. 1.

2363 Huius duplicis vitæ non eadem conditio,nec virtus est,fateor; Et par est,subseruiat contemplationi actio, beatitas actiua contemplatiuæ. Cumulatè verò tunc demum homo beatus erit, cum omnia expleuerit actionis officia,& circà præstantissimum obiectum altissimè speculabitur ex mentis habitu bono expeditoque: Hæc verò est causa, cur Aristoteles in Ethicis proposito primùm vltimo fine in vniuersum, agat mox de virtutibus vtriusque vitę; scilicet vt per eas ad boni summi consecutionem eatur.

2364 Sed quis est (inquies) ille perfectę vitæ status, de quo idem Aristoteles meminit in descriptione beatitatis? Intellige in eo omnia,quæ beatitatem facere possunt cumulatiorem, remouendo contraria, perficiendo operationem,conseruandoque.

2365 Ex his est *c* diuturnitas in tali statu; Nam sicut nec vna hirundo ver facit,nec vnus dies, qui nitidus, ac purus eat, ità nec vnius diei perfectæ vitæ status fęlicem. Ex his item est ætas perfecta,vnde est, vt pueri in spe solum fęlices esse queant;necessaria verò est ætas firmata ratione operationis animæ, quæ in maiori ætate melior est.

c Ex lib. 10. Ethic. cap. 8. & li. 1. cap. 7.

2366 De bonis fortunæ,& bonis corporis dubia videtur esse Aristotelis sētentia,an ad summam fælicitatis requirantur; Scilicet *d* aliquandò ea exigit, *e* alias ea sola operatione,quæ paulo ante descripta à me est, videtur contentus. Facilè verò est eiusdem mentem interpretari; videlicet formam fœlicitatis in bonis animi sitam esse, si ea sit fęlicitas hominis, quà homo est.

d Lib. 1. Ethic. cap. 8. & 9.
e Li. 1. & 10. Ethic. utrobiq; ad finem.

2367 Quoniam verò animus in sua operatione, dum societatem cum corpore habet, maximè pendet ex corporis affectione,externorumq; bonorum adiacentia,vel absentia,propterea corporis, animique bona, quatenus sunt ad

ad fælicitatem adminicula, deesse non debent.

2368 Quæ verò de diuturnitate temporis dicta sunt, in quæstionem adducunt, quando tandẽ dicendus sit homo fęlix fælicitate hac, de qua loquimur, naturali. Etenim dum viuit, qui sit futurus reliquæ vitæ status, incertum est; beatus ergo non erit, quamuis in statu perfecto sit, quia nescit, an stet, nec sanè exiguum sollicitudo hæc momentum faciet. Dum verò vixit, aut miser est si damnetur, aut beatus, si inter beatorum animos admittetur: quicquid tãdem hac in re opinetur Aristoteles, qui de statu huius vitæ loquitur, & statu naturæ.

2369 Quod ergo ad præsentem vitam pertinet, sentio sententiã esse *a* Aristotelis, beatum posse aliquem dici, etiam si de futuro statu incertus sit; Nec verò vlla animum sollicitudo exagitabit rectè sibi conscium, & affectionibus omnibus benè compositis, sedatisq;. Probat hoc *b* Aristotelica ratio contrà Solonem: nam si cum quis vita defunctus est, beatus dicitur, quia nihil accidit in vita noui, vndè beatitas perturbata sit, beatus vixit, dum vixit, atque ideo etiam tunc, dum viueret, dicere aliquis potuisset, beatus est.

a Lib. 1. Ethic. cap. 10.


b Eod. cap. 10.

2370 Hæc ex Aristotelis sententia dicta sint; si in sola naturali philosophia, idest quam nos recta ratio solum docet, persistamus, dicta sanè congruenter. Melius tamen nos de fęlicitate instituit diuina sapientia, quæ, quantùm spectat ad huius vitæ statum, beatitatem in eo agnoscit, in quo se quis aptiorem, & viciniorem facit ad æternam, quę in intuitiua Dei visione sita est, luminiq; in aliam vitam reseruata. Porrò hæc vicinitas, & aptitudo fit per Dei gratiam ex virtutum à Deo inditarum, fidei maxime; Spei, & Charitatis studio, ex contemptu bonorum externorum, quę quamuis non necessariò remouenda sint ad acquisitionem beatitatis; sapientiùs tamen remouentur, quia cum sint bona vsus ancipitis, sæpius in malum vergunt, quam in bonum.

Laus Deo, Beatæq; Deiparæ, ac S. Francisco tutelari.

LIBRI TERTII

FINIS.



HAEC ſunt Lector, quibus te diutiùs fortaſsè detinui, quam pareſſet. Amo te, quia iam liquet, ne ſeueriùs de his meis definitionibus pronuncies, quam ego ipſe, qui mihi æquus eſſe iudex peruelim. Fateor, ac profiteor, nihil cenſeri a me definitum, niſi quod rectæ rationi, ac Sapientum placitis congruat. Si aliter, quam volui, a me factum demonſtraueris, nihil hic te moror. ſententiam reprehendo. Illud oro prætereà, ne librariorum errata adſcribas mihi: multa irrepſere, dum ex authographo malè tranſcribitur, ex tranſcripto malè componitur, notatique errores per incuriam negliguntur ab ijs, quibus haud ſcio, an ſit aliud magis penſi, quam operam extraxiſſe ad veſperam. Grauiora quædam hic reprehendere omnino neceßarium duxi; Scio neq. hæc ipſa in omnibus exemplaribus reperiri, ſed ſi vel in vno reperiantur, libuit admonuiſſe te prudentem, et amicum. Vale.

ERRATA

Conclusione	*Versu*	*Erratum*	*Corrige*
119	3	qualitatem	quantitatem
195	2	Horum quo	Horumque
235	3	sed subiectum	nec subiectum.
277	2	unaquæq; est	vnaquæq;
280	vlt.	in esse	me esse
293	vlt.	Diopetricam	Dioptricam
440	7	rio	rei
608	5	sinistrorum	sinistrorsum
635	3	*	ex non subiecto in subiectum
636	3	Dixerunt	Dixissent
692	1	plus es	plus eo
701	3	poscit præterea?	poscit? præterea
716	4	vtriusq; ratio	vtriusq; par ratio
720	4	aliquid	aliquis
727	1	perfectiores	perfectioris
753	5	hic ergo sursum, illic deorsum	hic ergo deorsum, illic sursum
766	1	esse primis	esse e primis
906	2	eandem re	eadem re
930	1	Et ideo	& quod
930	2	& quod	& ideo
1226	2	Grade	Gades
1257	6	Vergilarum	Vergiliarum
1414	vlt.	deprehendendas	deprehendas
1443	vlt.	principua	principia
1447	3	abesse	subesse
1468	vlt.	violentibus	violentis
1491	5	venam causam	venam cauam
1511	vlt.	habetes	hebetes
1546	4	potest	potest esse
1569	3	nimium	nimirum
1585	1	est	id est
1688	5	permixti	permixtio
1694	2	contra	certa
1723	4	deorum	deorsum
1101	4	potentia	patentia
1729	3	per	pro
1797	7	tristus	tristis
1815	6	ipsa	ipso
1834	1	qua	quæ
1861	3	timorem	timerem
1871	10	responderet	respondere
1874	3	nihilatem	nihileitatem
2052	2	hæc	hac
2060	6	philosophia	philosophiæ
2094	1	bonum	bonorum
2136	8	obiectum. Passionis	obiectum passionis.
2142	2	& ita placet sensus	placet census
1246	7	dentur	dicantur
2266	3	quodam	quondam
2271	3	situm	situm sit
2278	1	hic	his
2313	4	interpretantis	interpretantes

INDEX.

De Rationali Philosophia. Lib. I.

De Naturali Philosophia. Lib. II. *pag.* 47

De Morali Philoſophia. Liber III.

Regiſtrum.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa.

Omnes ſunt quaterniones præter Z, qui eſt quinternio & ✠ & A a. qui ſunt duerniones.

PARMAE,

Apud Antæum Viothum. M DC XIII.



Cum Conſenſu Superiorum.

Ex triplici Philoſophia Rationali, Naturali, Morali, Excellentiſs. Domini Octauij Farneſij Librum perlegi; & cum ex intima Philoſophia, præſertim ex probatiſsimis ſententijs D. Thomæ Aquinatis ingenioſe deprompta ſit, & acutè tractata, et cum in ea nihil ſit à me repertum contrà Fidem, aut bonos mores, cenſeo, opus eſſe dignum, quod impreſsioni ad multorum vtilitatem ſit demandandus.

Ego Fr. Io: Maria de Sonc. Inq Parm.



